B. HUMBERTI DE ROMANIS

QUINTI PRAEDICATORUM MAGISTRI GENERALIS

OPERA

DE VITA REGULARI

EDITA

CURANTE FR. JOACHIM JOSEPH BERTHIER

ORD. PRAED. S. TH. LECT.

Vol. II.

Expositio in Constitutiones Instructiones de Officiis Ordinis.
De Eruditione Praedicatorum. Epistolae Encyclicae.

ALMA COLLEGE
248.71
LIBRARY
H881
Alma, California

ROMAE
TYPIS A. BEFANI

1889

Catholic Book Agency
ROME-PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
(ITALY)

48007

EXPOSITIO

MAGISTRI HUMBERTI

SUPER CONSTITUTIONES FRATRUM PRAEDICATORUM (1)

PROLOGUS

Ea quae subscripta sunt sive ad declarationem quarumdem constitutionem, sive ad supplendum quaedam minus plene posita, sive ad solvendum quaedam dubia, sive ad exprimendum quasdam consuetudines non scriptas, sive ad signandum quaedam notabilia, sive ad instruendum quorumdam simplicitatem, sive aliis de causis, non sunt auctoritatis tantae quod aliquem obligent in aliquo ex vi scripturae istius; sed ad hoc scripta sunt ut fratres qui solliciti sunt de iis secundum quae vivere voverunt, et circa haec quaerunt vel dubitant de aliquibus, vel student interdum, relictis altioribus et minus utilibus studiis, materiam aliquam habeant exercitandi se circa hujusmodi ad aliquem salutarem profectum. Proinde qui legere noluerit, vel lecta non approbaverit, ex hoc non judicetur in aliquo reprehensibilis. (2) Qui vero legere voluerit, et legendo aliquid repererit quod ad aliquam utilitatem religionis retorserit, agat gratias Redemptori, a quo religio omnis procedit, cui servit, et ad quem perducit.

---

(1) Titulus hic varius in variis codicibus occurrit. — (2) Cod. Salm.:... noluerint.... non approbaverint.... non judicentur.... reprehensibiles.

Sciendum autem quod compilator hujus opusculi diligenter respexit statuta religionum diversarum antiquarum et approbatarum in Ecclesia Dei, videlicet Cisterciensium, Carthusiensium, Sancti Victoris, Fratrum Minorum, Templariorum, et aliorum multorum, ut ex experientia quam habuit in multis et variis negotiis Ordinis, et ex tantarum auctoritate religionum, securius diffiniret de iis quae ad religionis naturam pertinere noscuntur. Propter quod non sunt usquequaque spernenda quae hic dicuntur. (1)

Sciendum etiam quod hic omittuntur multa per quae confirmari possent quae dicuntur, tum causa brevitatis, tum quia alterius operis sunt hujusmodi confirmationes.

Quoniam (2) ex praecepto regulae jubemur habere cor unum et animam unam in Deo, (3) justum est ut qui sub una regula et unius professionis voto vivimus, uniformes in observantiis canonicae religionis inveniamur, quatenus unitatem, quae interius servanda est in cordibus, foveat et repraesentet uniformitas servata in moribus.

I. Contra turbatores unitatis animarum. (4)

« Quoniam » etc. Notandum quod constitutiones Praemonstratensium omnino eodem modo incipiunt, et ex hoc elicitur quod verum est quod (5) constitutiones nostrae extractae sunt ab illorum constitutionibus, cum ipsi nos praecesserint: et hoc justum fuit. Praemonstratenses enim reformaverunt et auxerunt religionem beati Augustini, sicut Cistercienses beati Benedicti religionem, et excedunt omnes illius religionis in vitae austeritate, in observantiarum pulchritudine, in discreto ma-

---

(1) Cod. Salm.: ponuntur. — (2) Textus Constitutionum quem interpretandum suscipit Ven. Humbertus ille est quem ipse annuente Alexandro PP. IV in epitomem redegit. Quem habes in cod. authenth. Liturgiae nostrae, vel ex cod. Vatic. n. 5418. Hunc in *Collectione Capitulorum* edituri sumus. — (3) Cod. Liturgiae nostrae ipso B. Humberto auctore compilatus habet: in Domino. — (4) Tituli capitulorum desumuntur ex cod. Salm. Hos auctoris esse non censemus. — (5) Cod. Salm.: elicitur verum esse quod.

ximae multitudinis regimine per capitula generalia, et visitationes, et hujusmodi. Proinde beatus Dominicus et fratres sui temporis, cum non potuissent obtinere a Domino Papa secundum fervorem conceptum novam et arctam regulam, et ab hoc repulsi proposito elegissent (1) regulam beati Augustini, non immerito cum illa regula de constitutionibus illorum qui alios illius ordinis excedebant, assumpserunt quod arduum, quod decorum, quod discretum invenerunt in illis, si competens reputarunt. (2) Non contenti autem illis alia multa superaddiderunt, et addere non cessant in capitulis annualibus, praerogativam ordinis beati Augustini sibi non solum doctrinae et praedicationis officio, sed et vitae merito vindicantes.

« Ex praecepto regulae » etc. Hic inducitur auctoritas regulae ad confirmationem constitutionum, et infra in capitulis *De infirmis* et *De gravissima culpa.* Et est majoris auctoritatis regula quam constitutiones. Unde qui facit contra regulam magis peccat quam qui facit contra constitutiones. Et hoc verum est aliis paribus: aliter non est necesse. Si enim quod est in constitutione aliqua in se magis sit obligatorium, vel proponatur per modum magis obligatorium, vel ex contemptu majori non (3) servetur quam quod est in regula, majus erit peccatum facienti contra constitutionem in iis casibus quam facienti contra regulam.

« Jubemur » etc. Ex hoc patet quod unitas cordium nobis est in praecepto. Quam gravem ergo debet habere conscientiam qui hanc in aliis non fovet; vel, quod pejus est, in aliis perturbat; vel quod pessimum est, cum aliis non habet! Ideo (4) hujus unitatis et pacis inimicos non tanquam leviter vel in se solum peccantes, sed tanquam graviter et in communitatem delinquentes solet summe prosequi religio.

Sunt autem multa remedia contra illos qui sunt hujusmodi, praeter poenitentias graves, quibus sunt castigandi. (5) Unum est

---

(1) Cod. Salm.: elegerunt. — (2) Cod. Salm.: quidquid arduum.... et sibi competens reputarunt. — (3) Cod. Salm.: vel ex contemptu in animo minus servetur. — (4) Cod. Salm.: Unde. — (5) Cod. Vien.:... contra illos, quae sunt poenitentiae graves quibus castigantur. Cf. *Const. Dist.* I, cap. XVIII e XIX.

subtractio societatis: fugienda est enim eorum societas, et colloquium, et familiaritas, tanquam inficientia.

Aliud est privatio potestatis: sunt enim per superiores privandi voce in capitulis, in consiliis et similibus, cum hujusmodi potestas sit eis occasio mali.

Aliud est ejectio a conventu: sunt enim in poenam et confusionem a conventu suo abjiciendi, et alibi transferendi; vel si desperata infectio hoc requirat, includendi, vel penitus ejiciendi per illos qui habent hujusmodi potestatem, (1) quorum est haec et similia remedia excogitare et strenuiter adhibere.

II. De triplici unitate.

« Habere cor unum et animam unam in Deo. » Triplex est unitas quam habere debemus, scilicet rerum, morum et animorum: rerum de qua in regula: « sint vobis omnia communia; » morum: de qua infra: « uniformitas interius servata in moribus; » animorum, de qua hic.

« In Deo, » id est in iis quae Dei sunt, non in iis quae diaboli sunt, ut sunt manifeste mala; non in iis quae mundi sunt, ut sunt superfluitates, curiositates, et similia; non in iis quae carnis sunt, ut sunt laxitates carnales, consolationes, et hujusmodi; non in iis quae nostra sunt, ut sunt propriae voluntates, et libertates faciendi quod volumus, et similia: circa quae multi citius concordant quam in iis quae pure Dei sunt.

Notandum quod si quis in iis non concordat cum aliis, vel si hujusmodi se opponit, non est propter hoc reputandus dyscolus aut turbator, sed potius tanquam Christi fortis athleta laudandus est ab omnibus, et venerandus. Non enim cum iis qui non sapiunt ea quae Dei sunt jubemur habere cor unum et animam unam, sed « in Deo. » Cavendum est tamen cuilibet ne nimis in hoc abundet in sensu suo, dum ipse non putat secundum Deum esse quod multis bonis et discretis videtur esse secundum Deum, cum magis reputare debeat eos plus quam (2) se sensum Dei vel spiritum ejus habere.

---

(1) Cf. *Constit. Dist.* I, cap. XIX. — (2) Cod. Vien.: cum magis reputare debeat eos quam....

« Justum est, » id est rationabile, id est ratio exigit, « ut qui sub una regula, » scilicet Augustini « et unius professionis voto vivimus, » etc.

Multi vivunt sub una regula, qui tamen non vivunt sub unius professionis voto. Omnes enim monachi tam albi quam nigri vivunt sub una regula, scilicet beati Benedicti: non (sunt) tamen ejusdem professionis, sed alterius albi, et alterius nigri. Illi autem religiosi dicuntur ejusdem professionis qui sunt sub obedientia unius praelati, ut Templarii omnes, vel saltem sub unius Capituli regimine, sicut Cistercienses omnes.

III. De uniformitate in observantiis.

Nos ergo qui sub unius magistri obedientia sumus, sub unius professionis voto vivere dicimur. Justum est autem ut nos qui hujusmodi unitatem habemus, « uniformes in observantiis canonicae, » id est regularis, « religionis inveniamur. » Sic nimirum invenitur apud approbatas religiones ejusdem professionis quod summam uniformitatem in exterioribus praetendant non solum in observantiis, sed etiam in habitu, et in aedificiis, et in aliis quibusdam. In quo cum gemitu quodam considerandum est quantum in hoc adhuc distamus ab illis. Habent namque ecclesias et officinas ejusdem formae, et eodem modo dispositas: nos autem fere quot domos tot varias formas et dispositiones officinarum et ecclesiarum habemus.

Habent uniformitatem in vestium colore, pretio, forma, quantitate: nos autem (1) non sic; sed alius cappam nigram, alius, rufam, alius griseam; alius multum fissam, alius multum clausam; alius multum pretiosam, alius vilem, alius mediocrem; alius caputium strictum, alius amplum, alius acutum valde retro, alius obtusum; alius cum longo collo, alius cum parvo valde; alius cum multa apertura in facie, alius cum modica; alius cum replicationibus quibusdam circa genas, alius sine replicationibus gerit. Cappam quoque alius cooperientem totam tunicam, alius breviorem tunicam nimis indecenter; alius notabiliter curtam, alius notabiliter longam. Et caputia similiter

(1) Cod. Salm.: Uniformitatem in vestium colore, pretio, forma, quantitate servant: nos autem....

habent alius longa, alius nimis curta. Conversorum etiam alius caputium seu scapulare tale, alius distans valde in colore, et caeteris supradictis.

Habent et ipsi uniformitatem in sotularibus: sed nos alius nigros, alius rebeos; alius rudes et religiosos, alius saeculariter fractos; alii uno modo ligatos, alii alio modo; alii longos et ascendentes fere usque ad genua, alii curtos valde, alii mediocres portare consuevimus. Non solum in aedificiis et in habitu, sed etiam in consuetudinibus quibusdam tam in officio divino quam in aliis multis varietas per provincias diversas, immo per domos ejusdem provinciae reperitur quoad multa.

Causa vero hujus varietatis est varietas nationum, inequalitas provinciarum et domorum, abundantia etiam sensus quorumdam. Cum enim sint diversae consuetudines in diversis nationibus ubique, de varietate illa attulerunt diversi diversa ad Ordinem, licet unus sit ordo. Cum autem pares sint domus et provinciae, non tenetur una provincia vel una domus sequi consuetudines alterius, vel se illi conformare. Cum videantur fratribus sapientibus ita bonae consuetudines suae sicut aliorum, nolunt eas dimittere, nisi per ordinationes capitulorum generalium diffiniatur quid potius sit tenendum.

Si vero quaeritur quare capitula generalia non apposuerunt circa hoc consilium, ut sicut aliae religiones antiquae habent (1) in scriptis traditam uniformitatem servandam in omnibus, ita et nos haberemus, respondendum est quod hujus multiplex est ratio.

Una est quod pauci sunt fratres qui transierunt per diversas provincias vel domos multas, ed ideo pauci sunt qui viderunt hujusmodi varietates; sed putant quod ubique fiat quod fit in domibus suis, et ideo, quia ignorant istas varietates, non instituerunt, neque miserunt petitiones ad capitula ut apponeretur in iis consilium.

Secunda est ex hoc quod multi, etsi adverterunt, tamen reputant superstitiosum circa hujusmodi omnia facere constitutiones, cum

---

(1) Cod. Salm.: religiones antiquae quae habent. - Quae hic dicuntur notanda omninò sunt cuique archaeologiae nostrae studioso.

tamen non sit securum judicare superstitiosos viros approbatae religionis et antiquos qui similia in suis religionibus statuerunt.

Tertia est ex hoc quod propter paupertatem Ordinis quasi impossibile reputatur in multis uniformitatem observare. Propter paupertatem enim non habemus interdum uniformitatem in vestibus: sed alius meliorem, alius viliorem, alius mediocrem portat, secundum quod ei datur in eleemosynam ab exterioribus; et sic in aliis multis de supradictis.

Quarta est ex hoc quod in quibusdam non expedit. Cum enim habitemus inter homines, in quibusdam expedit nos illis conformare, (1) magis quam unitatem servare. Secundum enim morem patriae alicubi dant fratres benedictionem in privatis missis in fine, alibi non. Et sic expedit etiam in aliis multis. Illi autem religiosi qui non habitant inter populos possunt melius hujusmodi uniformitatem servare.

Quinta est ex hoc quod diffinitores timuerunt semper fratres constitutionum multitudine gravare.

Sexta est ex hoc quod tanta occurrit diffinitoribus occupatio in stabiliendo ea quae sunt majora et magis necessaria pro Ordine, quod circa haec adhuc commode vacare non potuerunt: vacabunt autem in futuro circa haec, Domino concedente; sicut et aliae religiones non statim ab initio, sed processu temporis hujusmodi statuerunt.

Expedit autem sic fieri; nam ex ista varietate duo mala sequuntur: primum est turbatio cordium fratrum: turbantur enim frequenter fratres, cum transeuntes per loca diversa, vident aliter quaedam ibi servari quam alibi viderint; secundum est confusio quoad exteriores: varietas enim facit opinari quod simus non unius fraternitatis vel professionis, sed diversarum; et ideo cum dictum fuit: « uniformes in observantia canonicae religionis inveniamur, » bene subjungitur, « quatenus unitatem, » scilicet fraternitatis et professionis ejusdem, « quae interius servanda est in cordibus, foveat, » et hoc contra primum malum; « et repraesentet, » et hoc contra se-

(1) Cod. Salm.: conformari.

cundum malum, « uniformitas servata exterius in moribus. » Qui enim de hujusmodi uniformitate non curant, et unitatem fraternae charitatis perturbant, signum sui dant quod intrinsecus cum aliis unitatem non habeant.

Sequitur: **Quod profecto competentius et plenius poterit observari, si ea quae agenda sunt scripto fuerint commendata.**

IV. Quare expedit agenda scripto commendari.

Alii sunt religiosi qui praeter regulam nulla scripta habent; sed in agendis suis soli consuetudini innituntur, vel rationi, facientes quod eis videtur rationabile; alii ordinationes majorum suorum sequentes, quod scriptis ordinant vel mandant.

Et hoc est laudabilius: quod enim in scriptis habetur facilius addiscitur.

Item, non de facili oblivioni traditur.

Item, scripta sufficientius instruunt, quia cum majori discretione et consilio formantur: raro enim sunt aliqui qui sint tam sufficientis sensus quod sufficiant ad tantam cognitionem agendorum per se, sicut docent scripta.

Item, dubia dirimunt: ubi enim desunt scripta, frequenter dubitatur etiam a sapientibus quid agendum sit in multis, et interdum insurgunt inde contentiones; scripta vero haec omnia determinant.

Item, frequenter incitant ad agendum cum leguntur.

Item, praestant majorem auctoritatem etiam majoribus ad melius compellendum subditos, cum allegare possunt scriptum esse quod suggerunt faciendum; et propter hoc competentius observantur agenda, si scripto fuerint commendata.

Hinc est quod non solum constitutiones, sed etiam ordinationes capitulorum generalium et provincialium in scriptis rediguntur, et mandantur ubique haberi et servari in scriptis, et maxime admoniones, ut diligentius observentur.

Hinc est etiam quod Cistercienses visitationis suae ordinationes in scriptis relinquunt, quae praesentantur sequenti visitatori ad videndum qualiter sint observatae.

Nostri etiam priores provinciales seu visitatores interdum aliqua relinquunt in scriptis, et bene, secundum quod occurrunt causae magis evidentes, eadem de causa. Si autem plenius tradita fuissent nobis multa, a pluribus reprehensibilibus fratres cavissent, et in pluribus Ordo laudabiliter profecisset.

Minus autem prodest hujusmodi scripto commendari, si scripta legendo vel audiendo non innotescant; ideo subditur: **si omnibus qualiter sit vivendum scriptura teste innotescat.**

V. Quos libros Ordinis praelatus debet providere conventui.

Proinde debent esse praelati solliciti ut habeant constitutiones diligenter correctas in omni conventu, ut juxta librum constitutionum, admonitiones capitulorum generalium et provincialium, nec non et privilegia Ordinis.

Habeant etiam totum quod ad officium ecclesiasticum pertinet, cum et ipsum cadat sub constitutionibus, et si quae alia traduntur ab Ordine in scriptis, quae sint a fratribus observanda, ne ex horum carentia aliquis ex ignorantia se excusans minus observet quae fuerint observanda.

Sed quid faciendum est de illis qui, quamvis haec habeant in suis conventibus, tamen nesciunt illa, neque curant scire, vel studere iis?

Respondeo: Quando proclamantur super iis, injungendum est eis pro psalmis quod infra certum tempus legant diligenter, et potius constitutiones vel admonitiones praedictas, seu Ordinarium, et sic de aliis, secundum quod eorum exigit negligentia.

Debent etiam providere priores et suppriores quod, quando plures fratres fuerint in domo, legere faciant in mensa ter, vel quater, vel pluries in anno supradicta, vel eorum aliqua quae magis expedit sciri, ut est Ordinarium ministrorum altaris, et quaedam aliae rubricae magis necessariae, propter fratres qui raro sunt in domo, ut tunc saltem audiant ista.

Sequitur: **si mutare, vel addere, vel minuere nulli quidquam propria voluntate liceat.**

Tria sunt quae faciunt ad competentem observationem uniformitatis supradictae.

Primum est agendorum in scriptis commendatio, de quo illud: « si ea quae agenda sunt, » etc.

Secundum est scriptorum scientia, de quo illud: « si omnibus qualiter, » etc,

Tertium est cognitorum praecisa observatio, de quo hic: « si mutare, » etc.

Quid enim prodest agenda scripto commendasse, si scriptum nesciatur? Quid item prodest scripta sciri, si non praecise custodiantur? Ideo subjungitur post duo praedicta hoc tertium: « si mutare, » etc. Quasi diceretur: tunc vere « competentius et plenius poterit observari » uniformitas supradicta, si agenda non solum scripta fuerint, scripta non solum innotuerint, sed etiam nota ita praecise servata fuerint quod nullus circa hoc aliquid addere, vel mutace aut minuere ausus fuerit.

Sed quid vocatur haec mutatio?

Respondeo: Assumptio unius pro altero, ut si conversus litteratus diceret officium clerici pro suo. Quod, et similia non licet fieri propria auctoritate, etiamsi mutatio fieret in majus, sed auctoritate aliena (1) fieri posset in casu ex causa: sed non generaliter nisi per statutum.

Sed contra: Mutatum est quod dicitur in regula de praeposito et presbytero apud nos, et sine statuto: multo magis potest fieri hujusmodi generalis mutatio circa constitutiones.

Respondeo: Illa mutatio solum nominalis est, quia hujusmodi officia remanserunt apud nos sub aliis nominibus, et ideo non est mutatio reputanda, cum hic potius agatur de rebus quam de nominibus.

Sed iterum quaeritur de hoc quod dicitur « addere, » numquid non licet fratri aliquid supererogationis addere supra ea quae scripta sunt?

---

(1) In cod. Vien. forte legendum: apostolica.

Item, numquid non faciunt praelati admonitiones et ordinationes multas supra constitutiones scriptas?

Item, numquid non idem faciunt diffinitores capitulorum?

Respondeo ad primum: Quaedam sunt (1) supererogationes de iis quae sunt praeter Ordinem, sive impertinentes ad Ordinem, ut portare cilicium vel circulos ferreos: et ista non licet alicui facere propria voluntate, maxime si sui notitia varietatem inducat.

Aliae sunt supererogationes quae sunt juxta Ordinem, sive pertinentes ad Ordinem, ut plus interdum vigilare, vel minus de pictantia comedere, et similia: et ista licent, dummodo non interdicantur. Hujusmodi autem supererogatio de pertinentibus non vocatur additio, sicut in *Lib. Apoc. ult.* ubi dicitur: Si quis apposuerit ad hoc, non vocantur appositiones, secundum *Glossam,* expositiones quae sunt de pertinentibus ad illud.

Ad secundum et tertium dicendum similiter quod praelatis et diffinitoribus licet de pertinentibus aliqua imponere; sed nec hoc vocatur additio, ut dictum est.

Circa impertinentia vero distinguitur, quia ad tempus vel aliquibus licet eis aliqua non scripta imponere ex causa: v. gr. pro supplicatione aliqua licet imponere quod omni mense per annum facerent fratres processionem nudis pedibus, vel quod aliqui pro poenitentia portarent cilicium: et hoc non est additio, et bene elicitur ex scriptis constitutionibus quod hujusmodi liceat praelatis. Si autem praelati et diffinitores hujusmodi vellent inducere tanquam observantiam communiter observandam, non facta super hoc prius constitutione, hoc non liceret eis, nec fratres obedire tenerentur, quia non fecerunt obedientiam nisi secundum constitutiones.

Sed ex hoc oritur aliqua quaestio: Utrum ligentur fratres ad observandas constitutiones non scriptas? Videtur quod non, secundum hoc quod non fecerunt obedientiam, nisi secundum constitutiones: et sic consuetudines, quae non sunt in scripto, non tenentur servare.

Si hoc concedatur, sequuntur inconvenientia multa. Secundum

---

(1) Cod. Vien.: Respondeo quod sunt.

hoc enim poterunt portare tunicas nigras et cappas albas, quia de colore vestium istarum nihil est scriptum, et sic de aliis multis.

Dicendum est ad hoc quod ligantur ad consuetudines approbatas, et quae communiter observantur. Est enim consuetudo lex non scripta; constitutio vero lex scripta: unde cum utrumque sit lex, utrumque ligat.

Ad illud vero quod in contrarium objicitur, respondendum est quod consuetudines hujusmodi sunt in constitutionibus insertae implicite, sicut patet ex illa constitutione quae dicit quod « consuetudinem in Ordine diù obtentam, (1) etc., Magister non possit immutare; » et ex illa supradicta quae dicit quod « uniformes in observantiis inveniamur: » quod non esset, nisi consuetudines hujusmodi servarentur communiter ab omnibus; ex quibus elicitur quod sunt servandae. Qui ergo promittit obedientiam secundum constitutiones, promittit per consequens secundum consuetudines hujusmodi, quas constitutiones dicunt esse servandas.

Praeterea, si constitutiones non dicerent, adhuc nihilominus ligarentur fratres ex jure positivo, quia jura hujusmodi dicunt quod consuetudines approbatae servandae sunt.

Item, non solum jus positivum hoc dicit, sed etiam naturale. Ratio enim bene disposita dictat quod quilibet vivens inter alios debet eorum approbatas consuetudines observare.

Si autem quis opponat et dicat: Tunc ergo qui facit contra consuetudines, peccat mortaliter, quia facit contra jus naturale et positivum, dicendum est quod jus naturale dicit quod non est dicendum verbum otiosum; tamen non tanta districtione quod contrarium cadat statim in peccatum mortale, et multo fortius in jure positivo simile quid reperitur. Unde non est necesse quod quidquid sit contra jus naturale vel positivum sit mortale: consuetudines enim praedictae ligant ratione constitutionum, et juris positivi, et naturalis.

Si autem dicatur quod cum non sint scriptae non sint addendae, responsum est jam quia scriptae sunt implicite, licet non expresse;

---

(1) Quare verba leguntur in *Constit. Dist.* II, cap. IX, tit. VI.

vel aliter dicitur supra quod non licet aliquid addere propria voluntate: hae autem non sunt additae propria voluntate cujusquam, sed communi approbatione, quia consuetudo est jus quoddam moribus, et assiduis actibus hominum institutum.

Deinde quaeritur de hoc quod dicitur: « minuere. » Hoc modo ponatur quod aliquis sit impotens ad aliquam observantiam Ordinis, sicut ad jejunium, vel aliquid aliud, quid faciet, si non licet ei aliquid minuere de iis quae scripta sunt?

Respondendum est quod petat dispensationem.

Si autem negatur, recurrat ad superiorem.

Si autem non possit recurrere, vel non possit obtinere, distinguitur: quia vel est impotens, et sic non minuitur aliquid propria voluntate, sed necessitate, et excusatur per impotentiam; vel est minus potens, et tunc debet confidere de bono obedientiae, et facere quod potest, futurum eventum, qui dubius est, in manu Domini relinquens.

Sed ponatur quod surgere potest ad matutinas, licet cum gravamine: tamen dicunt sapientes medici concorditer quod cito fiet insanus, nisi cesset. Non potest invenire dispensationem: numquid non licet ei remanere, et in hoc casu minuere istam observantiam de surgendo?

Respondeo: Reputandus est talis omnino impotens, si super hoc non est aliquod dubium apud peritos medicos; et dicendum est idem quod dictum est de omnino impotente.

Item, quaeritur: Etsi non licet aliquid minuere propria auctoritate sine dicta necessitate, numquid non licet praelato cum eo dispensare ut aliquid minuat?

Respondeo: Dicendum est quod sic; non propria voluntate, sed ex causa aliqua rationabili, extra necessitatem.

Sed ponatur quod sine causa rationabili praecipiat fratri quod non jejunet in jejuniis scriptis, quod comedat carnes, et similia: numquid tenetur ei obedire, et per hujusmodi obedientiam minuere aliquid de statutis?

Respondeo: Non debet de facili judicare quod non habeat causam aliquam rationabilem praelatus in tali injunctione, quia forte

facit causa humiliandi eum, vel alia de causa quam nescit. Si tamen constat omnino quod non habeat aliquam rationabilem causam, non tenetur ei obedire. Professiones enim factae secundum statuta aliqua non sunt citra, supra, contra. (1) Et sicut non potest cogi sic profitens ad supra, vel ad contra, ita nec ad infra. Bernardus in libro *De praecepto et dispensatiene:* Nec ultra cogendus, nec citra inhibendus quam complecti videtur professio. Quanto magis nec contra?

Sed quaeritur adhuc utrum per consuetudinem aliquid possit minui de scriptis statutis, sicut per consuetudinem aliqua sunt addita?

Respondeo quod non. Si enim consuetudo talis praecessit, statuta derogant ei, et non debet amplius servari; si autem sequitur, cum incipit aut reiteratur hujusmodi actus contrarius consuetudinis, aut fit hoc sine dispensatione, et tunc est corruptela, non consuetudo; aut fit cum dispensatione, et tunc non inducitur consuetudo, quia, sicut dicunt jura, nullus actus inducit consuetudinem nisi cum fit eo animo ut inducatur consuetudo.

Sed contra: Illud quod in regula scriptum est de codicibus (2) certa hora petendis, et in alia non habendis, nusquam servatur. Aut hoc fit bene, aut male: si male, ergo omnes sunt in peccato; si bene, sed non habemus super hoc relaxationem a papa, vel ab aliqua regula, nisi a consuetudine; ergo consuetudo minuit aliquem articulum de regula: multo magis potest de constitutionibus.

Respondeo: Virtus et fructus illius mandati consistit circa duo: unum est ut interdum legatur; alterum est ne occasione lectionis alia officia dimittantur, sicut orare et hujusmodi, et ideo dicitur: « extra horam non accipiat, » ne scilicet hac occasione dimittat chorum vel hujusmodi. Majus autem et fructuosius est diù legere, sicut nos facimus, quam paucis horis.

Item, provisum est secundum alias ordinationes quod hac occasione non dimittamus alia agenda tempore suo: servamus ergo virtutem illius mandati. Immo plus facimus, licet non servemus se-

---

(1) Scilicet non sunt citra, supra, contra statuta. — (2) Cod. Salm.: Illud quod habetur in regula de codicibus.

cundum modum taxatum in regula. Non est autem minoratus ille articulus, sed melioratus.

Sed adhuc opponitur: Constat quod modus ille non servatur: qua auctoritate dimissus est modus? An ratione consuetudinis?

Respondeo: Non est dimissus, quia numquam assumptus. Cum enim a principio fratres vellent esse praedicatores, et daretur eis optio eligendi regulam suo statui competentem, videntes quod in regula Augustini plura erant quae magis competebant tali statui quam in alia, praeelegerunt eam; tamen quia in illa erant quaedam quorum virtus, etsi competeret statui tali, tamen modus vel nomina non competebant, quaedam hujusmodi non assumpserunt quantum ad modum vel nomina, sicut supra dictum est de nominibus « praepositi » et « presbyteri, » nec unquam servaverunt: unde non sunt remota per consuetudinem, quia nunquam fuerunt servata.

Sed ex hoc opponitur: Ergo nos non servamus (1) totam regulam Augustini?

Respondeo: Concedendum est hoc quantum ad modum tradendi, et nomina, et quaedam similia, licet quantum ad substantiam mandatorum servemus eam. Nec sequitur: Ergo sumus (2) transgressores, quia nullus nostrum promittit servare regulam beati Augustini, sed obedire (3) secundum regulam beati Augustini, id est non secundum regulam beati Benedicti, vel aliorum. Bene autem, ut Bernardus dicit in libro *De praecepto et dispensatione,* poterit quis vivere secundum regulam aliquam, quamvis ad unguem non custodiat totam regulam quantum ad nomina et modum, sicut dicitur quis vivere secundum Evangelium, quamvis non servet omnia quae sunt in Evangelio; et secundum ritum Graecorum, quamvis non servet omnia illius ritus, sed servat substantialia. Sed attende quod sic non debet circa constitutiones fieri, quia fratres ipsi formaverunt eas, et tradiderunt secundum modum qui competebat Ordini: unde nihil est in eis quod non debeat observari, et quantum ad rem, et quantum

---

(1) Cod. Salm.: habemus. — (2) Cod. Vien.: Nec sequitur quod simus. — (3) Cod. Salm.: obedientiam.

ad modum, et servanda sunt praecise, sine mutatione, sine additione, et sine diminutione.

Ne autem quis hoc aestimet minus rationabile, subditur causa et dicitur: **ne si minima neglexerimus, paulatim defluamus.**

Notandum quod nulla eorum quae ad bonum vel malum animae pertinent sunt minima simpliciter: sed respectu ad majora dici possunt minima. Sunt enim Dei mandata maxima: sed Ecclesiae mandata, sive Summorum Pontificum, parva in respectu ad illa; minora patrum instituentium regulas, ut Augustini, Benedicti, et similium: sed minima mandata sequentium eos, constitutiones condentium. Et intellige quantum est ex parte mandantium, non mandatorum. Nam majoris auctoritatis sunt Summi Pontifices et Concilia quam Augustinus, vel Benedictus; isti vero sunt majores quam moderni sub eis militantes.

Contra vero contingit interdum quoad mandatorum naturam quod mandata superaddita regulis in constitutionibus sunt majoris perfectionis quam mandata regularum; et mandata regularia majoris quam Ecclesiae mandata. Secundum ergo hunc modum vocantur hic minima mandata constitutionum, et dicuntur minima ex parte auctoris.

Item, dicuntur minima in demerendo, quia licet sint magna in merendo observanti ex charitate, tamen minima sunt inter omnia in demerendo, quia transgressio eorum non inducit (1) peccata; sed tamen non sunt ideo negligenda, sed districte servanda.

Sed contra: Maledixit Dominus in Evangelio hujusmodi minima districte servantibus, dicens, *Matth. 23:* Vae vobis, Scribae et Pharisaei, qui decimatis mentham, etc.!

Respondeo: Licet hic maledicat, non tamen propter hoc, sed propter aliud quod subjungit dicens: Et reliquistis quae graviora sunt legis; alioquin non subjungeret et diceret: Et illa non omittere;

---

(1) Cod. Vien.: eorum minima inducit,

innuens quod etiam minima non sunt negligenda. Non ergo discordat Domini sententia ab ista, sed concordat.

VI. De custodia in minoribus observantiis.

Servanda sunt igitur constitutionum minima diligenter, et hoc multis de causis.

Valet enim ad meritorum cumulum. Sicut enim humiliatio circa visibilia in sacramentis facit ad majus meritum, sic et humiliatio circa hujusmodi minima.

Item, ad aedificationem proximorum. Interior enim dispositio non aedificat sicut exterior compositio.

Item, ad exercitium virtutum. In iis enim probatur obedientia, et humilitas, et similia.

Item, ad impedimentum majorum malorum, Quomodo enim incurreret in detractiones, vel lites, et hujusmodi, qui servat silentium? Est ergo silentium obstaculum ad majora mala; et sic aliae observantiae.

Item, ad majorum custodiam bonorum. Sicut enim sepe dissipata in modico diripitur possessio, *Eccli. 36;* (1) sic dissipatis constitutionibus majora bona citius dissipantur.

Item, ad locupletationem spiritualem. (2) Qui enim modica congregat locupletatur, et qui negligit ea custodire depauperatur, etiamsi dives sit. Ideo dicitur, *Eccli. 19:* Operarius ebriosus, qui negligit congregare denarium et obolum, quando habet, sed statim expendit in taberna, non locupletabitur; et qui minima negligit paulatim decidet. Et inde sumptum est quod hic dicitur: « ne si minima, » etc. Sunt ergo servanda districte, et non negligenda hujusmodi minima.

Sed ne credatur quod in nullo casu possit aliquid de iis relaxari, quod esset nimis difficile, subjungitur: **Ad haec tamen praelatus in conventu suo dispensandi cum fratribus habeat potestatem, cum sibi aliquando videbitur expedire.**

---

(1) Cod. Salm.: sepe dissipata quae modica est diripitur possessio. — (2) Cod. Salm.: specialem.

VII. De quibusdam quaestionibus circa potestatem dispensandi.

Sed quaeritur circa hujusmodi potestatem anne similiter habent potestatem inducendi rigorem, cum rigor sit austeritas juris; dispensatio, relaxatio ejusdem?

Respondeo quod sic; et hoc fit per admonitiones frequenter.

Sed quaeritur: Ponatur quod haec constitutio non fuisset scripta, numquid de jure communi posset circa constitutiones dispensari?

Respondeo: Dicendum est quod sic. Est enim quoddam mandatum in quo non dispensatur nec a Deo, nec ab homine, ut est mandatum diligendi Deum, et similia mere spiritualia; est aliud in quo dispensatur a Deo, non ab homine, ut est de non fornicando, in quibus continentur actus non mere spirituales, et sunt de lege divina: in quo dispensavit Dominus cum Osee, secundum unam opinionem; aliud in quo dispensatur ab homine ex causa, sicut sunt statuta humana ab homine inducta. Primum vocat Bernardus, in *Libro de praecepto et dispensatione,* inviolabile, propter sui dignitatem; secundum incommutabile, propter mandantis auctoritatem; tertium stabile, propter promittentium voluntatem, seu subjectorum necessitatem, quia debent statuta majorum stabilita manere, nec subjectis licet ea aliquatenus violare, licet majoribus liceat in eis dispensare. Tales autem sunt constitutiones, et ideo in jure communi potest in eis dispensari, etiam apud illos qui non habent hoc expressum in suis statutis; et licuisset apud nos, etiamsi non esset scriptum.

Sed tunc quaeritur: Si licet in iis dispensare de jure communi, quibus licet hoc?

Respondeo: Licet illis qui sunt ministri Dei, et dispensatores mysteriorum ejus.

Sed iterum quaeritur: Cum multi sint ministri, ut episcopi et alii multi, qui sunt isti ministri quibus hoc competit?

Respondeo: Priores et praelati religionum. Et hoc duplici ratione. Una est ex natura obedientiae: magis enim competit dispensatio ministris illis quorum obedientiae se subjecerunt religiosi, et secundum quorum statuta vivere promiserunt, quam aliis. Alia est a jure: secundum jura enim dispensationes quae non reservantur Papae, vel aliis majoribus praelatis, relinquuntur inferioribus. Unde

cum hujusmodi non inveniantur aliis reservata, competunt prioribus monasteriorum de jure communi. Et ad hoc est argumentum *Extrav. De statu Monachorum: Cum ad monasterium,* ubi dicitur quod abbas non potest dispensare in abdicatione proprietatis, quia est de substantia voti monachali: ex quo relinquitur a contrario quod in iis quae non sunt de hujusmodi substantia potest dispensare.

Sed ex hoc videtur quod constitutio ista sit superflua, cum sine constitutione idem fieret.

Respondeo: Non est superflua, quia multi veritatem istam nesciunt, et dubitare possent de hoc, si constitutio non diceret hoc expresse.

Item, ex hujusmodi expressione possunt sibi facere praelati et fratres meliorem conscientiam et largiorem in dispensando, et in recipiendo dispensationem, quia quod licet de jure communi, et privato licet. (1)

Item, ex ista constitutione non solum exprimitur quod liceat dispensare, sed modus et forma hujus potestatis, ex hoc quod continetur in ea. Dicitur enim circa quae fieri possit dispensatio, cum dicitur: « Ad haec; » item ubi, per illud quod dicitur: « in conventu suo; » item quis, cum dicitur: « praelatus; » item cum quibus, cum dicitur: « cum fratribus; » item quando, cum dicitur: « aliquando; » item qua de causa, cum dicitur: « cum sibi videbitur expedire. »

Sed circa ista sunt multa dubitabilia.

Et primo circa primum quaeritur cujusmodi sit latinitatis « Ad haec? » Non enim videtur bona latinitas si dicatur: iste habet potestatem dispensandi « ad haec. »

Respondeo: Potest esse sensus: « ad haec, » circa haec. Sed iste modus loquendi non est multum in usu: ideo dicatur cum suppletione: « ad haec, » scilicet mutanda vel minuenda. Planior tamen esset littera si diceretur: « in iis, » scilicet minimis praedictis, id est in constitutionibus praedictis scriptis, habeant potestatem dispensandi: et iste est sensus sententiae.

Sed quaeritur circa hoc primo utrum similiter circa regulam

(1) Cod. Salm.: liberius licet.

possit dispensare praelatus; item, secundo utrum circa consuetudines non scriptas; item, tertio utrum circa admonitiones quae emanant a majoribus; item, quarto utrum in omnibus constitutionibus, cum indistincte dicatur: « ad haec, » sine exceptione; item, quinto si dicatur quod non in omnibus, quaeritur in quibus habeat potestatem; item, sexto utrum in toto possit dispensare cum aliquo quoad regulam et constitutiones, et eum absolvere ab obedientia sua; item, septimo, si non ex toto, saltem in quanto?

Respondeo: Ad primum dicendum est quod dispensare potest in regula quoad aliqua quae non sunt de jure divino, et sunt de hoc eaedem rationes quae supra dictae sunt circa potestatem dispensandi in constitutionibus de jure communi; et hoc sentit Bernardus in libro supradicto dicens: Stabile mandatum dixerim necessarium, quia non licet illud mutare cuilibet, sed solum praepositis regulae Augustini, Benedicti, etc. Licet autem haec possint, tamen non ita de facili debent facere sicut in constitutionibus, propter majorem auctoritatem quae est apud regulam.

Ad secundum dicendum quod sic, tum quia consuetudines cadunt, ut supra dictum est, sub constitutionibus: et ideo si licet in constitutionibus, licet in iis; tum quia hoc ipsum consuetudo approbata est communiter ut in iis dispensetur.

Ad tertium dicendum quod si occurreret aliquis casus in quo multum praesumeretur quod esset voluntas majoris quod in suis admonitionibus in tali casu possent inferiores dispensare, in spe ratihabitionis, posset in tali casu dispensari: aliter regulariter non nisi quantum quibusdam conceditur (1) beneficio illius constitutionis: « Porro Magister aut priores provinciales, » (2) etc., ubi dicitur quod in speciali possunt aliquas ordinationes capitulorum, quae tamen sunt supra eos, immutare. Ratio differentiae est quod regulae, vel constitutiones, vel consuetudines sunt quasi jura: in iis vero quae juris sunt relinquuntur dispensationes inferioribus, quando superiores qui condiderunt jura non retinent sibi. Admonitiones vero sunt mandata

---

(1) Cod. Salm.: nonnisi quibus conceditur. — (2) Adeas, si libuerit, *Constit. Ord. Praed. Dist.* II, cap. IX, tit. VI.

hominum: mandatum autem hominis nullus potest relaxare vel temperare, nisi solum mandator vel superior. Et est simile, quia a sententiis hominis nullus potest absolvere nisi homo excommunicans, vel superior: a sententiis vero juris possunt absolvere inferiores. Utrum autem peccent semper qui faciunt contra admonitiones sine dispensatione, dicetur infra.

Ad quartum dicendum quod non potest in omnibus sine exceptione dispensare; et illud quod dicitur generaliter sine exceptione, reducendum est ad rationem. Vix est enim aliqua regula juris, quae generaliter proponatur, quae non habeat exceptionem. (1)

Ad quintum dicendum est hoc modo. Quaedam sunt in constitutionibus quae sunt de jure divino, ut ubi dicitur (2) de humilitate cordis, vel similibus: et in iis non potest dispensare praelatus.

Item, quaedam sunt ibidem quae sunt de ordinatione Ecclesiae, ut quod dicantur horae ab iis qui sunt in sacris ordinibus: et in hujusmodi non possunt, nisi talis esset causa quod reliquisset Ecclesia hujusmodi dispensationem praelato tali.

Item, quaedam sunt ibi quae sunt de substantia religionis, ut abdicatio proprietatis: nec in iis potest. *Extrav. de Statu Monachorum: Cum ad monasterium.*

Item, quaedam sunt in quibus interdicta est dispensatio, ut in poena de silentio fracto in mensa: nec in hoc potest, quia in hoc casu speciale derogat generali.

Item, quaedam sunt quae reservantur superiori, ut de non eundo ad Curiam sine licentia Magistri: nec in iis potest inferior.

Item, quaedam sunt supra se, ut quae pertinent ad statum superiorem: nec in iis potest, quia nec conventualis prior in iis quae pertinent ad provincialem, nec provincialis in iis quae pertinent ad statum Magistri dispensare potest.

Item, quaedam sunt contra se, ut, quando accusatur, quod mittat conventus socium contra eum ad capitulum: nec in iis potest.

Item, quaedam sunt quorum relaxatio manifeste cederet in dis-

---

(1) Cod. Salm.: aliqua ratio juris, quae si generalitur proponatur non habeat exceptionem. — (2) Cod. Vien.: loquuntur.

sipationem Ordinis, ut quod fratres nunquam studerent, quod semper comederent carnes, et similia: nec in iis potest, quia aliud est dispensatio, aliud dissipatio; et in hoc casu intelligitur illud Bernardi, in libro praedicto: Super transgressiones fratrum, non super traditiones patrum constituitur qui abbas eligitur.

Ad sextum dicendum quod non. Nec obstat si opponatur quod a promissione facta alicui potest quis absolvere, quia hoc est verum quando fit solum in favorem hominis: promissio vero obedientiae, licet fiat in manu hominis, tamen fit in favorem Dei: immo ipsi Deo, quia dicitur ibi: « Promitto obedientiam Deo, » etc.

Item, non obstat si dicatur quod absolvit eum quando licentiam dat transeundi ad aliam religionem arctiorem: in illo enim casu non absolvitur ab homine, sed a jure, (1) quia etiam sine ejus licentia transire potest, et absolvitur a prima obedientia. Quod autem debet petere licentiam secundum jura, non fit propter obtinendam absolutionem; sed ne videatur ex contemptu, vel alia mala causa transire.

Item, non obstat si opponatur de illo qui expellitur ex culpa a praelato. Adhuc enim suus est, sicut ovis morbida pastoris est, licet sit expulsa a grege; nec est absolutus praelatus a cura sic expulsi, biles nec expulsus ab obedientia ejus.

Ad septimum dicendum quod dispensare potest in tot, quoad dispensabilia (2) simul et semel, in quot occurrerent simul rationacausae dispensandi.

Si autem opponatur quod secundum hoc aliquis duceret aliquando laxiorem vitam apud nos, quam faceret in laxiori religione ad quam non potest licentiari (3) a praelato ut transeat, dicendum est quod hoc est verum: sed attendendum est quod ille cum quo fit hujusmodi dispensatio est adhuc in manu praelati, ut cum voluerit ducat austeriorem vitam; ille autem qui est in laxiori religione non habet aliquam necessitatem aliquando ducendi austeriorem vitam: ideo melius potest praelatus dispensare cum aliquo ut

---

(1) Cod. Salm.: non absolvitur nisi a jure. — (2) Cod. Vien.: in tot dispensabilia. — (3) Cod. Salm.: dispensari.

sub se ducat ita laxam vitam, quam licentiare ut transeat (1) ad laxiorem religionem.

Deinde quaeritur de secundo: videtur enim quod per hanc constitutionem non conferatur potestas Magistro, vel priori provinciali dispensandi, cum ipsi non habeant proprium conventum; ibi enim dicitur: « in conventu suo. »

Respondeo: Supponitur pro certo de iis quod habeant; sed ne videretur quod priores conventuales, tanquam minores, non haberent, expressius dicitur de eis, quasi diceretur: circa haec non solum majores praelati, sed etiam minores, id est quilibet in suo conventu, etc. Planius tamen esset si removeretur istud verbum « in suo conventu, » et diceretur ita: Ad haec praelatus, etc. Et fortassis per improvidentiam fuit appositum, quia sic inventum fuit in constitutionibus aliquorum religiosorum qui non habebant nisi praelatos conventuales. Unde fuit transsumptum, et per negligentiam est admissum, sicut et alia multa in diversis locis constitutionum.

Item, numquid in alieno conventu habet prior potestatem dandi aliquas licentias, sicut solet fieri in capitulis?

Respondeo: Non habet eam beneficio constitutionis super fratres non suos; sed ex commissione potest habere, vel expressa, vel tacita: quae intelligitur facta cum publice fit, et hoc toleratur ab illis ad quos pertinet.

Item, numquid potest idem super fratres alienos, quando sunt in suo conventu?

Respondeo quod sic, quia sunt quodammodo tunc de foro suo, et ideo forte notabilius dicitur hic: « in suo conventu » quam: de suo conventu; quia non solum cum illis qui sunt de suo conventu, sed etiam cum aliis qui sunt interdum « in suo conventu » potest dispensare.

Sed ponatur quod sit ibi proprius prior, et discordet ab illo super aliquo, cujus voluntati obediet: an sui, vel illius (2) in illo conventu?

---

(1) Cod. Salm.: licentiare ut transferat se. — (2) τὸ « an sui vel illius » ex cod. Salm.

Respondeo: Voluntati proprii prioris, de cujus foro est simpliciter. Verumtamen prior loci poterit licentiare priorem illum et subditum, vel subtrahere eis servitia fratrum, vel in similibus punire, si notabiliter eidem in aliquo fuerunt rebelles.

Postmodum quaeritur circa tertium, quis vocetur ibi « praelatus? »

Respondeo: Vocatur praelatus ibi quicumque habet curam animarum, et solum talis.

Si opponitur: Ergo supprior, vel magister novitiorum non habent potestatem dispensandi in aliquo, concedendum est quod (1) nec isti, nec aliqui alii officiales inferiores habent hujusmodi potestatem virtute constitutionis, sed habent ex commissione. Committitur autem eis in injunctione officii omne illud sine quo non posset officium commode exerceri. Ad alia vero non possunt extendere sine commissione.

Sed iterum opponitur: In aliquibus conventibus hebdomadarius dat aliquas licentias, cum non potest inveniri prior vel supprior, et tamen non est praelatus.

Respondeo: Hujusmodi licentiae non valent nisi ex commissione prioris expressa vel tacita, ut supra dictum est in simili.

Item, quaeritur utrum superior praelatus habeat majorem potestatem dispensandi quam inferior, et utrum dispensatio facta per eum melius valeat?

Respondeo: Habet majorem potestatem quoad numerum, quia cum pluribus et circa plura potest dispensare; sed non quoad intensionem in illis in quibus uterque potest: immo ita bona et firma est dispensatio facta per minorem sicut per majorem circa idem in quo uterque potest, aliis paribus. Potest tamen dici melius facta per majorem praesumptive, (2) quia praesumptio est quod discretius fiat; vel melius quoad efficaciam, quia superior potest revocare dispensationem inferioris, et non e converso.

Sed tunc quaeritur: Ponatur quod inferior praecipit fratri quod

---

(1) Cod. Salm. min.: concedendum est aliquo modo. — (2) Cod. Salm.: propter majorem praesumptionem.

non utatur dispensatione facta a superiore, numquid tenetur obedire? Et videtur quod sic, quia non est contra Deum non uti illa dispensatione, et tenetur obedire in omnibus quae non sunt contra Deum.

Respondeo: Non tenetur obedire, quia in hoc exemptus est ab obedientia sua, sicut abbas exemptus non tenetur episcopo obedire in iis in quibus exemptus est. Quod autem dicitur in contrarium falsum est, videlicet quod teneatur frater obedire in omnibus quae non sunt contra Deum, quia hoc nullus promittit; nec tenetur quis ad aliquid supra professionem, (1) quamvis non sint contra Deum multa quae sunt supra professionem.

Postea circa quartum quaeritur: Si dispenset praelatus cum fratre suo aliquo, et frater non vult recipere dispensationem, numquid potest eum cogere praelatus ad recipiendum dispensationem?

Respondeo quod sic, ex causa: aliter non potest. Bernardus in libro praedicto: Vota mea non augeat praelatus absque mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Alioquin remissio voti absque aliqua necessitate praevaricatio est.

Sed iterum quaeritur utrum similiter possit compellere fratrem extraneum ad recipiendum dispensationem, ut in comedendis carnibus et similibus, et utrum tenetur in hoc extraneus obedire?

Respondeo quod non, nisi in tali casu in quo non uti illa dispensatione esset peccatum, et per consequens contra Ordinem.

Si autem quaeratur, cum possit compellere ad servandum Ordinem, quare non compellet ad recipiendum dispensationem, sciendum (2) est quod priori conventuali commissa est cura Ordinis in suo conventu auctoritate Ordinis in generali, qui vult quod sint priores conventuales ad habendum curam de Ordine per domos. Et ideo per consequens est sibi commissa jurisdictio omnis quae pertinet ad custodiam Ordinis. Potest ergo facere quidquid pertinet ad Ordinis custodiam in domo sua; et ad hoc quodammodo indirecte sunt advenientes omnes de foro suo Ordinis auctoritate. Quia ergo

---

(1) Cod. Vien.: nec tenetur ad aliquid supra professionem aliquis. — (2) Cod. Salm.: dicendum quod.

laederetur conditio Ordinis, si frater adveniens omitteret ea quae sunt Ordinis, ideo potest in loco jurisdictionis suae praelatus quilibet cogere ad servandum Ordinem. Ubi vero non est tanta necessitas quod non uti dispensatione non est peccatum, ex hoc quod quis non utitur, non deterioratur Ordinis conditio, sed potius melioratur. Et ideo non extenditur hujusmodi jurisdictio usque ad hoc.

Sed secundum hoc videtur quod non possit dispensare cum extraneo, quia dispensatio non facit ad custodiam Ordinis; sed potius est relaxatio Ordinis.

Respondeo: Dispensatio facit ad custodiam Ordinis per modum provisionis: immo violaretur Ordo, si fieret sine dispensatione; compulsio vero per modum necessitatis, correctio autem per modum punitionis. Et ideo potest praelatus et dispensare, et compellere, et punire delinquentes quoslibet, ubi habet curam Ordinis; sed non cogere ad usum dispensationis: sicut (1) dominus vineae potest licentiare aliquem ut intret vineam, vel ne destruat cohibere, vel punire dissipatorem, sed non cogere ad ea utendum.

Sed iterum quaeritur: Numquid non possunt officiales in aliquibus facere contra constitutiones propria auctoritate sine alia dispensatione?

Respondeo: Omnia sine quibus non potest officium exerceri sunt eis commissa cum injunctione officii, et est dispensatum generaliter in iis cum illis. In aliis vero nihil possunt sine speciali dispensatione. Sed quia difficile est determinare quae sunt illa in quibus non potest officium exerceri, ideo propter bonum quilibet officialis debet accedere ad praelatum, cum de novo ponitur in officio, ut sibi determinet de hujusmodi licentiis voluntatem suam, et praelatus libenter debet eidem concedere licentias generales quas viderit expedire.

Sed iterum quaeritur: Si simplex frater, qui est sine officio, potest (2) in aliquo casu facere contra constitutionem, absque dispensatione?

---

(1) Cod. Vien.:... dispensationis. Sic dominus. — (2) Cod. Salm.:... quaeritur an.... possit.

Respondeo quod sic, in necessitatis articulo, ut comedere carnes; quia necessitas non est legi subjecta, maxime positivae.

Item, in articulo charitatis: non enim esset servandum silentium, cum verbo posset quis malum magnum impedire; nec fuit laudabilis religio cujusdam monialis, de qua dicitur quod dimisit se opprimi a leccatore in dormitorio, tacens ne frangeret silentium: quia cum observantiae inductae sint ob custodiam charitatis, non debent militare contra charitatem, sicut dicit Bernardus in libro praedicto.

Item, in casu ignorantiae, dummodo sit talis quae excuset a toto.

Tamen intellige quod in duobus primis casibus non est negligenda petitio licentiae, si possit haberi.

Deinde notandum circa quintum quod circa dispensationes cavenda est semper generalitas tam locorum quam personarum, quam etiam temporum, ne inducatur ex hoc consuetudo: (1) locorum, quia non esset securum quod Magister per totum mundum, vel prior provincialis per totam provinciam, super aliquo dispensaret; personarum, quia nec debet fieri cum toto conventu dispensatio nisi ex maxima (2) causa; temporum, quia dispensationes quae fiunt cum aliquibus non debent habere certum tempus, sicut fit apud illos qui semper ante initium quadragesimae solent aliquas recreationes habere dispensative; quod non est laudabile, quia jam ab aliquibus reputatur consuetudo, quamvis sit sola gratia. Propter hoc bene dicitur « aliquando, » quod importat tempus non solum partiale, sed etiam incertum.

Circa sextum, notandum quod dispensatio regulariter non debet procedere ex sola voluntate dispensantis, sed ex ratione. Unde B. Benedictus, quando relinquit aliqua dispensanda abbati, nunquam dicit: voluntati ejus relinquetur; sed prudentiae, vel arbitrio, vel hujusmodi, sicut dicit Bernardus in libro praedicto. Et hac de causa dicitur etiam hic non: cum suae voluntati placuerit, sed: « cum sibi videbitur expedire. » In quo notatur discussio rationis quae debet praecedere:

---

(1) Cod. Salm.: ne inducant ex hoc consuetudinem. — (2) Cod. Salm.: sine maxima causa.

et tunc dispensare potest, cum sibi vel propter necessitatem, vel propter utilitatem aliquam videbitur expedire.

Quia tamen non eadem facilitate circa omnia dispensandum est, subditur in quibus facilius sit dispensandum, et dicitur: **in iis praecipue quae studium, vel praedicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire.**

Tria dicuntur hic quae sunt ordinata ad invicem. Studium enim est ordinatum ad praedicationem; praedicatio, ad animarum salutem, quae est ultimus finis: de quibus per ordinem est dicendum.

VIII. De utilitate studii in nostro ordine.

Notandum ergo circa dispensationes causa studii, quod studium multa bona contulit et confert Ordini. Primum est praerogotiva quaedam excellentiae respectu (1) aliorum ordinum. Certum est enim quod altior est religio cum scientia quam sine scientia, (2) et ideo religio quae primo habuit studium cum religione reputata est (3) praeeminens quodammodo.

Aliud est acquisitio bonarum personarum. Multae enim bonae personae, propter amorem quem habent ad scientiam, nunquam intrassent, nec adhuc intrarent Ordinem, nisi fuisset apud nos studium; nec qui minus sufficientes intrant fierent ita bonae personae sine studio.

Aliud est devotio hominum. Majorem enim habent devotionem erga litteratos ad audiendum eorum sermones, ad confitendum eis, ad acquiescendum eorum consiliis, ad honorandum eos, et similia, quam erga simplices.

Aliud est custodia a malo. Inter omnia enim remedia contra tentationes, nullum est ita efficax sicut studium. Unde studium plus quam aliqua mandata, vel hortationes, vel aliud quodcumque, excepta gratia Dei, custodit fratres a malis. (4)

---

(1) Cod. Salm.: Primum quaedam excellentia respectu. — (2) Cod. Salm.: quam religio sine scientia. — (3) Cod. Vien.: ideo ordo qui.... reputatus est. — (4) Hic codici suo in margine ad pulcherrima ista verba addiderat Frater aliquis hoc S. Hieronymi egregium dictum: « Ama litterarum studia, et carnis vitia non amabis. »

Aliud est informatio interioris hominis. Religiones enim quae sunt sine scientia, maxime divina, licet habeant multas exteriores compositiones, tamen de interioribus moltoties modicam habent (1) informationem. Scientia vero divina ipsa est quae circa interiora instruit et informat, quod est valde utilius.

Aliud est evitatio peccatorum ignorantiae. Multi enim religiosi, licet nolint malum facere scienter, tamen ex ignorantia quandoque committunt simoniam, vel exteriorem, vel interiorem, vel alia quaedam mala, a quibus cavent litterati, et sciunt rectificare semetipsos in ipsis.

Aliud est utilitas ad alios. Sancta enim simplicitas solum sibi prodest; sed docta justitia non solum sibi, sed etiam aliis.

Aliud est debitum sustentationis. Nullus enim ita cum bona conscientia potest vivere de eleemosynis, sicut ille qui seminat spiritualia; nec alicui alii melius debetur sustentatio. Non possemus autem praedicare, nec consilia dare, nec confessionem audire, nec similia spiritualia seminare, nisi vigere studium apud nos.

Aliud est fortificatio ad melius Ordinem sustentandum et levius portandum. Litterae enim sunt quasi quaedam refectio confortans animam. Confortata vero anima potentior est ad labores.

Aliud est proficiendi occasio. Quanto enim plus cognoscit quis de Deo, tanto majorem habet occasionem diligendi eum, et serviendi ei.

Aliud est, est alleviatio taedii, quod incurrunt multi religiosi. Sunt enim Scripturae solatia et consolationes animae studenti.

Proinde timendum est illis qui studere non curant, et illis quorum negligentia perit studium: quia sicut haec et alia bona multa obvenerunt Ordini cum studio, ita pereunte studio recedent, et erunt isti causa periclitationis (2) Ordinis. Non sic est faciendum: quinimmo tanto zelo zelandum est studium, quod etiam relaxanda sunt aliqua de Ordinis rigore dispensative propter studium, non solum

---

(1) Cod. Salm.: tamen in interioribus certe modicam habent. — (2) Cod. Salm.: causa perditionis.

ne pereat, sed etiam ne impediatur. Hinc est quod cum lectoribus solet dispensari in cibis, in jejuniis, et in abstinentiis, ut sint fortiores ad studium; in remanendo a choro interdum, ut plus habeant de tempore ad studendum; (1) in loco sequestri, ut efficacius studeant, non impediti ab aliis, et a socio adjuti. Et haec duo ultima intellige ubi commode fieri potest, nec paucitas fratrum compellit ad contrarium.

Sed quaeritur, si lector habet vires tantas quod sufficiant ei ad studium et officium suum peragendum, numquid cum bona conscientia recipere potest dispensationes largas circa jejunia et abstinentias?

Respondeo quod si certum est quod sufficiant ei vires ad praesens, nec est causa probabilis dubitandi de futuro, videlicet quod occasione laboris praesentis minuantur ei notabiliter vires in futurum, dicendum est quod occasione officii non potest cum bona conscientia recipere dispensationes hujusmodi; nec cum bona conscientia possunt eidem fieri, nec compelli potest ad illas, nec obedire tenetur.

Item, si tempus quod indulgetur ad remanendum ab horis expendit lector in studio, vel in aliquo rationabili recreatione, ut sit habilior ad studendum, (2) potest cum bona conscientia recipere hujusmodi dispensationes: aliter non.

Item, si facit in loco sequestri sibi deputato insolentias notabiles, privandus est ista gratia: tolerabilius est enim laedi studium quam religionem. Porro circa illos qui sunt habiles ad studendum, et in studio sunt diligentes, faciendae sunt aliquae dispensationes, quamvis non tantae quantae fiunt lectoribus. Parcendum est enim eis a discursibus et officiis quibus notabiliter impediuntur a studio.

Item, interdum ab horis aliquibus, (3) si volunt in studio tunc morari.

Item, a jejuniis interdum: ita tamen quod comedant in refectorio cum novitiis, non extra, propter dissolutiones vitandas. In comedendis vero carnibus propter studium non dispensatur cum eis, quia

---

(1) Cod. Salm.: ad studium exercendum. — (2) Cod Salm. min.: ad studium. — (3) Cod. Salm.: aliquando.

cum sint multi, nimia laxitas ex hoc induceretur in Ordine. Circa baccalarios vero qui legunt extraordinarie, mediocritas est tenenda, ne ita largae fiant eis dispensationes sicut lectoribus, nec ita strictae sicut communibus studentibus.

IX. De excellentia praedicationis super alia opera.

Circa dispensationem causa praedicationis sciendum est quod praedicatio est opus fructuosius et excellentius inter omnia opera Ordinis. Quod sit fructuosius patet. Sunt enim quaedam opera quae solum operanti prosunt, ut jejunia, vigiliae et hujusmodi: (1) praedicatio vero non solum praedicanti, sed sibi et aliis prodest.

Item, inter ea quae prosunt aliis, quaedam sunt quae prosunt quoad temporalia et corporalia, ut est providentia procurationis, servitium infirmorum, et similia: sed haec prodest quoad spiritualia, quod majus est.

Item, inter ea quae prosunt in spiritualibus quaedam sunt quae prosunt solum (2) ad scientiam, quae parum valet ad salutem, ut doctrina, consilium, disputatio, studium: haec vero prodest quoad virtutem sine qua non est salus, quia ad hoc praedicatio ordinatur directe.

Item, inter ea quae prosunt ad salutem, quaedam sunt quae prosunt solum interioribus, ut contemplatio; quaedam quae prosunt in exterioribus, ut praelatio: haec vero prodest in interioribus et exterioribus.

Item, inter ea quae prosunt exterioribus quoad salutem, quaedam sunt quae uno actu uni solum prosunt, (3) ut auditus confessionum: haec vero uno actu junctim quamplurimis proficit.

Item, inter ea quae multis simul prodesse possunt, quaedam sunt quae multi facere possunt, ut sunt orationes et sacrificia: in praedicatione vero paucis datum est posse prodesse, et ideo magis est necessaria quam illa.

Item, licet orationes et alia quaedam Ordinis conferant ad sa-

---

(1) Cod. Salm.:.... patet: nam vigiliae, jejunia, et hujusmodi solum prosunt operanti. — (2) Cod. Salm.: quaedam prosunt solum. — (3 Cod. Salm.. quaedam in uno actu solum uni prosunt.

lutem, tamen paucis in comparatione ad illos qui per praedicationem salvantur. Per praedicationem enim totus mundus (1) subjugatus est Christo.

Item, licet per sacramenta salus conferatur, tamen praedicatio quodammodo efficacior est ad hoc: ipsa enim movet corda et praeparat; sacramenta vero non conferunt salutem nisi praeparatis.

Item, quod sit excellentior patet. Nullum enim est ita apostolicum in Ordine officium sicut praedicatio: quae autem apostolica sunt officia committuntur excellentibus personis.

Item, pro nullo alio officio expectatur tam excellens remuneratio, quia praeter auream debetur aureola praedicationi. Quis autem dubitat illud excellere, cui reservatur excellens remuneratio?

Item, valde est officium excellens in quo glorificatur Deus, sicut jubilatio ecclesiastica, quae similis est officiis angelicis: sed per praedicationem plus et melius glorificatur Deus quam per hujusmodi officium, quia per tale officium solum a clericis glorificatur, et interdum solum ore: per praedicationem vero et a clericis et a laicis; et non solum ore, sed ore, corde et opere.

Item, praedicatio excellit inter opera pietatis, quia secundum Gregorium non est magnum pascere ventres morituros, sed est magnum pascere mentes in aeternum victuras. Cum ergo opus pietatis reputetur excellens inter omnia bona opera, quam excellens est illud quod inter opera pietatis praecellit!

Item, Dei Filius mundum intrans et in mundo vivens nullum officium ita specialiter excercuit quantum istud. Quam excellens ergo factum est quod summa Excellentia sibi prae aliis assumpsit!

Item, angeli in mundo apparentes hoc officium exercent, annuntiantes nobis Dei voluntatem. Quid autem aliud est praedicare?

Item, praedicatores sunt os Dei, sicut habetur in Scriptura. Nullus autem actus hominis ita nobilis est sicut loqui, quia in hoc specialiter excellit homo bruta animalia. Ex quo patet quod praedicare, quod est actus oris, nobile est officium.

---

(1) Cod. Salm.: qui per praedicationem convertantur, per quam totus mundus.

Item, nullum alium actum ita decoravit providentia divina celsitudine miraculorum sicut praedicationem, quam confirmavit sequentibus signis, *Marc. 16;* et in hoc indubitanter multum sublimavit officium illud.

Quia ergo tam fructuosum et tam eccellens est opus illud, dixit Dominus discipulo dimittendam sepulturam patris propter evangelizationem regni Dei, *Matth. 8;* et Paulus non vacabat Baptismo, ut non impediretur in praedicatione, 1 *Cor. 1;* et Apostoli non ministrabant mensis, ut non relinquerent verbum Dei, *Act.* 6. Quanto magis sunt interdum relaxanda statuta et ordinationes humanae quaecumque praedicationem impediunt!

Sunt autem hujusmodi multa quae praedicationem impedire solent. Unum est praedicatoris circa alia occupatio, ut circa praelationes, et alia quae minus interdum valent.

Aliud est nimis districta correctio: sunt enim praelati quidam qui non sustinent in praedicatoribus suis illam inaequalitatem vitae sine qua vix fieri potest fructus magnus; sed exigunt ab eis conversantibus in mundo illam compositionem quae servatur in claustro, non attendentes quod melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens, *Eccli. 42.* Quod reputantes impossibile, deficiunt animo praedicatores interdum, et se retrahunt.

Aliud est nimia fatigatio. Coguntur enim interdum aliqui a praelatis in tantum praedicationi insistere, quod non habent tempus ad sibi vacandum aliquando, et ad quietem spiritus, ut fortiores resurgant: propter quod enervantur (1) interdum, et minoris efficaciae fit eorum praedicatio.

Aliud est indiscreta restrictio, videlicet cum nimis compelluntur praedicatores aliqui claustrum servare, sine rationabili causa.

Aliud est nimia oneratio circa claustralia opera, cum eis non indulgetur ut possint interdum ab aliquibus operibus conventualibus cessare, ad vacandum aliquibus (2) scripturis, vel aliis pro praedicatione expedientibus.

---

(1) Cod. Salm.: propter quod infirmantur. — (2) Cod. Salm.: causa vacandi aliquibus.

Aliud est incompetentis socii assignatio: multum enim impeditur praedicatio per socium de praedicatione non curantem, vel alias minus idoneum. (1)

Proinde praedicatoribus qui sunt honestae vitae et probatae, et evidenter in praedicatione fructuosi, dispensative parcendum est ab aliis occupationibus; sustinenda est in eis aliqua vitae inaequalitas non periculosa; dandum est eis interdum tempus ad recolligendum se, et sibi vacandum; cogendi non sunt ad diu residendum in claustro, et residentibus dandae sunt aliquae licentiae circa ea quae prosunt ad praeparandam praedicationem necessaria; non sunt onerandi sociis praedicationis officio minus aptis, ne praedicatio impediatur.

Sed quaeritur utrum cum illis qui sunt laudabilis vitae et conversationis, et in praedicando multum fructum faciunt, dispensandum sit in domo circa jejunia et abstinentias, ut hujusmodi recreationes suscipiant, ita facile sicut cum lectoribus, qui fortassis minus sunt idonei in legendo?

Respondeo quod non; et est ratio multiplex.

Prima est ex eo quod praedicationis efficacia maxime solet evenire ex gratia Dei, et ideo cavendum est illis ab hujusmodi recreationibus carnalibus quae frequenter elongant a gratia Dei.

Secunda est ex multitudine praedicatorum. Cum enim sint multi, si dispensationes hujusmodi fierent cum eis, nimia dissolutio induceretur in Ordine.

Tertia est ex necessitate lectionis: magis enim necesse est providere ne desint lectores quam praedicatores, quoniam lectores faciunt praedicatores, et non e converso. Unde deficientibus lectoribus, deerunt praedicatores.

---

(1) Hic abstinere non possumus quin hanc totam doctrinam commendemus sapientissimam non minus quam sanctissimam. Quia reformatores nonnulli media pro fine acceperunt, vel media ad finem ordinaverunt male ac imprudenter, hinc plerumque in fumum evanuerunt reformationes. Hanc caeterum Humberti doctrinam mirum in modum confirmatam invenies a D. Th. in opusculis de Vita religiosa, imprimis in opusculo *Contra impugnantes religionem,* cap. x. Cf. peregregiam horum editionem a P. Soldati procuratam, una cum D. Bonaventurae eodem de negotio opusculis, Romae, 1773. Quae utinam typis rursus ederetur!

X. Quibus modis praedicatio impeditur.

Notandum est autem quod interdum impeditur praedicatio ex culpa praedicatorum, interdum ex culpa praelatorum.

Ex culpa praedicatorum multis modis: interdum ex falsa humilitate, ut cum quis ex falsa humilitate reputans se minus dignum vel idoneum, non vult praedicare; interdum ex pusillanimitate, ut cum quis prae timore minus bene praedicandi, non vult se exercitare; interdum ex pigritia, ut cum quis propter laborem multum qui est in praeparando se ad praedicationem, non curat praedicare, praeparationis laborem refugiens; interdum ex tepiditate, ut cum quis est sine zelo ferventi animarum, et ideo non curat praedicare; interdum ex carnali timiditate, quia non vult sustinere inedias et multa gravia quae sustinent discurrentes in praedicatione; interdum ex vana gloria, ut cum nimis timet confusionem, quod non faceret nisi vanam gloriam amaret; interdum ex superbia, ut cum paucis et minoribus delignatur praedicare.

Item, ex culpa praelatorum impeditur interdum per eorum tepiditatem, cum magis curant de aliis quam de salute animarum, tanquam tepidi et sine zelo animarum; interdum ex pusillanimitate, cum nimis sunt timidi ad compellendum fratres ad praedicandum; interdum ex negligentia, quia non sunt solliciti quidam ad cogitandum et praevidendum loca, tempora, mores (1) et alia hujusmodi, quibus dispergendi sunt fratres ad praedicandum, et per quae magis possunt proficere. Si autem relaxanda sunt ea quae sunt Ordinis et sancta et justa, ne praedicatio impediatur, quantum corrigendi sunt fratres et praelati super hujusmodi culpis quae praedicationem impediunt!

Circa tertium notandum est quod licet praedicatio ordinata sit ad fructum animarum, tamen multis modis aliis fit fructus animarum, ut per confessiones, consilia, exhortationes, et hujusmodi: et ideo non est superfluum post dispensationem causa praedicationis addere de dispensatione causa fructus animarum, quia non solum in iis quae praedicationem impediunt, sed etiam in iis quae impediunt

(1) Cod. Salm.: modos.

alia per quae salus animarum procuratur facilius est dispensandum. Hinc est quod cum fratribus qui vacant confessionibus et consiliis animarum in domo dispensatur interdum ne teneantur ad aliquas horas canonicas dicendas in choro, sicut cum fratribus qui laborant in praedicatione dispensatum est generaliter in aliquibus jejuniis, et abstinentiis, et in proprietate officii; cum illis qui vadunt ad nationes pro salute gentium dispensatur etiam ut possint interdum habitum mutare, rasuras et tonsuras Ordinis quandoque dimittere, et in casibus multis comedere quae apud illos sunt.

XI. De impedimentis contra fructus animarum quae sunt contra Ordinem.

Notandum autem quod tria sunt impedimenta (1) fructus animarum, licet non sint contra Ordinem. Primum est quaestus: mundus enim avarus est, et refugit quaestores.

Secundum est officia odiosa, ut sunt inquisitiones, (2) visitationes et correctiones violentae, exactiones testamentorum, arbitrorum sententiae, ex quibus conturbatur frequenter hominum de-votio ad fratres.

Tertium est nimia austeritas in consiliis et opinionibus: terrentur enim ex hoc homines in tantum ut salutem negligant.

Proinde est parcendum fratribus qui fructuosi sunt in operanda salute animarum a necessitate quaestus notabilis, qui homines elongat ab eis; fugienda sunt omnibus supradicta officia odiosa, licet sint alicujus fructus, propter impedimentum majoris boni; relaxanda est quantum fieri potest austeritas, et agendum est benigne cum hominibus, quia sic melius trahuntur ad salutem, cum sententiae mitiores tenentur.

Item, sunt tria quae non sunt secundum Ordinem, quae magis impediunt.

Primum est minus honesta conversatio eorum qui circa salutem animarum laborant. Haec enim destruit quidquid dicunt.

Secundum est infamatio fratrum sive justa sive injusta, quia ita creditur falsum interdum ut verum.

---

(1) Cod. Vien.: Notandum quod tria sunt quae sunt impedimenta.... — (2) Istud notent Inquisitionis historici.

Tertium est inepta ruditas. Sunt enim quidam qui prae ruditate quadam nesciunt se reddere amabiles hominibus, nec volunt se conformare eisdem, cum tamen Paulus omnibus omnia fieret, adeo ut cum illis qui erant sine lege, 1 *Cor. 9,* quasi sine lege esset, ut omnes lucrifaceret.

Proinde laborandum est summopere ne conversatio minus bona destruat verborum efficaciam salutarem; servanda est cum summa diligentia fama Ordinis, et infamia praecavenda; assuescendum est cum hominibus amicabiliter conversari, et eisdem se quodammodo conformare in iis quae reprehensibilia non sunt, ne salus animarum impediatur.

Haec est enim tanti pretii quod propter eam Divinitas est incarnata, et quidquid gessit in homine Deus-Homo totum reducitur in hunc finem.

Haec est propter quam omnes spiritus angelici fiunt administratorii, et mittuntur ad ministrandum in salutem animarum.

Haec est in cujus comparatione totus mundus pro nihilo est reputandus: (1) quid enim prodesset homini si totum mundum haberet, (2) cum animae suae modico detrimento? *Matth. 16.*

Haec est propter quam Deus fecit ab initio omnia mirabilia quae facta sunt in mundo, sive sint contra naturam, sive supra naturam. Ad quid enim facta sunt, nisi ut crederent omnes homines in eum, et credentes salvi fierent?

Haec est propter quam operandam misit Amator animarum in mundum viros sanctos, prophetas, apostolos, et alios excellentiae mirabilis, et usque ad finem mittere non cessabit.

Haec est propter quam scripturas excellentes et mirabiles imperavit scribendas.

Haec est propter quam sacramenta mirabilia et gratiis plena instituit.

Haec est propter quam a claustris recedunt sine peccato electi in episcopos, ut eam efficacius operentur.

---

(1) Cod. Vien.: mundus nihil est reputandus. — (2) Cod. Salm.: quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur....

Haec est propter quam operandam in proximo vitam tenemur exponere corporalem.

Haec est quam Deus requiret a quolibet de quolibet proximo in die judicii extremi, si circa eam se habuerit negligenter. Quid ergo mirum si sunt aliqua statuta humana relaxanda pro tempore, cum salutarem fructum impediunt animarum? Bene ergo dicitur quod in iis « quae studium, vel praedicationem, vel fructum animarum » impediunt facilius dispensatur.

Hujus autem causa specialis subjungitur, cum subinfertur: **cum Ordo noster specialiter ob praedicationem et animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse.**

XII. Propter quid Ordo principaliter fuit institutus.

Quod enim propter aliquid institutum est non debet contra illud militare, sicut dicit Bernardus, in libro *De praecepto et dispensatione,* in simili casu dicens quod cum observantiae ordinum statutae sunt propter charitatem, non debent militare contra charitatem. Eadem ergo ratione statuta Ordinis non debent sic servari rigide quod illud impediant (1) propter quod Ordo principaliter est institutus

Et notandum quod licet aliae multae causae possunt assignari institutionis hujus ordinis, quae reperiuntur apud alios ordines, tamen illa quae hic tangitur est specialis, et ideo bene dicitur hic: « specialiter. »

Sed videtur quod magis specialis fuerit causa fidei defensio quam praedicatio, sicut habetur in *Legenda* beati Dominici.

Respondeo: Fidei defensio fuit initium movens ad cogitandum de statuendo talem ordinem; sed cum statutus fuerit auctoritate Ecclesiae, amplificata fuit intentio, ut non solum statueretur ob fidei defensionem, sed generaliter ob praedicationem, et ideo bene dicitur: « ob praedicationem. »

Non solum autem institutus est ob salutem ingredientium; sed etiam communiter animarum: in quo excellit alios ordines, cum ipsi

---

(1) Cod. Salm.: impediatur.

statuti fuerint solum ob salutem ingredientium; et ideo bene dicitur: « ob salutem animarum » communiter.

Differunt autem isti duo fines, quia unus, scilicet praedicatio, est sub alio, scilicet salute animarum.

Item, primus est magis proprius, secundus magis communis.

Ex quo colligitur quod ordo iste juste vocatur Praedicatorum. Sunt enim ordines aliqui qui trahunt nomen a principali domo, sicut a capite, ut ordo Cisterciensium, quasi a causa efficiente. Sunt alii qui trahunt a conditionibus personarum, ut ordo Fratrum Minorum, quasi a causa materiali. Sunt alii qui trahunt a modo vivendi, ut ordo Trinitatis, eo quod bona sua dividunt in tres partes, quasi a formali causa. Sed ordo noster trahit (1) nomen suum a fine: melius enim nominatur unaquaeque res a suo fine quam ab alio, sicut regula, licet aurea et ab optimo artifice facta et rectissima, tamen melius trahit nomen a fine qui est regulare, quam a materia, vel artifice, vel forma.

Hinc patet quod valde sunt reprehensibiles fratres qui se vocant, vel vocari permittunt fratres S. Jacobi, vel S. Nicolai, (2) vel hujusmodi nominibus; et magis reprehensibiles praelati qui circa istum errorem consilium non apponunt. Ex hoc enim accidit quod in diversis locis diversorum ordinum reputantur esse fratres diversi propter diversa nomina. (3)

Item, accidit quod in multis nationibus nondum scitur esse aliquis Ordo Fratrum Praedicatorum.

Item, accidit quod sepelitur nomen tam gloriosum, quod etiam Dei spiritu, quo locuti sunt Scripturarum expositores, seu conditores, pronunciatum est, et praedictum in expositionibus Scripturarum multarum. (4) Unde, 3 *Reg.* 10, super illud verbum: (5) Leunculi stantes

---

(1) Cod. Vien.: Sed iste trahit. — (2) Quo nomine vocabantur fratre S. Jacobi Parisiensis; vel S. Nicolai Bononiensis. — (3) τὸ « Ex hoc.... nomina » ex cod. Salm. — (4) Sequentes Scripturarum auctoritates et interpretamenta in codicibus libri *De Vitis Fratrum* plerumque leguntur. Unde colligendum erit istius libri eos codices antiquiores esse quibus ista nondum fuerint invecta. — (5) Hic et infra in cod. Salm. habetur quasi perpetuo « super illo verbo » pro « semper illud verbum. »

super sex gradus throni Salomonis hinc atque inde, *Glossa* Rabani: Ordo praedicatorum.

Item, 3 *Reg. 4,* super illud verbum: Regis praefecti, *Glossa* Rabani: Ordo sanctorum praedicatorum; in *Interlineari.*

Item, super illud verbum: Umbilicus tuus sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis, *Cant. 7,* Augustinus: Ordo praedicatorum; in sermone: *Hodie virginale decus.*

Item, *Eccli. 10,* super illud verbum: Utilem rectorem in tempus suscitabit super illam, *Glossa:* Ordinem praedicatorum.

Item, *ejusdem 38,* super illud: Sic faber ferrarius, *Glossa:* Ordo praedicatorum.

Item, *Eod. 38,* super illud: Sic figulus sedens ad opus suum, *Glossa:* Ordo praedicatorum.

Item, *Amos, in fine,* super illud: Comprehendet arator messorem, et calcator uvae mittentem semen, *Glossa:* Per hos omne signatur ordo praedicatorum.

Item, *Matth. 4,* super illud: Vidit duos fratres, *Glossa:* Unitatem fraternae dilectionis, sine qua nullus in ordine praedicatorum admittitur.

Item, *Luc. 14,* super illud: Misit servum suum hora coenae, *Glossa:* Gregorius: (1) Ordinem praedicatorum.

Item, Bernardus in *serm. de S. Andrea:* Fluvius est praedicatorum Ordo.

Item, super *Jer. 33, Glossa:* Rabanus: Abdemelech servus regis interpretatur, scilicet Domini Dei, cui ordo praedicatorum digne servit.

Item, *Eccli. 50,* super illud verbum: In accipiendo stolam gloriae, quod dicitur de omni sacerdote, *Glossa:* Ordo praedicatorum, accipiendo stolam gloriae, et vestiendo se consummatione virtutum, indicium dignitatis suae, ornatum fidei, et vestitum bonae operationis demonstrat.

Item, 1 *Paral. 20,* super illud: Congregavit Joab exercitum, etc., *Glossa:* Bellum inchoat, cum praedicatorum ordo contra potestates scutum fidei opponit.

---

(1) Cod. Salm.: dicit Gregorius in homilia.

Item, *Ezech. 2:* Ecce manus immissa ad me, in qua liber, etc., Gregorius: Per Ezechielem ordo praedicatorum; per librum, Scriptura. *Esther. 2:* Quod Mardochaeum non latuit, (1) *Glossa:* Ordinem praedicatorum.

Ex quibus patet quod non solum officia ordinis praedicatorum per illorum proprietatem quibus est designatus in sanctis Scripturis praemonstrata fuerunt, sed etiam claret per spiritum expositorum auctoritas hujus nominis, quod per proprietatem vel appropriationem convenit ordini nostro. Et ideo non est sepeliendum, sed potius authenticandum ubique.

Notandum est autem quod studium non est finis Ordinis, sed summe necessarium est ad fines praedictos, scilicet ad praedicationes, et animarum salutem operandam, quia sine studio neutrum possemus; (2) et ideo ita dispensandum est in iis quae studium impediunt sicut in iis quae praedicationem vel animarum salutem, praecipue cum studium nostrum ad hoc sit ordinatum, et ad hoc dirigi debeat. Unde sequitur: **et studium nostrum ad hoc debeat principaliter intendere** (3) **ut proximorum animabus possimus utiles esse.**

Et attendendum est secundum Bernardum quod quidam student ut sciant, et turpis curiositas est; quidam ut sciantur, et turpis vanitas est; quidam ut scientiam vendant, et turpis quaestus est; quidam ut proficiant, et prudentia est; quidam ut alios aedificent, et charitas est. Et tale debet esse studium nostrum, secundum quod hic dicitur.

Sed videtur quod principaliius debeamus studere propter utili-

---

(1) Cod. Salm.: exaltat Mardochaeum. - Habes ex ista textuum serie argumentum unde intelligas quonam studio investigarent Patres nostri Scripturarum sensus et interpretationes. — (2) Cod. Salm.: neutrum illorum possumus. — (3) Ita ex Cod. auth. Liturgiae nostrae. Codd. Salm. et Vien. hic et infra: attendere.

tatem animarum nostrarum quam proximorum, quia plus tenetur quilibet diligere se quam alium, et ita falsum est quod hic dicitur, scilicet quod principaliter debet intendere studium nostrum proximorum utilitati.

Respondeo: Modica scientia sufficit cuilibet ad salutem propriam; sed non sufficit modica ad alios docendum, et ideo principalius est statutum studium in Ordine propter proximorum utilitatem quam propter propriam; et ad illud propter quod statutum est principaliter debemus ipsum dirigere. Nec est necesse quod propter hoc quod nos plus debemus diligere quam alios, ideo plus nobis studeamus quam aliis proximis, quia non est necesse quod in omni actu plus intendat homo utilitatem suam quam proximi, licet plus semper teneatur se diligere, sicut patet in docendo, in sacramentorum ministratione, et similibus; sicut et in multis negotiis saecularibus plus intendit quis utilitatem alienam quam suam, licet se plus diligat quam alios.

XIII. Utrum possimus studere in philosophia

Sed iterum videtur ex hoc quod hic dicitur quod debemus studere propter utilitatem animarum quod non debeant studere fratres philosophicis studiis, quae parum conferunt animabus; sed solum in Scripturis, quae conferunt ad aedificationem fidei vel morum, vel valent ad danda consilia salutaria, et similia.

Respondeo: Multi impugnant et impugnaturi sunt fidem catholicam per philosophiam, et ideo expedit sciri quaedam apud philosophos, ut fides (1) melius defendatur, sicut expedit scire haereses propter idem.

Item, multi errores sunt apud eos, et etiam alibi, qui per quasdam eorum veritates confunduntur.

Item, multa sunt in libris divinis, sicut in *Job.* et in aliis multis, et in *Glossis,* et in scripturis sanctorum, quae non possunt intelligi sine philosophicis scientiis.

Item, per hujusmodi scientias acuitur ingenium ad melium penetrandum divina.

---

(1) Cod. Salm.: expedit scire illam ut fides....

Item, multa sunt apud eos quae multum conferunt ad corroborationem fidei et veritatis christianae.

Item, multi quandoque plus moventur ad bonum ex quibusdam quae sunt in illis scientiis, quam ex illis quae sunt in divinis Scripturis.

Item, multi contemnuntur interdum ab aliquibus, quis ista ignorant.

Item, multi qui illa non noverunt interdum majora aestimant illa quam postquam noverunt, et ex notitia magis illa contemnunt, et praeferunt scientiam divinam philosophicis scientiis. (1)

Valent ergo philosophicae scientiae ad fidei defensionem, ad errorum destructionem, ad sanctarum Scripturarum intellectionem, (2) ad ingenii acuitionem, ad fidei adjutorium, ad cordium commotionem, ad evitandum Ordinis contemptum, ad scientiarum illarum contemptum. Proinde non sunt omnino contemnendae.

Sed (3) nec aequaliter sunt ab omnibus sectandae vel appetendae philosophicae scientiae.

Sunt enim quidam profundae capacitatis et magnae aptitudinis ad hujusmodi scientias capiendas, et de quorum scientia, concurrente religione, fructus magnus expectatur; et in istis tolerabile est si dant operam ad habendam majorem plenitudinem scientiarum hujusmodi.

Sunt alii de quorum studio, licet fructus speretur, tamen non tantus: etiam istis sufficere debet habere qualemcumque notitiam aliquorum quae sunt in illis scientiis necessaria propter Scripturam sacram.

Sunt alii de quorum scientia (4) non speratur fructus nisi circa simplices, quibus haec omnino sunt inutilia: et istis non est curandum de hujusmodi scientiis.

Item, secundum varietates illorum inter quos conversantur vel conversaturi sunt fratres, plus vel minus est curandum de illis scien-

---

(1) Cod. Salm.: et praeferunt divina philosophicis. — (2) Cod. Salm.: intelligentiam. — (3) τὸ « Sed » ex cod. Salm. — (4) Cod. Salm.: studio. - Inde habes solitam apud nos distinctionem studentium *formalium* et *materialium*.

tiis, videlicet cum causae supradictae utilitatis scientiae philosophicae plus vel minus concurrunt.

Patet ergo ex iis quod hujusmodi studium conferre potest utilitatibus animarum.

Item, sciendum est quod studere volenti utilitatibus proximorum non oportet studere in multis, sed in utilibus, facilibus, efficacibus, competentibus modis: utilibus, ut in omni studio suo respuat inutilia, et utilia eligat; facilibus, ut subtilia et obscura dimittens, facilia et capacia proponat audientibus; efficacibus, ut rationibus, et exemplis, et auctoritatibus magis efficacibus utatur; competentibus modis, ut secundum varietatem statuum diversorum praedicator magis studeat circa bonum modum dicendi quam circa dicenda, cum ex modo dicendi magis fructus dependeat quam ex dictorum substantia. (1)

Sequitur: **Priores etiam utantur dispensationibus, sicut alii fratres.**

Dictum est circa dispensationem quod possit dispensari circa constitutiones, ibi: « Ad haec tamen; » dictum etiam est circa quas facilius, ibi: « in iis praecipue; » dictum est iterum de causa hujus facilitatis, ibi: « cum ordo noster: » hic agitur de extensione dispensationis, quia non solum ad inferiores, sed etiam ad superiores extenditur; sed (dispensatur) cum inferioribus per praelatos, cum superioribus per istam constitutionem.

Et notandum quod quidam sunt praelati qui mitius secum agunt quam cum subditis; hoc est videmus quosdam (2) praelatos indui pulchrius, cubare mollius, epulare splendidius, laborare parcius, loqui licentius, orare rarius: et hoc est vituperabile.

Sunt alii qui durius secum agunt, et sunt in laboribus plurimis, exemplo Apostoli, 2 *Cor.* 11: et hoc est laudabile.

Sunt alii qui aequaliter secum et cum aliis agunt, et sunt quasi unus ex fratribus: ex hoc est tolerabile; et ideo non dicitur

---

(1) De quo egregium exemplum reliquit Humbertus in suo *De modo prompte cudendi sermones.* — (2) Cod. Salm.:... subditis: videmus enim quosdam.

hic: plus quam alii fratres, quia ad hoc non sunt cogendi, sed « sicut alii fratres, » quod est medium inter illa duo.

Sed numquid non oportet quod in loquendo, et in aliis quibusdam, plus secum dispenset praelatus quam cum aliis?

Respondeo quod sic. Sed quod fit cum ratione justa non reputatur plus, quia si eadem causa esset in aliis, ita large dispensaret cum aliis: sed plus dicitur excessus sine causa majori.

Sequitur: **Ut igitur unitati et paci totius Ordinis provideamus, volumus et declaramus ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam, sed ad poenam, nisi propter praeceptum, aut contemptum.**

Apud Praemonstratenses, et in Constitutionibus traditis ab initio, (1) et antequam ista constitutio esset facta, dicitur ita: « Eapropter ut unitati et paci totius Ordinis provideamus, librum istum conscripsimus, » etc. Et est melior continuatio sequentium cum praecedentibus, sicut patet diligenter conferenti. Sed quando facta fuit ista constitutio, non fuit apposita cura diligens ubi insereretur, dummodo scripta esset, sicut factum est de multis aliis; et inserentes interruperunt continuationem praedictam. Potest tamen aliter reddi ratio hujus constitutionis, et dicitur quod hic accipitur « igitur » pro: autem, ut sit sensus: « Ut igitur, » id est: ut autem unitati et paci, etc. Et tunc est bona sententia; per istam enim constitutionem provisum et unitati Ordinis quoad discordiam, quae erat ante inter fratres, cum alius dicebat quod obligabant constitutiones ad culpam, alius dicebat quod non.

Item, provisum est paci quoad conscientias quae turbabantur non modicum ante ex scrupulis infinitis quae nascebantur in conscientiis eorum, ex timore peccandi occasione (2) obligationis constitu-

---

(1) Id est in *Constitutionibus* a B. Jordano editis an. 1228, in Capitulo Generalissimo. Has et nos, Deo dante, edituri aliquando sumus in *Collectione Capitulorum Generalium*, etsi editionem earumdem curaverit cl. P. Denifle, aliquot abhinc annis. — (2) Cod. Salm.: ratione.

tionum. Vel potest dici quod istud « igitur » respicit illud quod superius dictum est de unitate quam habere debemus, ut sit sensus: secundum supradicta debemus habere unitatem; sed turbatur unitas cum alius dicit quod constitutiones obligant ad culpam, alius dicit quod non obligant: « Ut igitur unitati et paci provideamus, volumus, » etc.

Sed quaeritur cur, postquam dictum est: « volumus, » additum est: « et declaramus? »

Respondeo: Antequam scripta esset illa constitutio, memini me audivisse a majoribus quod haec erat intentio Ordinis, scilicet quod non obligarent ad culpam constitutiones. Unde Beatus Dominicus in capitulo Bononiensi ad consolationem fratrum pusillanimium dixit quod etiam regulae non obligant semper ad peccata: nam si hoc crederetur, ipse vellet ire semper per claustra, et omnes regulas cum cultellino suo delere. (1) Dixit mihi frater qui audivit. Dicuntur autem duo, scilicet « volumus, » ut si ante obligabant, jam non obligent; item « declaramus, » ut si ante non obligabant, per constitutionem hoc explanetur omnibus manifeste.

XIV. De quibusdam quaestionibus circa obligationem ad culpam vel ad poenam.

Sed numquid intentio instituentium poterat tunc facere vel adhuc faceret in aliis ordinationibus quod non obligarent ad culpam, si super hoc non esset constitutio?

Respondeo: Credo quod sic, quia in mandatis et statutis maxime attenditur intentio voluntatis mandantis vel statuentis. Unde si nullo modo vult ita obligare quod surgat (2) ex trangressione peccatum, nullo modo ex transgressione sola incurretur peccatum.

Sed ponatur quod ab initio fuerit intentio quod obligarent ad culpam, numquid sequentes poterant statuere mandatum contrarium, et absolvere fratres a tanta obligatione?

Respondeo quod sic, quia cum fratres profitentur secundum constitutiones Fratrum Praedicatorum, vage accipitur hoc nomen

---

(1) Quis non miretur hanc Sanctissimi Patris prudentiam? — (2) Cod. Salm.: quod committatur.

« constitutiones, » et respicit tam praeteritas quam futuras, unde servant promissionem factam, dummodo servent constitutiones quae fiunt pro tempore.

Item, nota quod non solum nos habemus hujusmodi constitutionem, sed etiam Praemonstratenses, et dicuntur (1) eam accepisse a nobis, et non habuisse ab antiquo.

Sed videtur quod sit iniqua, quia nullus debet (2) puniri sine culpa. Quo jure ergo puniretur qui non peccat? (3)

Respondeo: Verum est quod (4) poena non debet infligi sine culpa nolenti; sed volens bene potest obligare se ad (5) poenam sine culpa. Et sic faciunt Fratres qui voluntarie se subijciunt huic legi.

Sed iterum videtur quod sit indiscreta. Videtur enim quod per hoc laxentur habenae fratribus ad minus servandum Ordinem.

Respondeo: Si aliquis occasione hujus constitutionis minus vellet servare Ordinem, non evaderet culpam contemptus. Cum ergo constitutio ista non excuset contemnentem a culpa, non laxat habenas ad Ordinis transgressionem.

Praeterea per experientiam probatum est (6) quod ea quae incurruntur ex fragilitate ita bene caventur timore poenae, sicut timore culpae, maxime a communitate fratrum quae non est in culmine perfectionis, sicut patet in silentio mensae.

Si autem dicatur quod melius caveretur transgressio Ordinis ratione utriusque, scilicet timore culpae et poenae, dicendum est quod melius caveretur a quibusdam: sed bonum quod sequitur ex hoc quod constitutiones non obligant ad culpam, et malum quod praevalet illi adjutorio quod daret timor culpae timori poenae ad declinandum transgressionem istam ex obligatione ad culpam, si obligarent, sequeretur multitudo peccatorum quae committerentur a negligentibus, et gravitas peccatorum a scrupulosis. Gravius enim peccarent quam requireret obligatio, propter scrupulosas (7) conscientias interdum, et

---

(1) Cod. Salm.: dicunt. — (2) Cod. Salm.: sed videtur quod obligent ad culpam: nullus enim debet. — (3) Cod. Salm.: qui non habet culpam. — (4) Cod. Salm.: Respondeo quod.... — (5) Cod. Salm.: obligari ad. — (6) Cod. Salm.: probatur. — (7) τὸ « scrupulosas » ex cod. Salm.

ita fierent plures et graviores transgressiones contra ordinem Dei, qui est declinare a malo et facere bonum.

Si autem a praeceptis cavendum est ne detur occasio peccati, eadem ratione cavendum est ab hujusmodi constitutionibus, quae sunt occasio multitudinis et aggravationis peccatorum. Et tolerabilius est quod humanus ordo in aliquibus levibus violetur quam ordo divinus.

Item, acceptius est Deo multoties cum quis facit pro eo illud ad quod non tenetur, quam illud ad quod tenetur, sicut patet in praeceptis et censiliis. Ex hoc ergo quod non obligant constitutiones, servantes videntur magis vereri: et ita sequitur ex hoc major cumulus meritorum in Ordine.

Item, si obligarent constitutiones, multi videntes quod quasi impossibile esset hujusmodi praecavere peccata, cum incurrerentur (1) ex negligentia, fragilitate, ignorantia, quae vix possunt caveri, (2) caderent in contemptum, et audacius ipsius Ordinis statuta transgrederentur. (3)

Item, multi timentes hujusmodi obligationes, retraherentur ab Ordinis ingressu.

Item, retraherentur fratres a faciendis constitutionibus, etiam utilissimis pro Ordine, propter timorem obligationis ad peccatum, quod esset Ordini damnosum non modicum.

Item, multi perderent pacem conscientiae, et essent in continua amaritudine, propter hujusmodi peccata minuta.

Item, essent hujusmodi levia peccata habilitantia ad majora, et occasio ruinae multis fierent.

Ergo propter talem obligationem multa peccata committerentur in Ordine, (4) et bona multa minoris essent meriti, Ordo ipse minus a multis servaretur, plures timerent Ordinem ingredi, constitutiones utiles fieri impedirentur, pax conscientiarum amitteretur, daretur occasio ad ruinam majorem: et sic sequerentur plura mala ex illa obli-

---

(1) Cod. Salm.: peccata cavere quae incurrerentur. — (2) Cod. Salm.: fugi. — (3) Cod. Salm.: frangerentur. — (4) Cod. Salm.: fierent plurima peccata in ordine.

gatione quam bona. Non enim videtur posse sequi bonum ex illa obligatione, nisi hoc solum quod a quibusdam timoratis Ordo melius servaretur.

Non est igitur tantum bonum quod sequeretur ex illa obligatione, sicut malum quod declinatur et bonum quod sequitur ex contrario.

Sed iterum videtur quod sit in dejectionem Ordinis. Fortior enim videtur et arctior ordo cujus constitutiones obligant, quam alius cujus constitutiones non obligant: et ita per hanc constitutionem nimis minoratus et levis videtur factus ordo noster.

Respondeo: Si duo onera sint ejusdem ponderis, et portentur a duobus, quorum unus tenetur ad portandum, alter non, tentio (1) ad portandum nihil facit ad oneris gravitatem: ita et hic. Obligatio enim nihil facit ad gravitatem ordinis. Et est simile in implentibus consilia: tantum enim oneratus est qui implet consilia sine voto, quantum ille qui cum voto. Propterea non est concedendum quod non simus obligati ad constitutiones: sumus enim obligati; sed differenter a quibusdam aliis. Si enim se obligat aliquis ad portandum onus aliquod, ita quod in nullo casu deponat, nec per lapsum pedis, nec alio modo, insipienter se obligat. Si quis autem obligat se ad portandum bona fide, et quod scienter vel fraudulenter non deponet, sapienter se obligat. Sic obligati sumus nos qui ex contemptu non debemus contra facere, etsi quandoque ex subreptione (2) contra faciamus: hoc non est in Ordinis dejectionem, sed potius in laudem et gloriam; quia quanto sapientius fit aliquid, tanto laudabilius fit

Sciendum tamen quod multorum opinio est quod expedivisset istam constitutionem non fuisse scriptam, (3) et expediret modo deleri, (4) quamvis aliorum sententia per ea quae dicta sunt rationabilior videatur.

XV. In quibus casibus faciendo

Deinde quaeritur utrum si non fuisset provisum per Ordinem quod constitutiones non obligarent modo

(1) Scil.: obligatio qua *tenerentur*. — (2) Scil. agendo ante deliberationem. Cf. infra, p. 51. — (3) Cod. Salm.: expedivisset si ista constitutio non fuisset scripta. — (4) τὸ « deleri » ex cod. Salm.

contra regnlam vel constitutionem est peccatum.

supradicto, fratres faciendo contra semper peccarent in omni casu. Et est eadem quaestio de religiosis aliis qui non habent hanc constitutionem, et eadem de iis quae fiunt contra regulam.

Respondeo: Sicut in iis quae proponuntur nobis in lege divina, quaedam sunt quae adeo obligant quod transgrediendo ea quis peccat mortaliter; quaedam quae transgrediendo, venialiter; quaedam quae transgrediendo, nullo modo, quia sunt solum incitationes: ita aestimandum est in regulis et statutis, quae viri spiritum Dei habentes tradiderunt, esse quaedam quae non intenderunt sic tradere ut semper obligarent ad culpam. (1) Quis enim audeat dicere quod sanctus Augustinus, plenus discretionis spiritu, intenderit obligare ad domandum carnem jejuniis quantum valetudo permitteret, et non solum ad hoc incitare? Et sic in aliis multis. Quae autem obligent, et quae non, in spiritu discretionis cognosci potest, (2) et ex ratione consideranti quae dicuntur, et qualis praesumenda est intentio dicentium, et ex iis quae alibi dicuntur; sicut accidit etiam circa haec quae in lege dicuntur divina.

Item, circa illa quae obligant quoquo modo sciendum est quod quaedam sunt quae excusant a positivis, ut justa necessitas a jejunio.

Item, ignorantia rationabilis a multis, cum ea licet ignorare.

Item, charitas, cum occurrit casus in quo positivum aliquid est contrarium charitati: neque enim tenendum est silentium, ubi verbo potest aliquod peccatum impediri, ut supra dictum est. In iis casibus, et si qui sunt alii qui in hujusmodi de jure soleant excusare, non peccarent fratres faciendo contra regulam.

Sed sunt alii multi casus in quibus non peccant faciendo interdum contra constitutiones: peccarent tamen quoquo modo, si constitutiones omnes obligarent ad culpam, vel aliquae, faciendo contra illas quae obligarent.

Unus casus surgit ex infirmitate corporis mediocri, sicut si aliquis propter gravamen aliquod corporis, quod tamen omnino non impedit, minus profundas facit inclinationes.

---

(1) τὸ « ad culpam » ex cod. Salm. — (2) Cod. Salm.: possunt.

Alius ex pronitate ad aliquid contrarium constitutioni, sicut cum aliquis ex aliqua pronitate quam habet ad loquendum minus plene servant silentium, (1) et de hoc ipso dolet.

Alius ex subreptione, sicut cum aliquis, ante deliberationem prorumpit in aliquid contra constitutionem.

Alius ex bona intentione, sicut cum aliquis ne scandalizetur aliquis extraneus, loquitur interdum eidem (2) sine licentia, non reputans quod hoc debeat praelatis displicere.

Alius ex negligentia acediae, quae, sicut dicit Bernardus, in libro *De praecepto et dispensatione,* est languor inertiae, sicut cum quis minus diligenter facit aliquid quam sit statutum.

Alius ex pigritia naturali, sicut cum quis tarde surgit audito signo, ex quadam gravitate. In iis et similibus, dummodo contemptus non admisceatur, faciendo contra constitutiones non peccant fratres. Et hoc intellige: dummodo circa puram constitutionem contingant isti casus. Nam si est ex negligentia circa divinum officium, et in aliis quibusdam, quae non sunt pure circa constitutionem, potest ibi (3) esse peccatum. Similiter in aliis casibus.

Si autem constitutiones obligarent ad culpam, essent qualiacumque peccata in iis, sicut plane habetur in libro Bernardi *De praecepto et dispensatione,* ubi dicit quod transgressio mandati superioris, etiam ex oblivione facta, est peccatum. Et iterum *ibidem* dicit: Neglectus semper est culpabilis.

XVI. Utrum admonitiones et consuetudines obligent ad culpam.

Postea quaeritur utrum admonitiones quae fiunt a capitulis vel praelatis obligent ad culpam?

Respondeo: Admonitio quantum est ex natura sui, non obligat; sed ex contemptu potest obligare: non enim sine culpa potest esse quod aliquis contemnat exhortationes majorum illorum quibus obedire tenetur.

Item, quaeritur utrum consuetudines obligent ad culpam?

---

(1) Cod. Salm.: sicut in locutione est quis pronus minus servat silentium. — (2) Cod. Salm.: sicut cum quis loquitur cum extraneo, ne scandalizetur. — (3) Cod. Vien.: Nam ex negligentia circa divinum officium et in aliis quibusdam non est pure circa constitutionem, et potest.

Respondeo quod non, tum quia cadunt sub constitutione, ut supra ostensum est; tum quia intentio approbantium consuetudines non creditur fuisse quod plus obligarent quam constitutiones. Idem dicendum est de utrisque.

Item, quaeritur utrum injunctiones simplices, quae fiunt interdum, obligent ad culpam?

Respondeo quod sic. Differunt enim injunctio et admonitio in hoc quod admonitio est quasi incitatio ad bonum, et ideo pertinet non solum ad superiorem, sed etiam ad parem, immo et ad inferiorem: (1) et ideo de suî natura non obligat; injunctio vero est impositio alicujus faciendi, vel non faciendi, ab eo qui potestatem habet in alium, sicut quando injungitur aliqua oratio a capitulo vel a praelato, vel alia hujusmodi. Et ideo transgrediens injunctionem peccat.

Sciendum tamen quod cum in actis capitulorum praemittitur hujusmodi titulus: « Istae sunt admonitiones, » omnia quaecumque continentur sub illo titulo virtute talis tituli reputanda sunt solum admonitiones, sub quacumque forma verborum proponantur.

Sed iterum quaeritur, secundum quod dictum est supra, praelatus non potest dispensare in admonitionibus majorum, nisi forte in casibus concessis in illa constitutione quae dicit quod Magister vel provincialis non mutent acta capitulorum, nisi in spe ratihabitionis? Item, secundum quod hic dicitur, non sunt contemnendae quin serventur: quid ergo fiet, cum occurrerit casus in quo bene servari non potest aliqua admonitio, et expedit dispensari, nec habetur copia illius qui potest dispensare?

Respondeo: In hujusmodi casibus, quia probabiliter creditur quod intentio admonentis vel admonentium non debeat esse servari admonitionem in tali casu, potest fieri sine dispensatione aliqua contra admonitiones; nec peccatur, quia non est aliquis contemptus in hoc casu: admonitio autem non ligat nisi in contemptu. Verbi gratia, emanavit aliqua admonitio quod nulla mulier permittatur pernoctare in ecclesia fratrum. Transit regina Franciae, et habet devotionem

(1) Cod. Salm.: ad parem et minorem.

ad Beatum Dominicum, in cujus honorem est fundata ecclesia fratrum aliquorum. Petit quod permittatur pernoctare, cum etiam honesta societate, in ecclesia: sine omni peccato potest hoc ei concedi. Probabile enim est quod nullo modo fuit intentio admonentium servari hujusmodi monitionem in tali casu. Et idem in similibus.

XVII. De numero praeceptorum quae sunt in constitutionibus

Postmodum, occasione illius quod dicitur: « nisi propter praeceptum, » notandum quod undecim praecepta seu prohibitiones sunt expressa in constitutionibus. Quorum primum et quartum trahuntur ex regula. Primum est de unitate cordium habenda super eodem, *ibidem*: (1) « Jubemur habere cor unum, » etc.; secundum est de non statuendo aliquid, nisi per tria capitula, infra ibi: « et ut multitudo constitutionum, » etc., tertium est de non tondenda vel induenda muliere, vel recipienda professione ejusdem, (2) infra capitulo *De recipiendis, in fine;* quartum est de repellendo incorrigibilem de nostra societate, infra capitulo *De gravissima culpa,* vel secundum regulam patris nostri Augustini, (3) etc.; quintum est de non procurando quod cura mulierum Ordini committatur, infra capitulo *De domibus concedendis;* sextum est de servanda totali forma electionis Magistri, infra *De electione magistri;* septimum est de non immutando aliquid circa statum Ordinis, vacante magisterio, infra *eodem capitulo;* octavum, de appellationibus non faciendis, infra *De capitulo generali;* nonum est de secretis non revelandis, infra *eodem;* decimum est de non laborando quoquo modo ad Ordinis divisionem, infra *eodem;* undecimum est quod non fiat praejudicium prioribus (4) a fratribus diffinitoribus, et e contrario, et quod in hoc nullus obediat, infra *De capitulo generali.*

XVIII. Quae transgressiones sunt culpae majores vel minores.

Sed quaeritur utrum ex transgressione praeceptorum quorumlibet, vel eorum quae obligant ad venialia, surgant aequalia peccata, vel inaequalia? Et eadem est quaestio de injunctionibus, et mandatis, et articulis re-

---

(1) Intellige in hoc praesenti *Prologo.* — (2) Cod. Salm.: vel recipienda ad professionem. - De quo cf. *Lettres du B.x Jourdain,* ed. Bayonne pagg. 106, 110. — (3) τὸ « vel.... Augustini » ex cod. Salm. — (4) Scil provincialibus. Cf. *Constit. O. P. Dist.* II, cap. VIII, text. II.

gulae. Et si inaequalia, quaeritur quando debent judicari majora vel minora.

Respondeo: Ad judicandum quae transgressio sit magis culpabilis, vel minus, quinque sunt consideranda secundum Bernardum, in libro supradicto: scilicet causa, affectus, intentio, auctoritas mandantis, et ipsum mandatum.

Causa: magis enim peccat qui interficit ut spoliet, quam qui interficit ut se defendat.

Affectus: magis enim peccat qui aliquem interficit ex odio inveterato, quam qui ex subita commotione.

Intentio: quia plus peccat qui committit (1) incestum animo libidinandi, quam qui animo procreandi filios, (2) ut filiae Loth.

Auctoritas: quia quanto majoris est reverentiae mandans, tanto gravior est ejus offensio.

Mandatum: quia majoris mandati gravior est transgressio. Majus autem est illud quod mandans magis vult servari, sive Deus, sive homo. Patet ergo quod non sunt aequalia peccata omnium transgressionum, et quomodo potest de eorum quantitate judicari quintuplici consideratione.

Potest etiam interdum judicari quod aliqua quae proponuntur vel dicuntur in nullo obligant, scilicet cum probabiliter praesumitur quod mandans nullo modo voluntatem habet obligandi (3) vel in modico, vel in multo.

Item, quaeritur utrum in constitutionibus praeceptoriis possit dispensari, non obstante praecepto, sicut in simplicibus constitutionibus?

Respondeo: Dicendum est quod sic, quia large accipiendum est beneficium dispensationis. Hoc intellige: dummodo talis sit materia talium constitutionum quae aliter reciperet dispensationem, et fiat ab illo qui circa materiam illam habet potestatem dispensandi. Verbi gratia: tantus posset sperari fructus animarum vel utilitas Ordinis ex tonsione alicujus mulieris nobilis, quod posset dispensari cum

---

(1) Cod. Vien.: committens. — (2) Cod. Vien.: animo prolis. — (3) Codd. hic addunt: vel nullo modo.

aliquo fratre ut tonderet eam, licet sit super hoc prohibitio. Et sic de aliis multis. (1)

XIX. De quibusdam quaestionibus circa contemptum constitutionum.

Postea quaeritur de eo quod dicitur: « vel contemptum; » et quaeritur primo quid dicitur hic contemptus?

Respondeo: Licet multis modis possit (2) accipi, tamen hic accipitur secundum definitionem Bernardi in libro supradicto dicentis: (3) Sicut neglectus est languor inertiae, sic contemptus tumor superbiae.

Et notandum quod contemptus sic acceptus triplex est. Est enim contemptus statuentis, et est contemptus statuti, et est contemptus remedii. Sunt enim in omni religione praeter statuta, remedia contra delicta transgredientium, quae contemnere delinquenti pejus est omni alio contemptu.

Secundo quaeritur utrum talis contemptus inducat semper mortale? Et videtur quod sic. Dicit enim Bernardus in libro praedicto: Contemptus est damnabilis.

Sed contra, non omnis tumor mortalis est.

Respondeo: Potest esse talis contemptus quod inducat mortale, potest esse tam modicus quod inducat veniale; sicut superbia aliquando potest esse mortalis, aliquando venialis. Secundum quantitatem ergo contemptus judicandum est de quantitate peccati surgentis ex contemptu.

Quod autem dicit Bernardus contemptum esse damnabilem, intelligendum est esse damnabilem, id est in genere damnabilium; sicut superbia est in genere mortalium, et tamen non sequitur ex hoc quod in omni casu superbia sit damnabilis. Et quod sic debeat intelligi patet ex eo quod praemittit dicens: Ubi neglectus est culpabilis, et sequitur contemptus vere damnabilis. Intendit enim ponere inter illa duo differentiam, notans quod alterum semper est veniale, alterum vero cadere potest in genere mortalium. Vel potest dici

---

(1) τὸ « Et sic de aliis multis » ex cod. Salm. — (2) Cod. Salm.: soleat. — (3) Cod. Vien.: secundum Bernardum.... dicentem sic: Neglectio est languor inertiae, sed contemptus tumor superbiae.

quod damnabile vocat quod dignum est majori condemnatione in praesenti.

Tertio quaeritur, cum ex quantitate contemptus surgat quantitas delicti, quis contemptus debeat dici major?

Respondeo: Majoritas contemptus quandoque surgit ex magnitudine rei contemptae, quia quanto majus est quod contemnitur, tanto major contemptus debet reputari; quandoque ex numero contemptorum, quia quanto plura quis contemnit, tanto major est ejus contemptus; quandoque ex contemnentis modicitate, quia quanto minoris valoris est persona contemnens, tanto major est contemptus; quandoque ex contemnentis magis debita subjectione, quia quanto quis tenetur majori subjectioni sive hominis sive statuti, tanto contemptus ejus est major; quandoque ex actus intensione, quia quanto intensior est actus contemnendi, tanto major est contemptus; quandoque ex diuturnitate, quia quanto plus perseverat quis in aliquo contemptu, tanto major est contemptus; (quandoque ex frequentatione...); (1) quandoque ex radicatione, quia quanto quis magis obstinatus (2) et radicatus est in contemptu suo, tanto major est ejus contemptus. Et haec omnia intellige caeteris paribus.

Sumuntur autem duo prima ex parte rei contemptae; alia duo ex parte personae contemnentis; alia quatuor ex parte ipsius actus contemnendi, secundum diversas circumstantias, scilicet intensionis, diuturnitatis, frequentationis et obstinationis. Ex iis igitur potest cognosci quando contemptus inducat majus peccatum. Ubi enim erit major contemptus, vel plures de contemptibus praedictis, aliis paribus, majus sequetur peccatum.

Sequitur: **Et ut multitudo constitutionum vitetur, prohibemus ne de caetero aliquid statuatur, nisi per duo capitula continua fuerit approbatum; et tunc in tertio capitulo**

---

(1) τὸ « quandoque ex frequentatione » in codd. nostris deest: sed addimus tum ex sensus plenitudine, tum ex recapitulatione sequenti. — (2) Cod. Salm.: plus est obstinatus.

immediate sequenti poterit confirmari vel deleri, sive per priores provinciales, sive per alios diffinitores, ubicumque illud tertium capitulum celebretur.

XX. De septem quae sunt consideranda in constitutionibus nostris.

Circa hanc constitutionem quatuor tanguntur: causa constitutionis, modus obligandi, tempus quando fuit condita, substantia constitutionis.

Primum tangitur ibi: « ut multitudo constitutionum vitetur. » Sed videtur quod haec causa non sit bona. Multitudo enim constitutionum expediens est propter multa, sicut supra tactum est super illud verbum: « scripto fuerint commendata. » Ergo non est vitanda.

Respondeo: Quando statuitur aliquid, debet haberi consideratio circa septem. Unum est utrum sit utile: non enim debet aliquid facile statui nisi (1) manifeste appareat illius utilitas.

Aliud est utrum sit commune bonum Ordinis: quaedam enim sunt bona et utilia pro una natione, sicut forte celebratio alicujus festi vel similia, quae non sunt pro aliis. Nunquam autem debet fieri constitutio nisi de eo quod communiter est bonum per totum Ordinem.

Aliud est utrum sit perpetuo servandum: de iis enim quae utilia sunt toti Ordini ad tempus, et non sunt servanda perpetuo, non oportet fieri constitutiones: sed sufficiunt admonitiones temporales.

Aliud est utrum sit expediens illud statui, non obstantibus aliis: multa enim sunt simpliciter utilia quae non expediunt interdum. Utile enim esset quod nullus saecularis videret secreta nostra; (2) tamen non expedit hoc statui, vel similia, propter turbationes saecularium, vel alia multa mala quae sequerentur inde.

Aliud est utrum sit proprium: quaedam sunt enim quae et utilia sunt simpliciter et expedientia, sed nihil habent proprium religionis; sed sunt bona communia pertinentia ad omnes, ut sunt illa quae sunt de fide et moribus christianis et ecclesiasticis: et de iis non

---

(1) Cod. Salm.: quia non debet aliquid statui nisi.... — (2) Cod. Salm. aliqua secreta nostra.

solent fieri constitutiones apud nos, sed solum de iis quae sapiunt religionem in genere, vel nostram specialiter. (1)

Aliud est utrum sit communiter possibile : de iis enim quae quasi impossibile est communiter observari, quantumcumque sint bona, non debent fieri constitutiones: ut est quod nullus rideat inter mulieres, quod frater nunquam extrahat caputium eundo per viam, et similia.

Aliud est utrum sit necesse: quaedam enim sunt quae ita bene servantur ex consuetudine generali, vel Ecclesiae, ut facere signum crucis in incoeptione Evangelii; vel Ordinis, ut deferre tunicas albas, et similia, et speratur quod servabuntur in futurum, quod superfluum esset inde facere constitutiones.

Dicas ergo quod multitudo constitutionum in se non est laudabilis. Si autem non fuisset ista constitutio, fierent multae constitutiones sine circumstantiis istis, et ideo ut hujusmodi multitudo indiscreta vitaretur, expedivit fieri istam constitutionem, et ita secundum hunc modum (2) bona assignatur causa hujus constitutionis.

Secundum tangitur ibi: « prohibemus. » Est enim ista constitutio obligatoria per modum praecepti, et est illud primum praeceptum constitutionum. (3) Adeo enim reputatur necessaria, quod nullatenus voluerunt infringi eam statuentes.

Tertium tangitur ibi: « ne de caetero. » Ex hoc enim innuitur quod non fuit ab initio ista constitutio facta, et hoc verum est. Ab initio enim quodlibet capitulum generale poterat statuere; sed tempore generalissimi capituli primi (4) fuit facta ista constitutio, sicut patet infra, cap. *De generalissimo capitulo.* Nec fuit hoc sine causa. Quando enim quodlibet capitulum poterat facere constitutiones, et eadem ratione destruere, sequebatur ridiculum et confusio; et quod uno anno statuebatur ab aliquibus diffinitoribus, in sequenti capitulo frequenter destruebatur.

Item, modus qui nunc est habet majorem discretionem. Multo-

---

(1) Cod. Salm.: vel materiam specialem religionis. — (2) Cod. Salm.: hunc intellectum. — (3) Quia nempe primum habetur ex Regula. Vide supra, p. 53. — (4) Scil. an. 1228.

ties enim quod videtur alicui in uno tempore bonum et expediens, post lapsum temporis, post diligentiorem deliberationem, non videtur ita.

Item, quod pluribus sapientibus videtur certius et melius est.

Item, quod (1) per plures collationes examinatur, melius discutitur: nunc autem per amplius tempus, et per plures diffinitores, et per plures collationes fratrum inter capitula de constitutionibus incoeptis discutientium transeunt constitutiones, (2) et ideo modus ille discretior est; et ideo mutatus fuit modus faciendi constitutiones, scilicet propter vitandam praedictam confusionem, et ut modo fierent discretiori.

Quartum tangitur in sequentibus, et eliciuntur inde quinque. Unum est quod constitutio non potest fieri nisi per capitulum, et intelligendum est de Generali, quia cum fit sermo de communi bono Ordinis, capitulum de quo fit ibi mentio debet intelligi commune capitulum Ordinis: hoc autem est Generale. Melius tamen et planius fuisset quod expressa fuisset ibi mentio facta de Generali. Et nota quod per hoc datur intelligi quod nec prior aliquis, nec Magister, nec capitulum aliquod quod non sit generale, potest facere constitutionem.

Aliud est quod non potest fieri per unicum capitulum: immo oportet quod ad minus concurrant tria.

Aliud est quod non potest fieri per quaecumque tria capitula: sed oportet quod sint continua.

Aliud est quod tertium capitulorum praedictorum, per quoscumque celebretur, potest confirmare constitutiones in duobus aliis approbatas: et hoc dicitur propter hoc ne credatur quod soli provinciales priores tempore sui capituli possint confirmare constitutiones, sicut aliquando voluerunt aliqui statuere.

Aliud est quod locus tertii capituli nihil facit ad potestatem con-

---

(1) Cod. Salm.: quando. — (2) Cod. Salm.: nunc autem quod per amplius tempus et per plures diffinitores, et per plures collationes fit, discretius fit, et sic capitula de constitutionibus incoeptis post plures collationes discutientium transeunt in constitutiones.

firmandi constitutiones approbatas, sed ubicumque celebretur, possunt confirmari. Et hoc dicitur propter hoc ne aliqua domus Ordinis ex hoc se crederet super alias habere potestatem aliquam.

XXI. De rationibus. Circa primum quaeritur utrum prior provincialis, cum capitulo provinciali super provinciam, vel prior conventualis cum conventu super conventum suum possint aliquam constitutionem facere, etsi non generalem quoad ordinem?

Respondeo: Jura concedunt quod praelati cum collegiis possunt (1) facere constitutiones; sed ista potestas ablata est apud nos praedictis praelatis et collegiis per suum superius capitulum, virtute hujus constitutionis: et hoc expedit ne varietas in Ordinem induceretur per varietates hujusmodi constitutionum. Possunt ergo facere aliquas ordinationes, sed non constitutiones.

Aliter potest dici in hunc modum. Hujusmodi ordinationes praedictae aut rediguntur in scriptis, aut non. Si non, non sunt constitutiones, quia de substantia constitutionis est scriptura; si sic, aut intendunt tradentes facere constitutionem, aut non. Si non, non est constitutio, quia numquam fit constitutio sine constituentium intentione; si sic, constitutio est vera: sed apud nos non vocatur constitutio nisi solum quod redigitur in scripto in *Libro Constitutionum*. Nec hujusmodi constitutiones particulares prohibentur sic fieri ab ista constitutione, quia ista constitutio non loquitur nisi de communibus constitutionibus totius Ordinis.

Prima responsio melior videtur.

Circa secundum, videtur quod non servetur illud. Fiunt enim constitutiones per unicum capitulum (2) quando est Generalissimum. Si dicatur quod illud aequipollet tribus, quia in illo sunt duo fratres diffinitores cum singulis prioribus provincialibus, contra: Licet aequipolleat quoad numerum diffinitorum, tamen non aequipollet quoad tempus deliberandi, nec quoad collationes quas habent fratres inter tria capitula de constitutionibus incoeptis, per quas informantur frequenter diffinitores; ideo dicendum est quod haec responsio non est

---

(1) Cod. Salm.: quod praelatus... potest. — (2) Cod. Salm.: per unum solum capitulum.

omnino sufficiens, etsi tangat aliquid rationis. Unde dicendum est, sicut prius dictum est, quod hic loquitur solum de capitulis generalibus simpliciter, ut dictum est; ut sit sensus: ne de caetero aliquid statuatur, scilicet per aliquod capitulum generale, sicut fieri solebat ante, nisi per duo; et sic non excluditur quin et per generalissimum possit aliquid statui. Si quaeratur unde habetur illa expositio, respondendum est: ex consuetudine, (1) quae est optima legum interpres. Consuetudo enim Ordinis est, quam vidit et approbavit Ordo jam bis, (2) quod capitulum generalissimum unicum facit constitutiones. Tamen bonum esset quod insereretur in ista constitutione istud, et diceretur ita: Prohibemus ne de caetero aliquid statuatur, nisi per generalissimum, vel per duo generalia continua, etc..

Sed iterum quaeritur unde est inductum hoc quod non fiant constitutiones nisi per plura transeant capitula, (3) cum omnes aliae religiones constitutiones faciant in uno capitulo. Numquid nos sapientiores sumus omnibus aliis?

Praeterea quare potius in hoc observamus numerum ternarium quam binarium, vel majorem ternario?

Respondeo: Genus aliquod religionis (4) est apud quam tota discretio est fere in praelatis majoribus, ut Cisterciensium, Praemonstratensium, et aliae quaedam. Et ideo in istis religionibus non fiunt diffinitores, nisi praelati majores.

Aliud genus est in quo est discretio apud praelatos et subditos eorumdem multos, ut religio Fratrum Minorum, et ideo fiunt apud eos diffinitores et praelati majores ipso jure, et subditi per electionem in aequali numero, in generali capitulo.

Aliqua est religio in qua est abundantia discretionis etiam in subditis, ut apud nos: et ideo fiunt diffinitores apud nos non solum praelati majores, ut provinciales, sed etiam subditi quicumque per electionem in numero majori.

Primi, id est Cistercienses, Praemonstratenses, etc., quia quo-

---

(1) Cod. Salm.: dicendum est quod ex consuetudine. — (2) Scil. annis 1228 et 1236. — (3) Cod. Salm.: nisi per tria capitula. — (4) Cod. Salm.: quoddam genus est religionis.

libet anno habent capitulum, nec expectantur diffinitores alterius generis sequentes qui propter status varietatem discordent ab eorum sententia, quolibet anno statuunt.

Secundi, scilicet Minores, quia non habent capitulum nisi de tertio in tertium annum, propter laborem magnae multitudinis de longinquo venientis declinandum, ad quod conveniunt insimul diversitates praedictae diffinitorum, statuunt tertio quolibet anno, et unico capitulo.

Sed nos, quia quolibet anno capitulum habemus, et non conveniunt diversitates diffinitorum insimul, propter similem laborem declinandum, et ut majori tempore major sequatur deliberatio, cum expectamus (1) diffinitores alterius generis, non statuimus aliquid quousque transierit per omnes diversitates istas. In iis enim diffinitionibus duos annos habent fratres, et tertium priores provinciales, propter multitudinem discretorum subditorum.

Non est autem adscribendum superbiae quod sic ab aliis discrepamus in modo faciendi constitutiones, sed est ratio attendenda praedicta: ex quo patet quare expedit nos expectare plura capitula in statuendo, et etiam in ternario numero.

Circa tertium quaeritur quare ordinatum est quod tria capitula quae faciunt constitutiones sint continua: si enim non requireretur quod essent continua, posset haberi major discussio et deliberatio.

Respondeo: Licet major possit haberi deliberatio, tamen intolerabilis sequeretur confusio, quia post decem annos quandoque, vel plures, confirmaretur quod transisset per duo etiam discontinua, per multos annos ante; et interdum nesciretur de aliquibus constitutionibus utrum fuissent approbatae vel non, et quandoque propter temporis longitudinem. Cautius autem fuit declinare hujusmodi confusionem, quam lucrari illam deliberationem.

Item, si tria capitula discontinua possent statuere, sequeretur magna multitudo constitutionum, quae cavenda est. Vix enim esset aliqua constitutio incoepta quae per lapsum temporis non haberet tria capitula.

---

(1) Cod. Vien.: expectantur.

Alia duo plana sunt.

XXII. De differentia inter constitutiones et admonitiones, et de duratione admonitionum.

Sed quaeritur occasione constitutionis hujus unde est quod admonitiones, quae etiam rediguntur in scriptis et oportet servari, fieri possent sine capitulis multis: constitutiones vero non.

Respondeo: Ad hoc sciendum, notandum est quod constitutiones et admonitiones prout apud nos sumuntur, differunt in multis; nec oportet quod, quia sunt in scriptis interdum, dicantur constitutiones. Quamvis enim omnis constitutio debeat esse in scriptis, non tamen quidquid est in scriptis est constitutio. Differunt igitur ex parte eorum de quibus fiunt, quia constitutiones fiunt de magis necessariis: admonitiones vero de quibusdam quae non reputantur adeo necessaria, vel quia non sunt adeo communia, vel perpetuo servanda, vel adeo expedientia, vel aliis de causis.

Item, differunt in stabilitate: non enim adeo sunt stabiles admonitiones ut constitutiones; immo unum capitulum generale revocare posset omnes admonitiones factas ab initio Ordinis per quoscumque; non autem posset revocare unicam constitutionem.

Item, in observantia: non enim apponitur ab Ordine tanta cura ad observantiam admonitionum, unde non ita leguntur quotidie sicut constitutiones; nec etiam tanta diligentia procurantur haberi scriptae omnes ubicumque sicut constitutiones.

Ex iis sequitur quarta differentia, scilicet ex parte condentium, quia facilius fiunt admonitiones quam constitutiones; unde non solum capitulum quodlibet, sed etiam praelati quicumque facere possunt hujusmodi admonitiones.

Sed iterum quaeritur utrum hujusmodi admonitiones debeant reputari perpetuae, et perpetuo ligent fratres suo modo ligandi?

Respondeo: Quidam dixerunt quod durant per annum, scilicet de capitulo ad capitulum. Sed si hoc esset verum, tunc non deberent mandare capitula ut servarentur in scriptis, nisi per annum. Ad quid enim valeret ultra scriptura, nisi duraret ultra? (1)

Ideo dixerunt alii aliter, dicentes quod ligant tantum quousque

(1) Cod. Salm.: ultra annum.

traditae sunt oblivioni. Sed si hoc esset verum, tunc negligentes qui negligunt eas respicere, vel in scriptis servare, reportarent lucrum ex culpa; et diligentes, qui solliciti sunt eas habere in scriptis, et frequenter (1) respicere, ex suo bono reportarent damnum.

Ideo dicunt alii quod admonitiones praelatorum durant ipsi durantibus; ipsis vero mortuis vel absolutis, cum ipsis transeunt. Admonitiones vero capitulorum durant perpetuo, quia capitula non moriuntur, sed sunt perpetua; idem est semper capitulum, licet personae ipsae succedant. Et haec opinio videtur consona juri, quod dicit mortuo mandatore expirare mandatum. (2) Ex hoc enim sequi videtur quod capitulorum admonitiones semper durent, quia capitula semper durant. Mortuis vero praelatis, vel amotis, (3) expirant mandata eorum et admonitiones.

Sed contra, mortuo excommunicatore, non cessat ligamen excommunicationis alicujus excommunicati; similiter mortuo confessore, non cessat ligatio satisfationis in poenitente: ergo aequaliter mortuo mandante, non cessat ligamen mandati quo ligavit ante.

Item, in saecularibus negotiis, mortuo praeposito, non cessat edictum quod fecit vice regis: ergo mortuo Christi vicario, non cessabit edictum, seu ordinatio quaecumque quam fecit vice Christi. Ideo mortuo praelato, non expirat ejus mandatum.

Item, mortuo patre, durant mandata vel ordinationes suae, et habent vigorem; quia mortuo Jacob, vel Tobia, vel Rechab, vel aliis antiquis Patribus, non fuissent reprehensibiles filii eorum, si non fecissent eorum mandata. (4)

Item, mortuo artifice, non cessant propter hoc ejus opera. Ergo mortuo mandante, non cessabit propter hoc ligatio mandati jam ab eo facta.

Quod concedendum videtur; sicut enim mortuo illo qui ligavit alium, non tamen propter hoc solvitur vinculum ligati jam

---

(1) Cod. Vien.: diligenter. — (2) Cod. Salm.: quod dicit quod mortuo mandatore expirat mandatum. — (3) τὸ « vel amotis » ex cod. Salm. — (4) Hic plerumque per totum vehementer depravati habentur codices. Textum disponimus juxta ordinem responsionum ad praedictas objectiones infra habitarum.

inductum, sed ádhuc durat, licet amplius ligare non possit: ita, mortuo mandante, durat adhuc vinculum mandati quo jam ligaverat, licet amplius sic ligare non possit.

Ad quaestionem ergo propositam distinguendum est sic: admonitio de qua (1) quaeritur, aut durat perpetuo, aut continet tempus limitatum; quia cum dicitur: Fiat hoc vel illud, aut dicitur: Duret per tantum tempus, aut non. Si sic, durat secundum limitationem temporis; si non, durat perpetuo, nisi revocetur ab illo qui possit revocare: et hoc, sive sit admonitio capituli, sive mandatum quodcumque, sive sententia etiam praelati. Quod autem dicitur in contrarium, quod mandatore mortuo expirat mandatum, non obstat: illud enim intelligitur in commissionibus. Cum enim committens negotium et ille cui committitur sint quasi una persona, quia ille facit cujus auctoritate fit, mortuo principali vel sublato, perit alterius potestas, quando non est illa usus in alterum; si autem sit usus in alterum, non perit: et hoc facit pro ista solutione.

Similiter etiam non perit mandatum quo quis est jam ligatus, seu alia ordinatio, licet pereat potestas de novo aliquid ordinandi, vel mandandi. Si quis autem dicat contrarium, saltem tamen hoc videtur dicendum quod praecepta, et mandata, et concessiones, et excommunicationes, et hujusmodi praecepta praelatorum illorum qui possunt constitutiones facere, ut est Papa, legatus, etc. durent post ipsos, maxime si hoc intendunt perpetuare. Aliorum vero qui non possunt constitutiones facere, non durant, quia non extenditur eorum potestas ultra vitam suam vel regimen: (2) officia tamen quae isti conferunt, durant, et actus condentium, ratione officii acquisiti.

Quoad objecta in contrarium solvi possunt de facili. Nam mortuo excommunicatore, cessat excommunicationis actio, non passio jam acquisita.

Similiter in confessore, cessat potestas ligandi, non effectus jam relictus ex confessione: ita et hic cessat mandatum, non effectus jam relictus ex transmissione.

---

(1) Cod. Salm.:.... distinguendum est sicut de admonitione de qua.... — (2) Cod. Salm.: non extenditur eorum potestas vel regimen ultra vitam suam.

Ad illud de praeposito dicendum est quod si habet potestatem a rege condendi edictum, valet post mortem: aliter non.

De patribus dicendum est quod dicta eorum, in quantum fuere voluntate divina prolata, obligant (1) perpetuo; in quantum vero sua, non obligant perpetuo.

Sequitur: **Interpretationes regulae vel constitutionum factae a generali capitulo non habeant vim constitutionis, nisi per tria capitula approbentur.**

Sed quaeritur: Numquid non habent vim hujusmodi interpretationes, si fiant per unum generalissimum capitulum?

Respondeo quod sic. Et hoc non excludit ista constitutio, quia dicit: « factae a generali capitulo. » Non enim sequitur: si interpretationes factae a generali capitulo non habent vim, etc., ergo nec a generalissimo. Vel potest dici, ut supra dictum est, quod generalissimum capitulum aequipollet tribus, et ideo non excluditur per istam clausulam: « nisi per tria capitula. » Immo potius includitur sicut aequipollens in suo aequipollenti.

Item, notandum quod intelligitur hoc quod hic dicitur de tribus capitulis continuis et generalibus, licet non inseratur in littera. Ex quo patet quod clarius esset formata constitutio, si diceretur ita: Interpretationes regulae et constitutionum non habent vim constitutionis, nisi per unum capitulum generalissimum, vel tria generalia capitula continua approbentur.

Sed quaeritur: Si aliquis articulus regulae vel constitutionum est dubius, et non est tradita interpretatio a tribus generalibus vel a generalissimo capitulo, cujus interpretationi stabitur?

Respondeo: Si aliqua interpretatio illius articuli potest confirmari per aliquam consuetudinem approbatam, stabitur illi interpretationi, quia consuetudo est optima legum interpres, sicut dicit jus; si autem non potest confirmari, stabitur interpretationi praelatorum, vel capitulorum, dummodo non contineat eorum interpretatio errorem

---

(1) Cod. Vien.: in quantum fuere Dei obligant.

manifestum; quia in dubiis sequenda est sententia majorum, et obedientia excusat in dubiis. Et hoc non est contra istam constitutionem: quamvis enim talis interpretatio sit tenenda a subditis, tamen non habet vim constitutionis.

Sequitur: **Librum autem istum diligenter conscripsimus, in quo duas distinctiones adnotavimus. Prima distinctio continet de Officio Ecclesiae, etc., et habet XX Capitula; Secunda distinctio continet de domibus concedendis, vel construendis, etc., et habet XV Capitula.**

Notandum quod ista scriptura Liber vocatur, ne contemnatur. Majoris enim auctoritatis est scriptura quae liber dicitur, quam quae nomine alio vocatur.

Item, sciendum quod Praemonstratenses constitutiones suas, de quibus eductae sunt constitutiones nostrae, dividunt in quatuor distinctiones: sed nos in duas solum, tum quia ipsi de multis habent ordinare quae ad nos non pertinent, sicut de possessionibus et hujusmodi, et ista relinquimus; tum quia causa brevitatis multa etiam alia pertinentia ad nos quodammodo dimisimus.

Item, sciendum quod istae duae distinctiones differunt in hoc quod prima distinctio est de iis quae pertinent ad vitam fratrum; secunda de iis quae pertinent ad officia et regimen Ordinis, sicut patet diligenter intuenti.

In fine notandum quod istud totale et primum capitulum, quod tractat in generali de constitutionibus, et est quasi prooemium sequentium, sex continet in universo: primo de necessitate scribendi constitutiones, scilicet quare necesse sit eas scribi, ibi: « Quoniam ex praecepto; » secundo, de dispensationibus circa constitutiones, ibi: « Ad haec tamen; » tertio, de modo obligandi earum, ibi: « Ut igitur; » quarto, de modo faciendi constitutiones, ibi: « Et ut multitudo; » quinto, de expositione earum, ibi: « Interpretationes; » sexto, de totali materia earum, ibi: « Hunc autem librum. »

CAP. I.

DE OFFICIO ECCLESIAE

Audito primo signo surgant fratres dicendo matutinas de Beata Virgine pro tempore.

XXIII. De signis. Notandum quod nos habemus solum (1) duo signa pro horis, videlicet primum et secundum. Quorum utrumque fieri debet in campanili.

Primum fit ad dicendum horas de B. Virgine, et ad praeparandum nos ad horas canonicas, et ad cavendum a sumptione novarum occupationum, quae impediant ab officio Ecclesiae.

Secundum fit ad veniendum ad ecclesiam sine mora ulteriori.

Primum debet fieri breve, et sufficiunt ictus sex vel septem ex utraque parte campanae; nec ante terminationem ejus debent incipere fratres horas de B. Virgine, ut intermissis interim occupationibus, si quas habent, devotius eas incipiant.

Secundum debet fieri adeo prolixum quod ab ejus incoeptione usque ad terminationem possint fratres convenire de omni loco domus remotiori de quo solent convenire ad ecclesiam, secundum aestimationem pulsantis. Ad quod juste aestimandum debet se aliqua ratione regere, et tunc statim debet dimittere, et non ante, nisi factum fuerit signum de choro a praelato, (2) vel cantore, vel succentore.

Inter primum vero et secundum debet esse tantum spatium praecise quod possint fratres dicere mature quae habent dicere, et ire ad cameras, (3) et expedire si qua habent facere communiter, ut lotiones manuum quando surgunt ad primam vel ad nonam, et si qua sunt similia. Nec ultra debet protrahi spatium illud, quia regulariter cavendum est semper ne tempus inutiliter expendatur. In diebus etiam in quibus non incumbit dicere officium B. Virginis ex

---

(1) Cod. Salm.: nos non habemus nisi. — (2) Cod. Salm.: priore. — (3) Intellige *secretiora loca*.

Ordine, nihilominus tantum debet fieri spatium inter duo signa, quod possit dici ab illis qui ex devotione dicere voluerint. (1)

Porro in quolibet conventu debet esse horologium pretiositate vel curiositate non notabile, sed veritate laudabile. Debet autem sic mediocriter et uniformiter secundum tempora, temperari a sacrista, vel ab eo cui injunctum fuerit, ne surgendo nimis tempestive fratres graventur notabiliter, vel nimis tarde surgendo vicinos scandalizent. Debet etiam sic praecise pulsare, quod illi qui pigri non sunt, possint se induere et calceare quoquo modo ante terminationem. (2) Interim autem sacrista debet festinare sic ad ecclesiam, quod finito horologio statim faciat primum signum: quo audito et finito fratres jam parati sive in parte sive in toto debent incipere cum reverentia matutinas de B. Virgine.

Iste ergo modus surgendi, et incipiendi cum reverentia matutinas de B. Virgine tenendus est tanquam magis religiosus, et alii varii modi quos habent diversi in diversis locis sunt reprobandi.

Idem etiam modus (tenendus) est in surgendo ad nonam, tempore dormitionis meridianae. (3)

Idem etiam modus in surgendo ad primam habendus est, nisi forte sacrista, vel alius cui injunctum fuerit, adeo pervigil fuerit, quod sine horologio hora competenti signum faciat ad primam, sine defectu notabili.

Sciendum est autem quod est consuetudo laudabilis in Ordine ubique surgere semper mane multum ad primam, sed magis mane in hyeme.

Sed videtur quod constitutio non importet istum modum surgendi, et quod sufficiat surgere audito primo signo, et surgendo dicere matutinas praedictas, quia ita dicit constitutio. « Audito primo signo, surgant fratres, et dicendo, » etc.

Respondeo quod constitutio sine dubio non habet (4) istum

---

(1) Cod. Salm.:... ex Ordine, tamen debet fieri spatium inter duo signa, ut qui ex devotione dicere voluerint, possint dicere. — (2) De variis horologiorum speciebus cf. Dubois, *Histoire de l'horlogerie*. — (3) τὸ « Idem etiam.... meridianae » ex cod. Salm — (4) Cod. Salm.: non ponit.

modum; sed honestas et devotio quam ad B. Virginem habere debemus, in hoc casu requirit quod plus faciamus quam constitutio dicat.

Sed tunc quaeritur quare non fuerit scriptus iste modus, vel non scribitur, si honestas hoc requirit, ut per constitutionem hoc ordinaretur ut ante surgerent fratres, et se induerent, quam inciperent officium B. Virginis? (1)

Respondeo: Vix est aliquis ita spiritualis quin (2) vel frequenter, vel interdum saltem, patiatur phantasmata turpia in somnis: expedit ergo viris sanctis, statim cum evigilant, occupare se in sanctis officiis, ut recedant ista phantasmata ab eorum memoria; et ideo ordinat constitutio quod statim surgendo incipiantur horae de B. Virgine. Hanc rationem assignavit B. Dominicus hujus constitutionis, sicut audivi a fratre quodam qui ab illo audivit. Si autem dicatur quod posset se occupare in aliis orationibus, si statueretur quod dicerentur septem psalmi, vel psalmi quindecim graduum, dicendum est quod Ordo declinat semper a prolixitate in officio, propter studium: ex hoc autem augeretur officium multum.

Praeterea probabile est quod officium Virginis mundissimae plus valet contra hujusmodi phantasmata. Expedit tamen quod servantes modum supradictum, dum se parant ante incoeptionem matutinarum Virginis, dicant apud se aliquas orationes propter hanc rationem.

Item, non est irreverentia erga Virginem Mariam, immo est reverentia magna quod statim postquam evigilent fratres occupentur in ejus servitio ante omnia alia.

Item, si imponeretur necessitas ex constitutione quod ante pararent se fratres ex toto quam inciperent ejus officium, multi pigri et somnolenti fierent transgressores; non est autem credibile quod placeat ejus pietati, quae infirmis solet condescendere, quod propter eam fiat constitutio quae sit talibus frequens occasio transgressionis.

Item, cum studium nostrum totum sit ad magnum ejus servi-

---

(1) Quae immutatio reapse facta fuit anno 1270 in Capitulo Generali, siquidem pro « surgant fratres dicendo » jussum est in Constitutionibus scribi: « surgant fratres et stando dicant. » — (2) Cod. Salm.: quod non.

tium et Filii sui, non debet ei displicere si de ejus officio, in quo forte non est tantus fructus, brevius se expediant fratres propter hujusmodi studium laudabile.

Item, si forte in hoc committitur aliqua negligentia, in hujusmodi recompensationem facit ei Ordo plura servitia spiritualia, supra multos alios ordines.

Primum est quod incessanter per officium praedicationis laudat, benedicit, praedicat ejus Filium et ipsam. (1)

Secundum est quod officium (2) quotidianum ab ipsa inchoat, sicut dictum est, et in ipsa terminat, unde completorium ejus ultimo dicitur. Ipsa enim fuit magnum adjutorium initiandi Ordinem, sicut alibi (3) dicitur, et speratur quod ducet ad finem bonum; et ideo Ordo honorat ipsam specialiter in principio et in fine servitii quotidiani.

Item, in hoc quod facit specialem processionem quotidie in ejus honorem post completorium.

Item, in hoc quod in introitu Missae et in ejus Nominis pronuntiatione facit ei specialem reverentiam genuflexionum et inclinationum. (4)

Item, in hoc quod officium ejus quotidianum semper et ubique dicit (5) stando, cum ad aliud officium aliquando sedeant fratres. (6)

Item, in hoc quod in professione quilibet de Ordine facit ei specialem professionem et obedientiam, cum dicitur: « facit professionem, et promitto obedientiam Deo et B. Mariae, » quod non invenitur in aliis ordinibus.

Item, in hoc quod in sabbatis totum officium in ecclesia fit de ea, nisi in casibus rationabilibus.

Item, in hoc quod cum de ea cantatur aliquid in ecclesia, fratres cantant devotius et solemnius, sicut patet in antiphonis (7) quo-

---

(1) Cod. Salm.: ipsam matrem. — (2) Cod. Vien.: servitium. — (3) Cod. Salm.: alias. - Hic alludit auctor ad historicos Ordinis, speciatim sane ad librum de *Vitis Fratrum*. — (4) In missae votivae B. V. M. introitu, scil. *Salve, Sancta Parens*, flectenda erant genua. — (5) Cod. Salm.: dicitur. — (6) Cod. Salm.: interdum sedeat. — (7) Tunc temporis vel *Salve, Regina*, vel *Ave, Regina*, promiscue cantabatur in processione illa.

tidianae processionis, et in commemorationibus quae fiunt de ea, et in officio sabbatorum, quia cantatur sequentia, quasi esset totum duplex, (1) et in similibus.

Cum igitur haec octo servitia specialia facit Ordo sibi, tolerabile est si in surgendo brevius se expediat de ejus officio, propter studii occupationem.

Et ita patet per rationes quinque quare non sunt arctandi fratres ad induendum se plene ante incoeptionem officii praedicti, quamvis honestas et devotio ad ipsam requirant modum supradictum, qui plus importat quam constitutio dicat.

Quod autem dicitur in hac constitutione « pro tempore, » dicitur propter duo: scilicet propter quaedam festa, in quibus dici non debet officium de Beata Virgine, sicut scriptum est in *Ordinario;* et propter sabbata, in quibus dicitur de ipsa totum officium in ecclesia.

Sed sciendum quod in illis festis praedictis dici non debent horae de Beata Virgine ab aliquo ita alte quod audiantur; submisse tamen dici (2) possunt et debent a quolibet vel illae horae, vel aliae orationes.

Item, in praedictis festis non dicuntur in surgendo alte psalmi xv graduum, quia sunt quasi preces quae non fiunt in illis festis; in sabbatis vero dicuntur predicti psalmi xv graduum, quia sabbata illa sunt dies precum.

XXIV. Quare sabbatum attribuitur Beatae Virgini.

Expedit autem non ignorare quare illi qui devoti sunt Beatae Virgini plus ipsam honorant in sabbato quam alia die. Attendendum igitur quod in die sabbati dicitur Dominus (3) quievisse: item, in ipsa tanquam in tabernaculo suo requievit. (4) Concordant ergo sabbatum et Virgo, quia sabbatum est tempus, et ipsa est locus requiei Domini.

Item, in sabbato completum est opus creationis, sive naturae: in ipsa vero completum est opus recreationis, sive gratiae. Bernardus: In te et per te, Benignissima, manus Conditoris quidquid crea-

---

(1) Unde, excepto septuagesimae tempore, cantanda erat sequentia. — (2) Cod. Salm.:... ita quod audiantur, sed submisse tunc dici.... — (3) Cod. Salm.: Dominum. — (4) τὸ « requievit » ex Cod. Salm.

verat recreavit: concordant ergo ipsa et sabbatum in hujusmodi completione.

Item, dies sabbati fuit benedicta super alias dies, unde *Gen. 2:* Benedixit Deus diei septimo: item ipsa est benedicta super omnes mulieres.

Item, dies sabbati fuit sanctior aliis, unde et in *eodem:* Et sanctificavit illum. Et ipsa est sanctior universis. Quare decens est ut benedicta super alias et sanctior omnibus in die benedicta et in die sanctiori specialius honoretur.

Item, sicut sabbati dies est medius inter diem veneris quae est poenalis, et diem dominicam quae est dies gaudii, nec quis potest transire de illa die poenali ad diem gaudii, (1) nisi per sabbati diem; ita nec de poenis hujus mundi ad gaudia coeli potest aliquis transire, nisi per ipsam Mediatricem mundi.

Item, sicut dicunt Sancti, aliis deficientibus in die sabbati, stetit in ea fides.

Item, in die sabbati reperitur pluries fecisse miracula, et subvenisse hominibus, sicut ponit exemplum Joan. Belet, de quadam imagine ipsius, cujus (2) velum elevabatur in die sabbati. (3) Et multa similia reperiuntur.

Istae ergo sunt septem rationes quare potius (4) eidem servimus in die sabbati, faciendo devote et solemniter totum officium de ea in ecclesia. (5)

Tunc etiam in officio ecclesiae cantatur quaedam sequentia de ea propria pro sabbato, in qua (6) tanguntur praedictae rationes quare sabbatum eidem specialius attribuatur:

Jubilemus in hac die
Quam Reginae coeli piae
Dicavit Ecclesia.

---

(1) Cod. Salm.: ad gaudium. — (2) Cod. Salm.: sicut dicitur de quadam.... — (3) Cod. Salm.: in sabbato. — (4) Cod. Salm.: devotius. — (5) τὸ « de ea in ecclesia » ex cod. Salm. — (6) Cod. Salm.: quaedam etiam sequentia de ea proprie pro sabbato habetur, in qua ...

Haec est dies in qua sua
Vota tibi, Virgo, tua
Reddit haec familia.

Omne saeclum, omni die
Servi Virgini Mariae:
Sed in hac devotius.

In hac psallas, in hac ores,
In hac laudes et labores,
Et cantes jucundius.

Virgo quae non habet parem
Diem sibi singularem
Non injuste vindicat.

O quam digne sibi dari
Diem hunc et consecrari
Res inspecta praedicat!

Hodiernae lux diei
Dies fuit requiei
Plasmatoris omnium.

Sic quievit in Maria,
Dum ipsius in hac via
Virgo fit hospitium.

Cunctae tunc sunt creaturae
Factae dum opus naturae
Complet Deus hodie.

Universa tunc refecit,
Dum in Matre qui nos fecit
Complet opus gratiae.

Dies olim benedicta,
Dies quoque sancta dicta
Fuit ista septima.

Quam benedicta dicaris
Scimus, Virgo singularis,
Et quam sis sanctissima.

Dum transis ad gaudiosum
Diem, relinquens poenosum,
Dies est haec media.

Haec de poenis nos educit
Mediatrix, et adducit
Ad superna gaudia.

In hac die dum desperat
Grex pusillus qui tunc erat
Fidem tenet firmius.

In hac die suspirantes
Ad se, seque deprecantes
Obaudit frequentius.

Veneremur ergo, fratres,
Ut sanxerunt sancti patres,
In hac die Virginem.

Exorantes ut conducat
Nos hic, et tandem perducat
Ad illam dulcedinem. Amen.

Sequitur: **Matutinas autem, et Missam, et omnes horas canonicas simul audiant fratres nostri, nisi cum aliquibus praelatus aliter dispensare voluerit.**

Circa hanc constitutionem primo quaeritur utrum officium mortuorum teneantur simul dicere fratres in choro, quia de hoc nihil loquitur hic constitutio; teneantur, dico, illa tentione qua tenentur ad constitutiones?

Secundo, utrum horas B. Virginis aliquas de quotidianis teneantur simul dicere aliquando (1) in ecclesia, quia nec de hoc fit ibi aliqua mentio?

Tertio, utrum occasione missarum privatarum possint se fratres

---

(1) τὸ « aliquando » ex cod. Vien.

absentare ab horis canonicis, seu Missa, cum hic dicatur quod haec simul debent audire? (1)

Quarto, utrum officiales occasione officiorum similiter se possint ab istis horis et Missa absentare?

Quinto, utrum conversi intelligantur sub istis fratribus qui simul debent audire horas?

Sexto, utrum cum aliquibus clericis possit dispensare praelatus quod omnino non dicant horas canonicas?

Septimo, utrum cum aliquibus quod non audiant Missam?

Octavo, utrum ille qui omisit aliquam horam canonicam teneatur iterum dicere illam?

Nono, utrum postquam illam dixit, alias sequentes quas dixerat teneatur reiterare? Verbi gratia, quando omisit tertiam et dixit sequentes horas aliquas, an teneatur post tertiam dictam iterare sextam dictam jam ante tertiam? (2)

Decimo, utrum sit liberatus ab horis dicendis ille qui in choro, vel extra, multa non dicit, vel non intelligit quando alii dicunt, vel non habet cor ibi?

Undecimo, quaeritur cum quibus facilius sit dispensandum in hac constitutione, quia dicitur ibi: « nisi cum aliquibus praelatus aliter dispensare voluerit? »

Respondeo: Ad primum dicendum est quod illud officium mortuorum quod dicitur semel in septimana in conventu, tenentur fratres tentione praedicta dicere in choro, non ex vi constitutionis hujus, quae de hoc non loquitur, sed ratione consuetudinis.

Item, ratione illius constitutionis quae confirmat officium, (3) cum hoc scriptum sit in *Ordinario*.

Si autem sunt extra domum, nihilominus debent illud dicere per se.

Item, dicendum est de officio mortuorum quod ex causis supervenientibus injungitur fieri in conventu, quantum ad illos qui sunt in domo. Porro ad officium mortuorum quotidianum quod dici (4)

---

(1) Cod. Salm.: quod simul audiant. — (2) τὸ « dictam jam ante tertiam. » ex cod. Salm. — (3) Cf. *Constit. Dist.* 1, *cap.* 1. — (4) Cod. Salm.: quod fieri.

solet sine nota in choro ab hebdomadario et ministris septimanae, sive ab aliis qui ad hoc scribuntur, non tenentur alii fratres, licet ex devotione pium sit iis frequenter interesse.

Ad secundum dicendum est quod completorium B. Virginis non dicitur ad primum signum quod fit pro completorio, sicut aliae horae ad signa sua, quia, (1) sicut jam dictum est, hanc habet Ordo devotionem ad ipsam quod ab ipsa incipit servitium quotidianum, et in ipsa terminat.

Item, si diceretur ei completorium ad primum signum completorii, cum restet adhuc tempus in quo vix possent fratres abstinere a loquendo, et interdum etiam restat collatio pro bibendo, jam fratres loquerentur et etiam biberent post completorium: quod valde refugit Ordo, tanquam valde irreligiosum, scilicet loqui vel bibere post aliquod completorium.

Item, multa sunt circa haec determinata per *Ordinarium* novae correctionis, (2) quae, sicut ibi scripta sunt, debent observari, quamvis haec constitutio non ita plene determinet omnia illa.

In Quadragesima, quando dicitur Missa post nonam, in conventibus in quibus sunt pauci fratres, finita Missa, statim dicantur vesperae de Virgine in conventu, ut interim ministri deponentes sacras vestes possint interesse vesperis diurnis. Ubi vero plures sunt fratres, continuantur vesperae diei cum Missa; quibus finitis, et dicto *Fidelium* cum *Pater noster,* dicuntur postea vesperae de B. Virgine, non a conventu, sed a fratribus singillatim sive in choro, sive extra, ubi voluerint.

Item, quando nona tempore jejunii dicitur in dominicis post Gratias, si post nonam dici debet officium de mortuis a conventu, tunc finita nona diurna, statim debet dici nona de Virgine a conventu, et sequuntur statim Vigiliae. (3) Alioquin, dicto *Fidelium*

---

(1) Cod. Salm.: non dicitur primo sicut aliae horae, quia.... — (2) Ab ipso scil. Humberto nostro eximie procuratae. — (3) Vide in *Praefatione* nostra pag. VII. ubi narratur ex *Vitis Fratrum* B. Humbertum aliquando remansisse ad vigilias defunctorum, post Vesperas, in ecclesia sancti Petri de Bobus. De hic agitur in *Ordinario* antiquo, a nobis quondam inter *Capitula Generalia* edendo.

cum *Pater noster,* postea dicitur nona de Virgine, non conventualiter, sed ad libitum Fratrum, sive in choro, sive extra singillatim.

Item, quando continuatur Missa post primam, et post Missam tertia, tunc tertia B. Virginis dicitur a quibusdam immediate post tertiam de die, et postea dicitur *Fidelium.* Sed melius est quod in isto casu statim dicatur post tertiam de die *Fidelium* cum *Pater noster,* et postea tertia de Virgine. Et in quibus casibus simul a fratribus dici debeant in conventu ex consuetudine et ratione, quamvis non ex ista constitutione, possunt haec elici.

Ad tertium dicendum quod quando ex consuetudine in conventu aliqui fratres post Evangelium vadunt ad celebrandum; vel alia hora, cum dicuntur horae vel Missa; vel hebdomadarius mortuorum, dum dicitur prima, et praelatus videt hoc et scit, nec prohibet ipse, vel visitator, vel alius major, possunt in hujusmodi casibus se absentare fratres celebraturi et ministri quod non eant ad chorum, quia intelliguntur in hujusmodi casibus (1) habere licentiam a praelato hoc sciente et non contradicente: aliter non sine licentia generali vel speciali.

Ad quartum dicendum quod officiales qui habent officia talia quod eorum occasione oportet eos occupari tempore quo dicuntur horae canonicae vel missae in choro, absentare se possunt a choro tempore talis necessitatis. Cum enim committitur (2) eis officium, etiam committuntur illa sine quibus non potest exerceri. Inde est quod custos dormitorii, ubi est necessaria custodia tempore horarum, remanet a choro; similiter et sacrista, dum facit ea quae sunt necessaria pro officio suo, in illo tempore non interest cum aliis; similiter procurator, quando illa hora habet aliqua facere pro suo officio quae non recipiunt dilationem; et sic in similibus.

Ad quintum dicendum quod conversi non comprehenduntur sub ista constitutione. Cum enim sint vocati ad servitia corporalia fratrum, sufficit eis breviter dicere orationes suas, et audire Missam sine nota, et postmodum vacare debent aliquibus actionibus corporalibus. Multo minus tenentur interesse officio chori quam clerici,

---

(1) τὸ « se absentare.... casibus. » ex cod. Salm. — (2) Cod. Vien.: imponitur.

qui occasione officiorum remanent a choro interdum. Immo sunt corrigendi, si occasione hujus devotionis vellent dimittere alia opera. Sciendum ergo quod tempore quo fratres vigilare solent pro studio, debent et ipsi qui sciunt officia, opera quae tunc possunt exercere, in illis tunc occupari, vel illa addiscere, vel custodire dormitorium, vel alia hujusmodi facere; de die vero diligenter circa fratrum necessitates laborare. Ad completorium tamen, nisi magna necessitas eos excuset, debent venire propter dissolutiones nocturnas vitandas. Surgere tamen debent semper cum aliis ad matutinas, ad primam et ad nonam. Si quis tamen tempore dormitionis meridianae non dormierit de die, propter occupationem in custodia portae, vel aliam, dispensandum esset cum eo ne surgeret ad matutinas cum aliis. Verumtamen si nulla sunt cum quibus possint occupari agenda, vel si sint aliqui eorum tales quod occupari non possint in aliquo, vel si tale fuerit festum quod occupari non debeant in aliquo, tunc melius est quod audiant officium divinum cum aliis quam quod sint otiosi, vel in lectis. (1)

Haec autem quae dicta sunt circa hunc articulum, quamvis scripta non sint, tamen trahuntur ex usu et ex ratione.

Ad sextum dicendum quod non, quia cum iis qui (non) sunt in sacris non potest: cum aliis etiam non potest; quia cum clerici beneficiati in non sacris teneantur (2) ad officium, multo magis quilibet religiosus qui provisionem habet ab ordine suo tenebitur, ridiculumque esset dicere contrarium. Necessitas tamen justa posset in hoc casu excusare sine dispensatione.

Ad septimum dicendum quod dispensare potest in Missa melius quam in horis canonicis: quamvis enim devotio major haberi debeat ad Missam quam ad horas, tamen non invenitur quod ita teneantur clerici ad Missam sicut ad horas canonicas. Et hoc est quia non est ita in praecepto illud sicut istud. Irreligiosum est tamen valde quod negligatur quin semper audiatur Missa a fratribus, sive sint in via, sive in domo; nec super hoc debet facile dispensari.

---

(1) Cod Salm.: vel dormiendo. — (2) Cod. Salm.:... in non sacris teneri dicantur.

XXV. Quare libenter audienda est Missa.

Sunt autem multa quae movere debent quemlibet fidelem, et maxime religiosum, ad audiendam Missam omni die. Certum est enim quod licet sint multa genera hostiarum, sicut oratio, laus, et hujusmodi, tamen nulla est tantae virtutis sicut hostia altaris. Offertur autem specialiter pro circumstantibus: immo et ipsi offerunt pro carìs suis omnibus, sicut patet ex verbis Canonis.

Item, ibi ministratur refectio animarum, et panis in sustentamentum vitae quotidie deficientis.

Item, ibi videtur oculis fidei serpens aeneus, erectus in palo ad sanandum morsus venenatos qui quotidie infliguntur.

Item, ibi exercentur virtutes theologicae ad merendum et crescendum. Quantum enim meretur fides, cujus laus est credere quod non videtur! Nullus enim fere est articulus circa quem tantum mereatur. Ibi spes elevatur, confidens de illo ad cujus mensam sedet. Ibi summe charitas inflammatur, in memoriam illius dilectionis quae fuit nobis in cruce ostensa.

Quale autem est negligere tam virtuosam hostiam pro se et suis in multis necessitatibus constitutis, tam necessariam refectionem in continuo defectu existenti, tam salutare remedium periculosis vulneribus quotidie sauciato, tantum virtutum profectum et meritum in statu proficiendi existenti?

Praeterea angeli quotidie veniunt et intersunt Missae, sicut dicunt Sancti, qui remediis istis non indigent, et pro quibus statutum non fuit sacramentum istud, pro ejus reverentia: quanto magis homo debet interesse quotidie, pro cujus utilitate statutum est!

Item, quantus contemptus est quod homo negligat in terris ire ad locum prope se, ubi invenire potest Regem coeli propter se advenisse!

Item, quale est quotidie petere panem quotidianum, et cum missus fuerit coelitus talis et tam excellens panis, contemnatur ab ipso petente!

Proinde injungi solet illis qui ex negligentia Missam aliquam dimiserunt, quod tot audiant quot dimiserunt. (1)

---

(1) Cod. Salm.. Proinde injungi solet illis poenitentia qui ex negligentia missam aliquando omiserunt.

Ad octavum dicendum est quod si transivit dies, vel tantum de die quod in residua parte diei nunquam consuevit dici talis hora, non tenetur aliquis dicere horam omissam, sed sufficit agere poenitentiam de omissione: aliter tenetur. Verbi gratia, si dimisit quis dicere hora competenti matutinas talis diei, et transiit dies tota usque post prandium, cum recordatur, non tenetur illas matutinas dicere, sed agere poenitentiam. (1)

Si autem esset circa primam, vel inter primam et tertiam, quando advertet, debet illas dicere, cum adhuc sit tempus, ne incurrat majorem omissionem.

Si opponatur: Si quis tenetur ex voto offerre Deo qualibet die, et non offert hodie, tenetur adhuc offerre quod omisit: ergo et horas; (2) dicendum est quod quaedam debentur Deo ex quibus homo consequitur lucrum, ut est oblatio vel eleemosyna, cum debentur ex voto: et talia omissa debentur adhuc pro poenitentia, quia et homini et Deo tenetur sic obligatus; alia sunt ex quibus homo nihil consequitur lucri, ut est jejunium et oratio: et talibus omissis, sufficit soli Deo satisfacere per poenitentiam, cum transiit tempus reddendi.

Si autem restat adhuc tempus reddendi, debet reddere, non ratione omissionis præteritae, sed ne incurratur omissio major.

Ad nonum dicendum quod non tenetur aliquis postquam dixit horam omissam, reiterare sequentes quas dixerit, quia substantiam ejus ad quod tenebatur reddidit. Sed honestum (3) est quod non solum de hoc agat poenitentiam, sed etiam quod reiteret in poenam suae negligentiae; et similiter in commemorationibus dictis inordinate dicendum est.

Si autem aliquis dimisit antiphonas proprias, vel responsoria, et non fuerit dispensatum cum eo ut illud officium quod dixit sufficiat, ei non sufficit dicere antiphonas illas, vel responsoria solum, sed repetendi sunt psalmi cum propriis antiphonis, responsoriis et lectio-

---

(1) Vix opus est ut moneamus hic B. Humbertum arguere ex jure tunc vigenti, quod jamdiu obsoletum est. — (2) Cod. Vien.: ergo erit reus. — (3) Cod. Salm.: honestius.

nibus quibus respondent: est enim de substantia officii ut hoc dicatur cum illo.

Si autem hujusmodi omissiones fiant in choro, non oportet hujusmodi suppletiones et repetitiones fieri cum cantu solemniter; sed sufficit quod quilibet faciat per se vel per plures insimul sine nota, quia cantus non est de substantia horarum canonicarum ad quas tenemur; et haec omnia intellige quando talis est hora quod oportet supplere (1) omissa, secundum quod dictum est in quaestionis octavae solutione. (2) Alioquin si transiit hora omnino sufficit sola poenitentia pro iis.

Ad decimum dicendum est quod aliquando habet aliquis causam rationabilem non dicendi (3) aliqua de officio propter aliqua adnexa officio, sicut cum quaerit candelam aliquis pro officio et hujusmodi; et tunc bene liberatus est a dicendo quod alii dixerunt, quia juvando eos participat iis quae ipsi dicunt. Aliquando non habet causam rationabilem, sed sola negligentia est (4) sibi causa quod non dicit, vel non intelligit, vel non habet ibi cor, in hoc casu dicendum est quod tanta posset ibi esse negligentia quod teneretur iterum dicere, si vel non dixit, vel non intellexit, vel non attendit quod dicebatur. Quando autem sit tanta non est artis determinare, sed unctionis. Et est simile in hostia legis veteris: tanta enim potuit esse macula vel debilitas in hostia, quod non liberabatur qui offerebat talem hostiam; et tam modica, quod (5) liberabatur.

Ad undecimum patet responsio ex iis quae dicta sunt super illud verbum: « in iis praecipue, quae studium, » etc.

XXVI. Quare libentius est dicendum officium in ecclesia quam extra.

Ultimo notandum quod non sunt quaerendae occasiones vel licentiae de facili remanendi a choro, sed libentius est ibi dicendum officium quam extra, propter multas causas.

---

(1) Cod. Salm.: suppleri. — (2) Cod. Salm.: in solutione octava. — (3) Cod. Salm : ad non dicenda. — (4) Cod. Salm.: Alioquin si non habet causam rationabilem, sed solam negligentiam, quae est. — (5) Cod. Salm.:... veteris quod tanta posset esse macula vel.... et tam modica, scilicet macula vel debilitas, quod....

In ecclesia enim, quia est locus Deo dedicatus, facilius exaudiuntur orationes, unde 2 *Paral. 7:* Oculi mei aperti, et aures meae erectae ad orationem ejus qui oraverit in loco isto.

Item, ibi est major multitudo; et multitudo efficacior est ad impetrandum, (1) unde Dominus in Evangelio: De quacumque re convenerint duo ex vobis, fiet eis a Patre meo, *Matth. 19:* quanto magis quando multitudo magna petit idem!

Item, conveniunt angeli sancti cum psallentibus, sicut dicit Bernardus, super illud verbum: Praevenerunt principes, scilicet coelestes, conjuncti psallentibus. *Ps. 67.* Quam gloriosum autem est habere tales socios in psallendo!

Item, ibi ordinatius fit officium sine aliqua omissione vel negligentia, quia sunt aliqui qui de hoc curam gerunt specialem. Si autem regina Saba tantum delectata fuit videns ordinem ministrantium Salomoni, quanto libentius videre debet anima aeterno Regi devota illud officium, in quo eidem servitur ordinatius et pulchrius, quam illud in quo minus ordinate!

Item, in ecclesia est Corpus Dominicum, cum reliquiis sanctorum. Credibile autem est quod ex eorum praesentia veneratoribus eorum aliquid conferatur gratiae specialis, sicut solent magnatum joculatores aliquid reportare ab eis, cum ludunt coram eis. Propter hoc psallebat David coram arca. Et duo cherubim, qui significabant conventum clericorum et religiosorum, habentes pedes obliquatos et quasi ad jubilandum paratos, facti sunt a Salomone in lateribus arcae, 2 *Par. 13.*, quae significabat Corpus Domini.

Item, propter Corpus Domini, propter reliquias, propter cruces, propter angelos, propter aquam benedictam, et hujusmodi sanctitates quae sunt in ecclesia, timent daemones ecclesiam, unde de ea cantatur: Terribilis est locus iste, scilicet daemonibus, et ideo minus possunt impedire ibidem orantes vel psallentes, quia non ita audent illuc accedere sicut alibi.

Item, ipse jubilus vocalis habet multos sanctos et utiles effectus. Unus est quod cor liquefacit in affectum sanctum, unde de Augus-

(1) Cod. Salm.: Et ubi est major multitudo facilius exaudiuntur, unde....

tino scriptum est quod flebat uberrime in hymnis et canticis suavesonantis ecclesiae vocibus vehementer affectus.

Item, mentem elevat. Bernardus: Oculos cordis attollit jubilus laudis. Unde multi rapiuntur in extasi in hujusmodi jubilatione, et ideo postquam dictum est in psalmo: In Ecclesia benedicite Deo Domino, sequitur: Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. *Ps. 67.*

Item, tristitiam malam depellit. *Glossa* super illud verbum *Jac. 5:* Tristatur aliquis vestrum, etc.: Crebra psalmodiae dulcedo nocivam tristitiae pestem depellat. Item, dicit David: Exultabunt labia mea, scilicet ita replebor gaudio, quod in labiis apparebit, cum cantavero tibi. *Ps. 70.*

Item, praeparat viam cordis Domino ad infusionem multiformium gratiarum. *Glossa* super Ezechiel: Quando vox psalmodiae per intentionem cordis agitur, omnipotenti Deo iter ad cor praeparatur. *Ps. 67:* Psalmum dicite nomini ejus; et sic: iter facite ei qui ascendit; et 4 *Reg. 3:* Cum psaltes caneret, factum est super Eliseum manus Domini.

Et ista quatuor praedicta sunt quatuor effectus in anima.

Item, diabolum fugat. 1 *Reg. 16:* David tollebat citharam, et psallebat manu sua, et refocillabatur Saul, et melius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.

Item, Deum delectat; unde in *Cant. 2,* dicit Ecclesiae: Sonet vox tua in auribus meis.

Item, militantem Ecclesiam vertit in similitudinem triumphantis quae semper jubilat. Bernardus, *Super Canticum:* Nihil in terris ita proprie repraesentat quemdam coelestis statum habitationis, sicut alacritas laudantium Deum.

Item, inimicos Ecclesiae conturbat. 2 *Par. 20:* Cumque coepissent laudes canere, vertit Dominus insidias inimicorum in semetipsos, et percussi sunt.

Felices effectus isti, et felix illa jubilatio, quae duritiam cordis resolvit, quae terrenam mentem elevat, quae tristitiam saeculi depellit, quae ad susceptionem benedictionis divinae praeparat, quae diabolum fugat, Deum delectat, militantem Ecclesiam triumphanti

assimilat, ipsiusque hostes confundit! Quam libenter ergo dicendum est officium ubi sanctitas loci facit citius exaudiri et multitudo facilius impetrat, ubi coelestes spiritus mortalibus associantur ad Creatorem laudandum, ubi ordinatius servitur Regi aeterno, ubi Christus ipse cum suorum sanctorum reliquiis praesens assistit, ubi maligni spiritus minus praevalent impedire, ubi vocalis jubilatio tot et tam sanctos effectus relinquit! (1) Propter hoc dicitur in *Ps. 67:* In ecclesiis benedicite Deo Domino. Propter hoc dicturus est Dominus in die judicii remanentibus libenter a matutinis et officio chori illud quod scriptum est in *Job. 38:* Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? Non dederunt nobis exemplum remanendi ab officio chori Apostoli, de quibus dicitur *Luc. ult.:* Erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Et hoc est verum pro tempore in quo nondum erant dispersi in mundum ad praedicandum.

Juste igitur statutum est ut officium divinum simul audiant in ecclesia fratres nostri, nisi cum aliquibus dispensaverit praelatus.

Sequitur: **Horae omnes in ecclesia breviter et succincte taliter dicantur ne fratres devotionem amittant, et eorum studium minime impediatur.**

XXVII. De malis quae sequuntur ex prolixitate officii.

Attendendum est quod ex prolixitate officii divini sequuntur inconvenientia multa.

Primum est evacuatio chori. Multi enim quaerunt occasiones remanendi et licentias occasione hujus prolixitatis, et sic chorus evacuatur.

Secundum est laesio fratrum. Pauci enim sunt adeo fortes et bene dispositi corpore quin laedantur et infirmentur interdum ex officii prolixitate, et sic oportet eos postmodum remanere in infirmitorio qui debent esse in choro.

---

(1) In cod. Salm., pro praedictis, a verbo: « ubi sanctitas loci, » habetur: « ubi tanta bona et utilia nimis sequuntur hoc est in ecclesia. »

Tertium est taedium mentis, quod fere omnes incurrunt ex prolixitate. Quod est valde cavendum in laudibus et officiis divinis: immo cum summa alacritate standum est ibi. Hieronymus: Malo psalmum unum cum hilaritate mentis decantare, quam totum psalterium cum torpore, et fastidio, et acidia.

Quartum est deformatio officii. Non enim adeo formate et decenter dici potest prolixum officium sicut breve. Laudabilius autem est modicum bene dicere quam multum male, quia qualitatibus, non quantitatibus aliquis laudatur: id est plus meretur quis ex bono quam ex magno; et laudabilior est artifex qui parum facit, sed bene, quam qui multa, sed male.

Quintum est impedimentum aliorum bonorum. Sunt autem duo valde utilia inter alia bona, quorum utrumque impedit officii prolixitas: scilicet devotio et studium, quae specialiter hic tanguntur.

Circa devotionem, notandum quod est quaedam devotio circa officium ipsum, videlicet cum devote dicitur ad extra officium; alia cui solent vacare fratres post officium, tempus meditationibus aut secretis orationibus impendendo. (1) Dicuntur autem hujusmodi meditationes et orationes secretae devotiones, tum quia ex devotione, id est ex voluntate libera et non ex necessitate Ordinis, procedunt; tum quia ibi hauritur devotio affectionum sanctarum, ut frequenter.

XXVIII. De iis quae requiruntur ad devote psallendum.

Circa primam devotionem, notandum quod sunt quidam aut indevote aut minus devote dicentes officium; quia dicunt illud ex solo usu, sine sensu intellectus; quidam autem etsi habeant cor ad ea quae dicuntur, tamen non afficiuntur; quidam etsi afficiantur aliquo genere affectionis, tamen deest eis laetitia, quae valde necessaria est in hujusmodi servitio; quibusdam autem adest laetitia, deest tamen gravitas quae levitatem repellit; quidam habent cum laetitia gravitatem, sed per superbiam alios (2) fortassis contemnentes; quidam, etsi habeant cum humilitate, tamen quae faciunt non faciunt interdum ex animi libertate, sed quasi ex quadam necessitate: quasi servi, non quasi liberi. Ut

---

(1) Cod. Salm.:... officium, aut meditationibus, aut secretis orationibus incumbendo. — (2) Cod. Vien.:... sed superbam, alios....

igitur dicatur devote officium divinum, cum devotio sit fervida voluntas faciendi aliquid certis se indiciis demonstrans, dici debet non solum ex usu, sed cum intellectu, sed cum affectu, sed laetanter, sed mature, sed humiliter, sed libere. Bernardus *Super Cant.:* Immolantes hostiam laudis, curemus cum omni vigilantia jungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati. Hujusmodi devotio est quae impinguat hostiam et facit holocaustum medullatum: et talia holocausta debemus offerre, non arida. *Ps. 65:* Holocausta medullata offeram tibi.

XXIX. De diversis generibus meditationum malarum et bonarum.

Circa secundam devotionem, scilicet meditationum, sciendum est quod timendum est valde circa suas meditationes, quia semper eas Dominus intuetur. Unde in *Ps. 18:* Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper; quasi diceret: semper vides et qualis, et cujusmodi sit meditatio quaelibet cordis mei.

Sunt autem quaedam meditationes terrenae, scilicet de terrenis vitiis; *Prov. 24:* Rapinam meditatur mens eorum; scilicet malorum. Quaedam animales, scilicet de carnalibus peccatis; *Ps. 35:* Iniquitatem meditatus est in cubili suo; scilicet injustus: iniquitatem dico quae pertinet ad cubile. Quaedam diabolicae, scilicet de malitiis, *Ps. 55:* Cogitationes eorum adversum me in malum; *Thren. 3:* Meditationes eorum adversum me tota die, dicit Filius de Judaeis. Ista tria genera meditationum pessima sunt, et fugienda.

Sunt aliae meditationes inanes et sine fructu, cujusmodi sunt cogitationes vanae. *Ps. 2:* Quare populi meditati sunt inania? Istae, etsi non adeo malae sint ut praedictae, tamen sunt fugiendae.

XXX. De fructu bonarum meditationum.

Sunt aliae meditationes laudabiles a viris sanctis sectandae. Harum quaedam sunt circa Deum, prout possibile est intellectui infirmo. Ex justitiae meditatione oritur affectio timoris; ex misericordiae meditatione, oritur affectio spei; ex sapientiae meditatione videntis omnia oritur affectio erubescentiae; ex beneficentiae meditatione oritur affectio gratitudinis et amoris; ex suavitatis meditatione oritur sancta esuries: et alia multa bona ex hujusmodi meditationibus circa Deum generantur in medi-

tante de eo. Sic meditabatur qui dixit: Super stratum meum in matutinis meditabor in te, *Ps. 62;* id est statim quando evigilabo, residebo super lectum meum, incipiam de te meditari.

Aliae sunt circa opera creationis ejusdem, in quibus multa admiranda, multa aedificatoria, multa provocatoria ad bona innumerabilia reperiuntur. *Ps. 76:* In omnibus operibus tuis et in factis manuum tuarum meditabor; scilicet incessanter.

Aliae sunt circa opera recreationis, quae sunt magna et mirabilia, et plena salutaribus effectibus. *Ps. 118:* Meditabor in justificationibus tuis semper; id est in operibus recreationis per quae justificamur.

Aliae sunt circa poenas et martyria unigeniti Filii Dei, quae propter nos recreandos sustinuit: quae diligenter sunt numeranda (1) et pensanda, et semper in memoria habenda. *Ps. 118:* Testimonia tua meditatio mea est. Dicuntur autem hujus martyria testimonia, quia testimonium idem est quod martyrium, (2) vel quia ejus passiones testificantur nobis de ejus charitate, pietate, et similibus.

Aliae sunt circa judicia profunda ipsius, qui alios ex ira projicit, aliis placatur, et similia. *Ps. 76:* Et meditatus sum nocte corde meo; scilicet non cum carne, id est non carnales, sed spirituales habui meditationes; et exponit quas, dicens, *Ps. 76:* Numquid in aeternum projiciet Deus? etc.

Aliae sunt quae sunt circa legem divinam, ad studendum ibi. *Ps. 118:* Quomodo dilexi legem tuam, Domine? Tota die meditatio mea est; quasi diceret: alii diligunt alias scientias, et ex hoc student ibi ad tempus; sed ego sic diligo legem tuam quod ibi tota die studeo meditando in ea. Immo certe non solum de die, sed etiam de nocte studet ibi justus: unde in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Aliae sunt circa Dei mandata, ad videndum quid sit impletum et quid omissum, quid faciendum et quid cavendum. *Ps. 118:* Et meditabor in mandatis tuis; scilicet numerando ea et ponderando, ad videndum quid transgressus fuissem, et quantum deliquissem, et quae et quot in antea essent facienda, quae et quot et quantum essent cavenda.

---

(1) Cod. Vien.: miranda. — (2) Ex graeco: μάρτυρ, id est testis.

Aliae sunt circa verba divina, quae plena sunt virtute et aedificatione multa. *Deut. 11:* Docete filios vestros, ut illa meditentur; scilicet verba mea. Sic faciunt qui volentes se aedificare, accipiunt verbum aliquod, investigantes quid virtutis, quid aedificationis inde possint elicere.

Aliae sunt circa propria mala et affectus, et etiam circa aliena mala et miseriam (1) hujus mundi, quae inducunt gemitum. *Is. 59:* Quasi columbae meditantes gememus; quae scilicet quasi tristes videntur meditari, et sicut meditando gemere.

Aliae sunt circa satisfactiones de malis perpetratis. *Eccli. 14:* Beatus vir qui in sapientia morabitur, et in justitia meditabitur; scilicet quomodo faciat hic justitiam de malis suis antequam fiat alibi justitia de istis gravior.

Aliae sunt circa mala futura, quae ingerunt timorem, ut quae timenda sunt non incurrantur (2) *Is. 33:* Cor tuum meditabitur timorem; scilicet ea ex quorum meditatione timor incutitur, sicut sunt poenae gehennales, dies judicii, purgatorium, mors, judicia Dei, et similia.

Aliae sunt circa bona facienda, ut quae mandantur non dimittantur. *Prov. 15:* Mens justi meditabitur sapientiam; et, ut una littera: obedientiam; licet alia sit: sapientiam, vel: scientiam. Obedientiam scilicet quae nihil omittat eorum quae sibi incumbit facere ex Dei mandatis, vel aliis quibuscumque.

Aliae sunt circa ea quae ex officio sunt cuilibet agenda. Hoc enim multum sollicite debet quilibet praemeditari, unde senex quidam, sicut dicitur in *Vitis Patrum,* quando aliquid debebat incipere, semper ante stabat multum praemeditando. 1 *Tim. 4:* Haec praemeditare; et loquitur de iis quae incumbebant ei ex officio et gratia recepta.

Aliae sunt circa dicenda. Summopere enim cavendum est viro bono ne loquatur nisi praemeditata. In praemeditando autem debet attendere ne loquatur nisi vera. *Prov. 8:* Veritatem meditabitur guttur meum.

---

(1) Cod. Salm.: miserias. — (2) τὸ « ut quae.... timenda sunt non incurrantur » habetur ex cod. Vien. in inciso sequenti, post « bona facienda. » Huc transferendum censuimus, propter sensus necessitatem.

Item, ne loquatur nisi bona et sancta. *Ps. 34:* Lingua mea meditabitur justitiam, id est justa et sancta.

Item, ne loquatur etiam vera et sancta, nisi sapienter. *Ps. 36:* Os justi meditabitur sapientiam.

Item, attendere debet ut quod loquitur sit vel ad laudem Dei, juxta illud, *Ps. 34:* Tota die laudem tuam, scilicet meditabitur lingua mea; vel ad aedificationem proximi, juxta illud, *Ps. 48:* Meditatio cordis mei prudentiam, scilicet loquetur. *Glossa:* De moribus.

Et nota quod in auctoritatibus dicitur lingua vel os meditari, et meditatio loqui, quia in viro sancto semper meditatio facit quod non loquatur quis nisi vera et bona, et hoc sapienter, et ad Dei laudem vel proximi utilitatem; et sic facit loqui virum justum, sicut patet in istis quinque auctoritatibus.

Sciendum iterum quod hujusmodi sanctae meditationes praedictae multum conferunt meditanti. Primo exercitant spiritum; *Ps. 76:* Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, scilicet sic meditando. Exercitatio vero spiritus multo plus valet quam exercitatio corporis, quae modicum (1) valet.

Item, mundant animam. Unde sequitur *ibid.:* Et scopebam spiritum meum; scilicet per meditationes.

Item, inflammant cor. Unde *ibid.:* Et in meditatione mea exardescet ignis.

Item, subjugant carnem. *Eccle. 12:* Frequens meditatio carnis est afflictio.

Item, innumerabilia bona conferunt ad regimen vitae humanae. Bernardus in libro *De consideratione,* quae est idem fere quod meditatio: Consideratio primum ipsam mentem de qua oritur purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera investigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat, agenda praeordinat, acta recogitat, ut in mente nihil remaneat aut incorrectum, aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit: quorum

(1) Cod. Vien.: multum valet.

alterum fortitudinis, alterum providentiae est. Haec est iterum quae inter necessitates et voluptates media quasi quaedam arbitra sedens, utrarumque (1) certis limitibus fines determinat, illis praebens quod satis est, istis quod nimis est demens, et sic alterutro tertiam formans virtutem quam dicunt temperantiam. Jam de justitia nunc constat consideratione mentem praeveniri, ut se formet in ea. Sic enim necesse est prius cogitet ut ex se normam dicat justitiae, non factura aliis quae sibi fieri nolit, nec quod sibi fieri velit alii negatura. Ex iis ergo patet circa quae debent versari meditationes bonorum et quam utilis sit hujusmodi devotio.

XXXI. De secretis orationibus sectandis.

Circa tertiam devotionem notandum est quod illa summe sectanda est, nec aliquo modo debent tepescere fratres circa secretas orationes quin instent illis ferventer et sollicite. Hoc enim signum est manifestum sanctitatis, nec invenitur facile aliquis qui hoc sectatus fuerit periisse, vel in religione non profecisse. Hujus exemplum reliquit nobis Salvator, qui cum nullo indigeret, toties tamen legitur orasse sic, ut nos ad hoc suo provocaret exemplo. Hujus exemplum reliquerunt nobis Apostoli qui ministerium mensarum propter hoc relinquentes, dicunt, *Act. 6:* Considerate viros ex vobis, quos constituamus super hoc opus: nos vero orationi instantes erimus. Hujus exemplum reliquerunt nobis etiam fere omnes sancti antiqui, sicut patet in gestis ipsorum; unde et Paulus eremita mortuus inventus est appodiatus ad arborem, ore et manibus ad coelum erectis, quasi orans. Hujus exemplum speciale reliquit nobis B. Dominicus, Pater noster, qui tam frequenter etiam pernoctabat in orationibus, carens lecto. (2) Hujus exemplum reliquerunt nobis primitivi fratres, sicut dicunt qui viderunt statum Ordinis primitivum. (3) Unde quidam frater de primitivis, factus fatuus ex nimia, ut creditur, devotione, cum devenisset Parisius, et die quadam intrasset in ecclesiam nostram quae nunc est, et nullum fratrem invenisset ibi orantem, et recordaretur quomodo ecclesia prima quae

---

(1) Cod. Salm.: utrisque. — (2) Cf. Malvenda, *Annal.* p. 355. — (3) Cod. Salm.: primitivi. - Cujus multa habes alia documenta in *Vitis Fratrum,* passim.

erat ecclesia parvula quasi (1) semper erat plena fratribus orantibus, in tempore quo ibi ante fuerat, et quaesiisset cujus esset ista ecclesia quae nunc est, et dictum fuisset ei quod erat Fratrum Praedicatorum, dixit: Absit hoc! Non est ecclesia Fratrum Praedicatorum. Ecclesia enim ipsorum est quaedam ecclesia parva, plena fratribus orantibus, ante altaria prostratis per totam ecclesiam: haec autem non est talis. Ex quo patet quam assidui fuerunt illo tempore fratres in orationibus.

Et notandum quod ea quae sunt de officio ecclesiastico pro magna (2) parte magis sunt laudes quam petitiones: laudes autem magis competunt (3) statui triumphantis Ecclesiae, quae est in abundantia jam recepta. Hujusmodi vero orationes secretae magis sunt petitiones quam laudes. Petitiones vero magis competunt (4) statui militantis Ecclesiae, quae est in indigentia, et ideo magis sunt hujusmodi orationes necessariae statui in quo sumus.

Item, in communi officio similiter aliquae orationes sunt pro communi statu ecclesiae: in secretis vero petit quilibet, consideratis suis indigentiis, id quod sibi reputat necessarium, (5) aut pro malis praeteritis remissionem, aut pro futuris cavendis fortitudinem; aut orat pro bonis quae desunt habendis, aut pro defectibus supplendis, aut pro imperfecto complendo, aut pro caris suis specialiter, et similia.

Item, secretae orationes magis sunt mentales quam vocales; officium vero commune (6) multum consistit in vocibus: praeferuntur vero mentales orationes vocalibus; immo non est vere oratio nisi mentalis. (7) Unde oratio definitur sic: Oratio (8) est pius affectus in Deum directus.

Item, in orationibus secretis plures generantur affectiones conpunctionis, desideriorum, et similium, quia sic orans circa singula

---

(1) Cod. Vien.:... ecclesia prima parvula, quasi. — (2) Cod. Vien.: multa. — (3) Cod. Salm.: pertinent. — (4) Cod. Salm.: pertinent. — (5) Cod. Salm.: petit quilibet confidenter illud quod sibi reputat necessarium suis indigentiis. — (6) Cod. Salm.: chori. — (7) Cod. Salm.: sine mentali. — (8) τὸ « sic: oratio. » ex cod. Salm.

quae dicit vel cogitat potest diutius immorari, et sic seipsum ad devotiones multimodas incitare, quod non licet in officio communi.

Item, hujusmodi orationes liberius effunduntur propter tumultus absentiam, sicut liberius dicit quilibet quod placet, quando solus est cum illo cui loquitur, quam quando est in turba.

Item, commune officium est de constitutione Ecclesiae; sed secretae orationes sunt de institutione Dei; neque enim ad hujusmodi officium legitur Christus incitasse: sed ad secretas multum incitavit, quia incitavit verbo, cum dicit, *Matth. 6:* Clauso ostio ora Patrem tuum; item exemplo, *Matth. 14:* Dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Et ad idem pertinentia multa reperiuntur in Evangelio.

Item, ad dicendum divinum officium non est homo semper in promptu, quia sine libris et lumine, quae desunt interdum, dici non potest: sed ad hujusmodi secretas orationes semper et in omni loco potest haberi quilibet in promptu. (1)

Item, oratio secreta multa habet in se quae faciunt eam Deo acceptam, ut est verecundiae rubor, animi tranquillitas, puritas a contagione. Unde Bernardus, *Super Cant.*, loquens de oratione secreta, dicit: Quam grata est lucida oratio verecundo colorata rubore; quam serena et placida, nullo intus perturbata clamore; quam denique munda et sincera, nullo respersa pulvere terrenae sollicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata!

Cum ergo statui nostro in quo sumus magis competant orationes secretae quam officium commune, cum in illis proprium cujuslibet agatur negotium, cum magis consistant in hoc quod magis requiritur in oratione, cum aptiores sint ad multimodas affectiones, cum liberius effundantur, cum sint de institutione divina, cum promptius possint a quolibet haberi, cum in se multas causas habeant Deo placendi ratione secreti, et quasdam praerogativas habeant super officium commune, quod tantum esse monstratum est, non sunt aliquatenus negligendae, sed cum magno fervore semper sectandae.

---

(1) Cod. Vien.: Item, officium divinum dicere non est homini in promptu, sed hujusmodi orationes.... potest habere quilibet in promptu.

XXXII. De loco et tempore orationis secretae.

Sed notandum quod locum et tempus observare oportet illum qui sic orare voluerit, sicut dicit Bernardus, *Super Cant.*: Licet autem omnis locus aptus sit ad hujusmodi orationes, tamen aptior est locus secretus, et aptissimus locus sacer.

De primo Apostolus, 1 *Tim. 2:* Volo viros orare in omni loco levantes puras manus unde fratres devoti non solum in sacris locis, sed etiam in non sacris; non solum in conventibus, sed ubique: modo in hospitiis, modo in via, modo in cella, modo in mensa, modo post refectionem, modo in lecto, modo in angulis, modo in scholis, modo super libros quos legunt, modo in horto, modo in claustro, et sic in omni locorum varietate consueverunt orare.

De secundo Isidorus, *De Summo Bono:* Oratio in locis privatis opportunius funditur. Inde est quod Dominus Deus, propter hujusmodi rei exemplum, egrediens de civitate, ubi erat tumultus, ivit in desertum locum, ubi erat sine tumultu; ibique occulte orabat, sicut habetur *Marc. 1.*

De tertio, *Matth. 21:* Domus mea domus orationis vocabitur. Per hoç enim innuitur quantum sit locus Deo dicatus competens orationi, cum ab eo nomen traxerit. Patet hoc idem etiam ex iis quae supra dicta sunt circa divinum officium (1) dicendum in ecclesia, et etiam circa hanc, quoad locum. Inde est quod Augustinus ordinat in regula sua quod nihil aliud ibi fiat, ne contingat impediri (2) illos qui praeter horas constitutas ibidem orare voluerint. Inde est quod devoti consueverunt et loca sacra visitare libenter, et mane antequam vel interdum aliis actionibus se exponant, ecclesiam visitare ad orandum ibidem. Et hoc invenit Salvator, cum ingrediens civitatem primo consuevit templum vel synagogam intrare, dans in hoc exemplum similia faciendi. *Glossa* super illud *Matth. 21:* Ingressus in urbem, primo templum adiit: Dans formam religionis; ut quocumque imus, domum orationis, si est ibi, primo adeamus,

(1) Cod. Salm.: possunt ad hoc reduci ea quae supra dicta sunt de officio divino. — (2) Cod. Salm.: Inde est quod Augustinus nihil aliud ordinat ibi fieri, ut habetur in regula sua, ne....

et per orationes Deo commendati ad peragenda negotia redeamus. Ex hoc autem derivata est consuetudo religiosorum qui declinantes ad claustra, primo consueverunt oratorium intrare, et qui religiosiores sunt id faciunt in villis, et civitatibus, et castellis, cum per illa transeunt, vel in illis remanent, cum commode possunt.

Item, sciendum (1) est quod licet omne tempus competat hujusmodi orationibus, tamen magis competit tempus ad hoc specialiter deputatum, (2); sed maxime tempus matutinum et vespertinum, inter omnia tempora orationi deputata. De primo, *Luc. 18:* Oportet semper orare, et non deficere. Inde est quod sancti viri quasi continue orant, modo in principio operum, modo in medio, modo in fine; modo in prosperis, modo in adversis; modo pro malis quae adsunt, modo pro bonis quae desunt; modo pro bonis praesentibus, modo pro futuris; interdum pro se, interdum pro aliis; interdum pro vivis, interdum pro mortuis; interdum pro personis sublimibus, interdum pro minoribus; interdum pro iter agentibus qui sunt in majori periculo; interdum pro caris suis, interdum pro inimicis; interdum pro benefactoribus, interdum pro malefactoribus: et sic in casibus innumerabilibus, qui semper occurrunt in miseriis hujus mundi.

De secundo Augustinus: « Orationibus instate horis et temporibus constitutis; » horis scilicet diei certis, et diversis temporibus, ut sunt dies rogationum, et alii multi ad hoc specialiter deputati: et hoc est sine intermissione orare, quando scilicet non pertransit quis tempus aliquod orationi deputatum sine oratione, ut innuit *Glossa, 1 ad Thess. 5,* super illud verbum: Sine intermissione orate. Creditur autem quod non sine ratione deputatae sint aliquae horae et tempora, vel festiva vel alia, specialius orationi: et ideo viri devoti plus et devotius orant in illis, tanquam in tempore magis opportuno ad orandum. *Ps. 31:* Adorabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

De tertio Bernardus, *Sup. Cant.*: Tempus feriatum commodius aptiusque est ad orandum. Dicitur autem feriatum quod vacuum est

---

(1) Cod. Vien.: dicendum. — (2) Cod. Salm.: statutum.

ab occupatione. Tale autem est matutinum ante aggressum (1) occupationum; item vespertinum, post cessationem occupationum. Hinc est quod deputata sunt apud nos specialiter ista duo tempora ad orandum, scilicet matutinum post matutinas, vespertinum post completorium, in quibus fratres semper vacare debent orationibus secretis, tam in conventu quam extra, vel plus vel minus pro tempore.

Ista sunt quae etiam David orator optimus observabat in suis orationibus. Observabat matutinum, ideo dixit, *Ps. 87:* Et mane oratio mea praeveniet te; observabat vespertinum, et ideo dixit, *Ps. 40:* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Sic etiam faciebat Christus suo exemplo nos provocans ad hoc idem. Orabat secreto mane, unde *Marc. 1:* Diluculo valde surgens, egressus abiit in locum desertum, ibique orabat; et sero secreto, unde *Matth. 14:* Ascendit in montem solus orare, vespere autem facto solus erat ibi.

Ista sunt illa duo sacrificia non carnalia, sed spiritualia, scilicet matutinum et vespertinum, quae quotidie jubentur offerri, *Exod. 29.*

Orandum est specialiter in mane et sero, ut primordia et ultima actionum nostrarum offerentes ipsi qui est Alpha et Omega, Principium et Finis, et debitas primitias inchoationis et decimas consummationis persolvamus eidem.

Orandum est mane ut in actionibus diurnis oratione dirigamur, et hoc sonat Oratio quae dicitur mane in prima; orandum est etiam in sero, ut oratione contra tentationes nocturnas muniamur, et hoc sonat Oratio quae dicitur sero in completorio. Istae autem orationes non (2) mutantur sicut orationes in aliis horis (3) secundum diversa tempora, quia immutabiliter iis de causis semper orare debemus in iis temporibus, etiamsi in alio tempore in hoc aliquid variemus.

Sciendum autem quod haec duo tempora non solum orationi, sed et meditationi congruunt. Matutinum tempus congruit meditationi, quia tunc est anima limpidior ad videndum; et ideo in hoc tempore meditabatur David, qui dicit, *Ps. 62:* In matutinis meditabor

---

(1) Cod. Salm.: ingressum. — (2) Cod. Salm.: nunquam. — (3) Cod. Salm.: orationes aliarum horarum.

in te. Vespertinum tempus congruit meditationi, quia tum recolligendus est spiritus ab actionibus et ad se reducendus ; et ideo dicitur, *Eccli. 32,* occupato per diem de actionibus: Omni cura tua explicita recumbe ; scilicet vacando hic tibi.

Huic etiam concordat sententia philosophorum. Hieronymus *Contra Jovinianum, Lib. 1:* Pythagorae praecepta sunt haec: Duorum temporum maxime habendam curam, scilicet mane et vespertinum; id est eorum quae acturi sumus, et quae gessimus. Quasi diceret quod in utroque sit meditandum.

Matutino tempore meditationi et orationi vacat vir sanctus, et ideo dicitur, *Eccli. 39:* Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo, scilicet in meditationibus, ad Dominum qui fecit illum: ecce meditatio; et in conspectu Altissimi deprecabitur: ecce oratio. Vespertino tempore vacandum est meditationi et orationi, et ideo in principio vespertini completorii dicitur: Converte nos, Deus salutaris noster! scilicet ab exterioribus actionibus ad interiora, ut tibi vacare valeamus: ecce quod pertinet ad meditationem; Et averte iram tuam a nobis, si forte in die ista in aliquo te offendimus: ecce quod pertinet ad orationem. Patet ergo ex praedictis quam assidue et propter quid insistendum est ferventer devotioni secretarum orationum.

Circa studium videtur quod non bene dicatur, cum dicitur quod abbreviandum sit officium propter illud, quia non est praeferendum studium orationi, cum, sicut dicit Isidorus, melius sit orare (1) quam legere.

Respondeo: Non praefertur hic studium orationi, sed prolixitati orationis. Melius est autem breve officium cum studio quam prolixum cum impedimento studii, propter utilitatem studii multiplicem, de qua dictum est supra. Cum igitur tam utilis sit devotio triplex praedicta, et tam utile sit studium, juste statutum est ut « breviter, » id est non nimis morose, sicut faciunt quidam religiosi; « succinte, » id est sine caudis protractionum, quas quidam facere solent (2) in terminationibus vel in pausis; « horae omnes tam diurnae quam nocturnae in

(1) Cod. Salm.: cum dicat Isidorus: Melius est orare.... — (2) Cod. Salm.: quas quidam faciunt.

ecclesia taliter dicantur, ne fratres devotionem » aliquam de tribus praedictis « amittant, » et « eorum studium, » si forte in aliquo impeditur, tamen « minime, » id est valde modicum, « impediatur. »

Sed ne forte aliquam occasione hujus brevitatis confusionem inducant in officio, distinctiones et pausas debitas non servando in psalmodia, quod nequaquam est faciendum, subditur: **Quod ita dicimus esse faciendum ut in medio versus metrum cum pausa servetur, non protrahendo vocem in pausa, vel in fine versus, sed, sicut dictum est, breviter et succincte terminetur.** Et est sensus quod idem istud quod diximus « breviter et succinte » dicendum esse, « ita dicimus, » id est intelligimus, esse faciendum, ut tamen in medio versus « metrum cum pausa » semper « servetur, » non tamen sic ut in medio versus vel in fine versus protrahatur vox, sed « breviter et succincte » tam in medio quam in fine versus terminetur sine vocis protractione.

Eliciuntur autem duo ex hoc verbo, scilicet quod pausa semper est facienda in medio versus, ne confusio fiat in officio, et quod protractio vocis fieri numquam debet, nec in medio nec in fine versus, ne fiat prolixitas.

Circa haec quae dicuntur, notandum est quod licet confusio fieri possit in officio et in aliis multis, tamen specialius tangitur hic de confusione vitanda in psalmodia. Hujus autem ratio triplex est. Una est quod de aliis quae leguntur et cantantur competenter provisum est ne fiat confusio per libros et *Ordinarium* in quibus respicitur, et tanto major apponitur ibi diligentia quanto minus cordetenus scitur. (1)

Secunda est ex hoc quod in psalmodia a pluribus ecclesiasticis personis erratur in hujusmodi confusione, et potuit probabiliter timeri ne incideremus in eorum confusionem, si non caveretur per constitutionem.

---

(1) Cod. Salm.: sciuntur.

XXXIII. Quare utimur magis psalterio quam aliis libris in officio.

Ad tertiam rationem intelligendam, attendendum est quod Ecclesia nulla Scriptura tantum utitur in officiis, sicut psalmis, et hoc propter multas rationes. Justum enim est ut convenientes ad officium divinum attendant David tantum peccatorem per poenitentiam ad statum tanti prophetae venisse, quod ubicumque terrarum ejus prophetia praefertur aliis in divinis laudibus, ex quo in Domino confortentur, (1) confidentes de ejus clementia, si voluerint poenitere.

Item, nulla Scriptura est adeo spiritualis: fere enim in quolibet versu, loquitur de Deo in multis, praecipue in illis quae magis frequentantur in horis divinis; cum Deo quasi ante oculos constituto, quod valde mentem elevat ad superna.

Item, haec est Scriptura quae innumerabiles habet salutares effectus, (2) de quibus auctoritas, quae dicitur esse Augustini, sufficienter loquitur dicens: Canticum psalmorum effugat daemones, efficit sanctitatem, refectio mentis est, sicut sol illuminat, sicut oleum defluit, voluntatem illicitam extinguit, iracundiam frangit, omnia penetrat, omnia implet, hominem deificat, sensum aperit, desiderium regni coelestis tribuit, ignem spiritualem in corde succendit, radices omnium malorum expellit, consolatio doloris est, notitia veri luminis est, taedium animae detrahit. Qui diligit canticum psalmorum assiduum, non potest agere peccatum. Et alia multa inferuntur in eadem auctoritate.

Item, ista Scriptura communior est aliis: omnia enim quae hic dicuntur, referuntur ad statum justi vel impii generalem, in quorum altero est quilibet.

Item, haec est Scriptura quae plene continet illa quae necessaria sunt ad hominis instructionem. *Glossa* in prooemio Psalterii: In hoc libro consummatio est totius theologicae paginae: ibi enim describuntur praemia bonorum, supplicia malorum, rudimenta incipientium, progressus proficientium, vita activorum, speculatio contemplativo-

(1) Cod. Salm.:... et hoc propter multas rationes justum est. Convenientes enim ad officium divinum, attendentes.... ex hoc confortantur. — (2) Cod. Salm.: Item, haec habet multos salubres effectus.

rum. Ibi dicitur quid peccatum auferat, quid poenitentia restituat, quid poenitens peccati conscius dicat, quid per poenitentiam assequatur.

Item, ista Scriptura alias excellit in claritate, maxime prophetias, sicut dicitur in *Glossa* Psalterii supradicta: alii enim auctores aenigmatice loquuntur, iste autem apertius et sine figuris pro multa parte.

Item, fere nihil est in psalmis quod non sit vel Dei laus, vel oratio: quae duo maxime competunt officio divino.

Item, psalmi sic compositi sunt quod magis competunt jubilationi vocali, quam requirit officium divinum, quam aliae Scripturae, propter distinctionem versuum: unde et David cantabat eos coram Arca; et sicut dicit Isidorus in libro *Etymologiae:* Ideo dictum est Psalterium quod uno propheta canente ad psalterium, chorus consona voce respondebat.

Item, psalmus dicitur a psallere quod est tangere: (1) ipse enim est laus Dei, quae fiebat non sola voce, sed in organo, manibus voci concordantibus; per quod significatur quod (2) in laudem Dei debent opera vocibus concordare, sicut dicit *Glossa,* super illum locum, (3) *Ps. 146:* Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus.

Colligitur ex iis quod canticum psalmorum conveniens est ad officium divinum, in Deo confortat, mentes ad superna elevat, plurimos in eis relinquit salutares effectus, communia omnibus continet, docet plene necessaria, aperte intelligitur, competentia divinis officiis in se habet, aptum est cantui vocali, suo nomine docet dignum modum laudandi Creatorem: et ideo plus utitur Ecclesia psalmis in officio quam alia Scriptura.

Et ideo cum consistat officii maxima pars in psalmodia, ex causis tam rationabilibus curandum fuit multum ne confusio fieret in psalmodia, et ex hoc nimis deturparetur officium divinum.

Item, notandum quod metrum, secundum Isidorum, dicitur id quod certa mensura pedum (4) terminatur. Mensura enim graece

---

(1) A graeco ψάλλειν, id est tangere. — (2) Cod. Salm.: per quod signum est quod. — (3) Cod. Salm.: super psalmum. — (4) Cod. Salm.: ad mensuram pedum terminatur.

μέτρον dicitur. Secundum enim hunc modum psalmi metrice compositi sunt in hebraeo : sed in translatione ista metra servari non potuerunt, sicut dicitur in *Glossa* praedicta. Cum ergo dicitur hic : « metrum servetur, » non accipitur hic proprie metrum : sed extenditur hoc nomen, ut vocetur metrum certa mensura versus, etiam sine metricis pedibus, ut sit sensus : « metrum servetur, » id est certa pars versus.

Fit autem ista distinctio per punctationem ; et sunt apud nos duo genera punctorum, infra aliquos versus : depressus, et ubi est iste debet fieri pausa brevis ; et elevatus, et ubi iste est debet fieri pausa major. Infra vero aliquos versus non est nisi unus punctus, et talis semper fieri debet elevatus, et cum tali puncto pausa major.

Non est autem intelligendum quod hujusmodi punctatio fieri debeat semper circa medietatem versus, proprie sumpto medio ; sed cum dicitur « in medio versus metrum servetur, » vocatur hic medium quidquid est inter principium et finem.

Et est sciendum quod hujusmodi pausae fiunt non solum propter decentiam psalmodiae, sed etiam propter resumptionem anhelitus, ut ipso resumpto post aliquam quietem virilius psallatur. Inde est quod in fine versuum, inter versum et versum, cum incipientes versum, jam quieverunt, non oportet fieri pausa ; sed sufficit ut caveatur ne incipiatur versus sequens ante terminationem alterius, et in terminatione vox non protrahatur.

Habendum est iterum in memoria quod hujusmodi pausae servandae sunt non solum in choro, sed ubicumque conventus dicit psalmum, vel versus psalmorum psallendo, vel quasi psallendo, sicut cum vadit ad funus, et revertitur dicendo psalmos ; cum in capitulo dicit : *Ad te levavi ;* cum in refectorio in benedictione (1) vel in gratiarum actione dicit : *Confiteantur,* et alios versus ; cum vadit ad chorum dicendo : *Miserere,* et in similibus. In officio quoque mortuorum, cum a conventu dicitur, ei psalmodia cum pausis aliquibus, et officium totum distincte dicenda sunt : non tamen oportet quod ita decenter sicut aliud officium, quia officium illud lugubre est, et hujusmodi cantus non solent tantam compositionem habere ut alii.

(1) Cod. Salm. : benedictionem.

Ubi vero in aliquibus conventibus paucitas fratrum est, et in multis occupata, etsi ordinatum sit quod posset dicere conventus officium hujusmodi sine cantu, tamen tunc cavendum est ne confuse dicatur, sed multum tractim et distincte, cum pausis debitis, propter conventus reverentiam. Et hoc idem observandum est in officio beatae Virginis, quandocumque dicitur insimul a conventu.

Non solum autem in psalmis et canticis, sed etiam in hymnis quibuscumque (1) sunt faciendae pausae, plures vel pauciores, breviores vel majores, secundum varietatem eorum, cum interdum ex pluribus, interdum ex paucioribus metris constent.

Immo natura hujusmodi carminum tales pausas requirit, v. gr.: Jam lucis orto sidere: pausa brevis; — Deum precemur supplices: pausa major; — Ut in diurnis actibus: pausa brevis; — Nos servet a nocentibus.

Nocte surgentes: pausa brevis; vigilemus omnes: pausa major; — Semper in psalmis: brevis; meditemur atque: major; dulciter hymnos.

Annue, Christe: brevis; saeculorum Domine: major; — Nobis pro hujus: brevis; tibi caro merito: major; — Ut qui te coram: brevis; graviter delinquimus: major; — Hujus solvatur: brevis; gloriosis precibus.

Pange lingua gloriosi: brevis; praelium certaminis: major; — Et super Crucis trophaeum: brevis; dic triumphum nobilem: major; — Qualiter Redemptor orbis: brevis; immolatus vicerit.

Ave, Maris stella: brevis; — Dei Mater alma: major; — Atque semper Virgo: brevis; — Felix coeli porta.

Sanctorum meritis: brevis; inclyta gaudia: major; — Pangamus socii: brevis; gestaque fortia: major; — Nam gliscit animus: brevis; promere cantibus: major; — Victorum genus optimum. Et sic in aliis.

Non solum autem in hymnis, sed etiam in *Gloria in excelsis,* in *Credo in Deum,* in *Te Deum laudamus,* et in omni eo quod cantatur, quum oporteat interdum pausare aliquantulum, expediret per virgulas transversales notari loca pausarum in libris, sicut fit in

(1) Cod. Vien.: qualescumque.

quibusdam ecclesiis, ut uniformiter pausarent cantantes, quia ex hoc quod unus pausat in loco uno, alius in alio, minus decenter fit officium.

XXXIV. De iis quae requiruntur ad bene psallendum.

Item notandum est quod ad hoc ut digne psallatur Regi coelesti, requiruntur tria, scilicet cordis intentio, status reverentia, cantus disciplina.

Intentio cordis est quod omne quod ore dicitur, corde versetur; reverentia status, ut etiam corpore in divinis laudibus adstetur reverenter; disciplina cantus, ut in ipso cantu vocali debita disciplina servetur.

De primo, Apostolus ad *Ephes. 5*: Psallentes in cordibus vestris Domino. Sic et ipse faciebat qui dicit, 1 *Cor. 14*: Psallam spiritu: revolvens scilicet in spiritu quod psallo; psallam et mente: scilicet nihil aliud tunc in mente recipiens vanarum cogitationum.

Non solum autem vanae cogitationes sunt in illa hora respuendae: immo necessariae, quae pertinent ad sollicitudinem officiorum; immo et quae alio sunt tempore salutares, ut de Scripturis et hujusmodi, sicut dicit Bernardus *Super Canticum;* et subjungit dicens: Spiritus sanctus illa hora gratum non accipit quidquid illa hora obtuleris aliud quam debes, neglecto eo quod debes. (1) Debemus ergo psallere, et psallere sapienter. *Ps. 46. Glossa:* Nemo sapienter facit quod non intelligit; nec mirum, quia a corde procedit sapientia: quomodo ergo fiet sapienter quod fit sine corde?

De secundo, Bernardus *Super Canticum:* Cum statis ad psallendum, state cum reverentia. Et vere stare debet cum reverentia psallens frater in ecclesia: locus enim in quo stat locus sanctus est. Altaria, cruces, imagines, reliquiae, intér quae stat, magnae dignitatis sunt; multitudo etiam fratrum, qui honorandi etiam sunt; circumstant angeli, in quorum conspectu psallit; respicit ille cui adstat, qui summa majestas est: et haec omnia requirunt reverentiam.

Consideret ergo frater sanctitatem loci in quo stat, dignitatem rerum inter quas stat, conventum fratrum cum quibus stat, angelorum praesentiam coram quibus stat, summae majestatis excel-

(1) Cod. Salm.: quia negligis id quod debes.

entiam cui adstat, et stet reverenter in officio divino in choro; non sicut quibusdam accidit, retento capucio albo in capite et nigro dimisso, aut aliter (1) incompositus habitu; non pedem pedi supponendo, nec crura divaricando, vel tibias inhoneste projiciendo, aut alia membra indisciplinate regendo; non excreando, aut scalpendo se indecenter, aut hujusmodi immunditiis alios provocando; non vagis oculis, sed demissis; non effronti vultu, sed pudico coram tanta majestate adstando; non toto corpore mobilis, modo huc, modo illuc se transferendo; modo super unum cubitum, statim super alium accumbendo: sed stabilitatem mentis stabilitate corporis ostendendo; (2) non levitatem dissolutionis cujuscumque in aliquo, sed maturitatem in omnibus praeferendo; non infrangendo silentium, vel aliis transgressionibus quibuscumque Deum offendendo, vel coadstantes aliquibus offensionibus conturbando; reverentias inclinationum et prostrationum debito more facere nullatenus omittendo.

Circa tertium notandum quod sunt aliqui qui ex quadam necessitate convenientes ad psallendum, illic tristitiam secum ferunt, et ideo minus accepta est eorum musica, quia non concordat musica cum luctu, nec bene sedet cantus in tristi persona. *Eccli. 22.* Contrarium faciendum est, quia cum laetitia tanta quod exterius resultet psallendum est. *Ps. 94:* Et in psalmis jubilemus ei. Est enim jubilus laetitia se exterius repraesentans.

Sunt iterum aliqui qui non ex religionis maturitate, sed ex segnitie, pigre et morose pronuntiant psalmodiam, cum tamen dicatur cuilibet, *Eccli. 31:* In omnibus operibus tuis esto velox; id est non piger.

Si autem non sunt digni stare coram regibus terrenis in aliquo servitio pigri, sicut elicitur ex illo verbo, *Prov. 22:* Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit; quanto minus coram Rege coeli! Ut ergo excitetur piger in psallendo, dicitur frequenter in psalmis: Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite!

---

(1) Cod. Salm.: non sicut quidam qui retento caputio albo, detrahunt nigrum vel aliter. — (2) Cod. Salm.: non instabilitatem mentis instabilitate corporis ostendendo.

sicut asinus pigre incedens frequenter pungitur, et frequenter ei dicitur : Vade ! Vade ! Vade ! ad excitandam pigritiam.

Sunt iterum aliqui qui sunt somnolenti et negligentes in psallendo. Bernardus, *De perverso monacho :* Pervigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias. Contra hoc dicitur, *Ps. 32 :* Bene psallite ei in vociferatione. Ille enim facit bene rem qui facit eam diligenter : vociferare autem non est dormientis, sed expergefacti. Bene ergo psallit vociferando qui pervigil est et diligens in psallendo.

Sunt iterum aliqui qui quasi febres habentes, extendentes se oscitant frequenter, replentes os vento, cum deberet esse plenum psalmo, juxta illud, *Ps. 70 :* Repleatur os meum laude. Bernardus, *De perverso monacho :* Potens ad potandum, aeger ad cantandum. Quo contra dicitur de David psallente coram Arca Foederis, 1 *Paral. 13 :* Porro David ludebat coram Domino omni cum virtute, in canticis et citharis et psalteriis. Qui enim omni virtute psallebat, non se infirmum simulabat.

Sunt aliqui qui tantum timent se gravari in clamando, quod sic submisse psallunt quod a simul stantibus vix audiuntur. (1) Quo contra dicit psalmista, *Ps. 9 :* Psallam nomini tuo altissime. Et accipe — altissime — adverbialiter.

Sunt iterum aliqui qui tantum de verbis psalmorum transiliunt vel praecidunt, quod vix reddunt debitum. Quo contra dicit psalmista, *Ps. 60 :* Sic psalmum dicam nomini tuo, ut reddam voto mea.

Sunt iterum aliqui qui adeo remisse confractisque vocibus psallunt, quod multoties potius videntur mulieres quam viri. Contra quos dicitur, *Ps. 97 :* Psallite Domino in tubis ductilibus, et voce tubae corneae. Ista enim instrumenta non habent sonum mollem, sed fortem.

Patet ex iis quod ad cantandum disciplinate, sive modo debito, psallendum est cum laetitia, excitanda est pigritia, excutienda somnolentia, non est simulanda infirmitas, non est timendum gravamen sine causa, plene dicenda sunt omnia, et viriliter decantandum. Et ideo David dictus est egregius psalmista, 2 *Reg. 23,* quia, sicut patet

(1) Cod. Salm.: audiri possunt.

ex praedictis, haec omnia servanda in psalmodia verbo docuit vel exemplo. Sic etiam docebat psallere filios suos Beatus Bernardus dicens in sermone *Super Canticum* in hunc modum: Moneo vos, dilectissimi, ut in divinis laudibus Domino alacriter assistatis: non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam sonantes, sed virili, ut dignum est, servitio et affectu verba semper depromentes. (1) Sic ergo patent tria praedicta quae requiruntur in psallendo laudabiliter.

Sed sciendum quod de iis tribus non est facta constitutio aliqua, sed solum de pausa servanda et protractione cavenda, quia difficile esset hoc communiter ab omnibus observari; constitutio vero fieri non debet nisi de iis quae posse servari sperantur.

Item, ex omissione alicujus eorum non ita deturpatur vel prolungatur officium, sicut deturparetur ex omissione pausae, vel prolungaretur ex protractione vocum: quae duo, scilicet deturpatio et prolongatio officii, specialiter sunt a nobis cavenda.

Item, ex ratione potest haberi quod illa tria servanda sunt in psallendo plus quam haec duo, et ideo magis fuit necesse de iis duobus aliquid statui.

Item, notandum est quod licet aliqui religiosi servent pausas in psalmis, quando dicunt officium extra chorum et sine nota, tamen haec constitutio non ligat nos ad haec, quod patet ex hoc quod dicitur in constitutione: « Horae omnes in ecclesia dicantur, » etc.

XXXV. Quare extra chorum dicendum est officium honeste.

Tamen nihilominus cavendum est diligenter ab omnibus ne unquam dicatur extra chorum officium, nisi (2) religiose et honeste. Cum enim habeant fratres multas occasiones dicendi frequenter officium extra chorum, et maxima pars poenitentiae nostrae consistat in officio dicendo, qui male dicunt extra chorum officium, maximam partem poenitentiae suae male faciunt.

---

(1) Cod. Salm.: muliebri quadam voce sonantes, sed virili, ut dignum est, sonitu affectum spiritus exprimentes. — (2) Cod. Salm.: ne dicantur extra chorum horae, nisi...

Item, in officio dicto confuse non potest haberi devotio (1) cordis, quod est praecipuum et magis acceptum Deo in officio. Per hoc ergo privatur officium eo quod melius est in ipso.

Item, non potest esse sine offensa Creatoris, quod officium suae majestati debitum inhoneste dicatur. In officio enim debet placari Creator: quale autem in illo officio ad iram (2) provocari, in quo debuit placari!

Item, cum non apponitur diligentia in dicendo officium hujusmodi honeste, fertur homo paulatim in consuetudinem sic male dicendi, a qua vix postquam est assuetus corrigitur quis, sicut patet in multis.

Item, omnes videntes tam extranei quam alii in hoc scandalizantur. Quale autem illud est illos qui ex professione sua tendere debent ad aedificationem omnium, factis suis (3) scandalizare homines, specialiter in iis quae ad Deum pertinent!

Item, hoc est vitium in quo fere totus clerus et religiosi innumerabiles sunt corrigendi. Quomodo autem corrigent qui eodem vitio cum eisdem laborant!

Item, officium ecclesiasticum est officium nobilissimum, quia angelicum est laudare Deum. Comedere, bibere et hujusmodi, quae sunt officia bestialia et ignobilia, fiunt tam diligenter: quam indignum est quod officium angelicum et nobilissimum fiat negligenter!

Quamvis ergo non teneantur fratres extra chorum ad hujusmodi pausas, tamen debet dici semper et ubique extra chorum honeste officium a fratribus omnibus, ne poenitentiae suae maximam partem omittant, ne ipsum officium suum valore suo et efficacia sua privent, ne Creatorem in quo placare debuerunt offendant, ne offensam incorrigibilem incurrant, ne quos aedificare debent scandalizent, ne ii quorum interest vocem corrigendi alios super hoc vitio amittant, ne bestialia et ignobilia officia angelico et nobilissimo officio praeponant.

Ut autem honeste et debito modo dicatur extra chorum, dicen-

---

(1) Cod. Salm.: attentio. — (2) τὸ « ad iram » ex cod. Salm. min. — (3) Cod. Salm.: actis suis.

dum est integre, proprie, aperte, distincte, morose, attente, reverenter.

Integre, ut nihil omittatur eorum quae debent dici in choro, vel eorum quae scripta sunt, nec officium mortuorum, nec proprietas missae dicendae in die, saltem quoad officium, (1) nec aliqua commemoratio, et similia: hoc excepto quod incoeptiones antiphonarum quae dicuntur causa intonandi psalmos non oporteat dicere ante psalmum, quia non habet hoc usus generalis Ecclesiae, et quia non incipiuntur ante psalmum causa intonandi psalmum, sed illorum cantum, (2) quae causa deficit hic.

Proprie, ut non dicatur una oratio pro alia, vel capitulum pro alio, et similia.

Aperte, ut non inter dentes, sed sic sonore dicatur et alte quod intelligibiliter audiatur.

Distincte, ut omnia verba distincte proferantur, et ante terminationem versus alterius alter non incipiatur.

Morose, ut non cursim et sub uno anhelitu multa dicantur, sed sic tractim et cum tot (3) respirationibus quod quilibet valeat omnia pronuntiare. Sicut enim cavenda est protractio in cantando, ita et velocitas (4) in legendo.

Attente, ut in illa hora nullus se occupet in aliquo alio per quod retrahatur a cogitando in iis quae dicit, sicut faciunt illi qui illa hora scindunt pennas, vel ungues, vel punctant quaternum (5) et similia; sed ab aliis pro posse cor abstractum, totum ad cogitandum in officio contrahatur.

Reverenter, ut interdum prostrationes fiant, cum oportunitas fuerit, et semper aliquae inclinationes, etsi non tantae quantae in choro, in signum reverentiae.

Item, ut incoeptio horarum, capitula, orationes, benedictiones,

---

(1) Hic « officium » idem esse atque Introitum missae memineris. — (2) Codd.: sed in illorum cantum. — (3) Cod. Salm.: sed quietius cum tot... — (4) Cod. Salm.: cavendum est a protractione et velocitate. — (5) Cod. Salm.: illi qui illo tempore scindunt ungues, vel etiam calamum, vel colligunt quaternum.

versus post responsoria, responsoria horarum, extracto caputio et stando dicantur.

Item, ut Psalmus: *Laudate Dominum de coelis,* et cantica evangelica, ut *Magnificat, Nunc dimittis* et *Benedictus Dominus Deus Israel,* semper stando dicantur.

Item, ut *Pater Noster,* seu preces aliae nunquam sedendo dicantur.

Item, ut postquam incoepta fuerit hora, non immisceantur alia agenda vel dicenda ante terminationem horae sine magna necessitate, et si immixta notabiliter fuerint, reincipiantur.

Item, ut dum officium dicitur, nulla dissolutio fiat, nulla levitas oriatur: sed cum magna maturitate et gravitate totum fiat.

Item, ut etiam frater discalciatus, vel discinctus, vel corrigiis sotularium dissolutis et notabiliter pendentibus, vel in contisiis (1) existens in dormitorio, vel alias minus decenter compositus, non conveniat ad officium; nec sic dispositus dicat, nisi necessitas rationabilem habens excusationem hoc exposcat.

---

(1) Quia vocabulum illud frequentius apud B. Humbertum occurrit, idemque corrupte tradatur passim a codicum scriptoribus, qui in *cortisias, concisias, camisias,* etc. pervertunt; nec domum in Glossariis explanetur, notandum ducimus illo eodem designari quod Itali *contigie* dicebant. Nihil autem aliud erant *contisiae* proprie quam caligarum species pedi aptissime circumductarum, atque corii solea plerumque munitarum. Benvenutus Imolensis: « (mulieres Florentinae) non portabant calceamenta contesiata, more vilium foeminarum, sicut nunc. » *(Comment. super Dantis Comoediam, Parad. XV, 101).* Buti: « *Non donne contigiate,* cioè non aveva donne Fiorenza che allora portassero contigie: contigie si chiamano calze solate col cuojo, stampate intorno al piè *(Comment. sopra la Divina Commedia,* ibid.).

Praeterea vero, et quidem improprie vocabulo praedicto omne genus ornamenti significatum est, praesertim apud Gallos veteres in suo *cointises.* Apud Matthaeum Paris idem est ac « vittae tenuiores. » (Cangius, voc. *cointises).* Notat caeterum Fresnius in latinitate barbara *contigia* pro *corrigia* passim accipi. — Humberto nostro pro calceamentis haberi patet ex infra referendis, de officio *Custodis dormitorii,* ubi ita monet: « Cum fratres.... botas vel *contisias* dimittunt in propatulo ante lectos, et similia, debet eorum negligentias in hoc supplere. » Ad officium autem *Vestiarii* « pertinet habere curam de omnibus quae pertinent ad indumenta et calceamenta, et annexa iis, ut sunt.... sotulares, *contisiae,* botae, etc. »

Item, ut cum dicitur officium in capitulo, vel in aliis locis in quibus sunt imagines, vultus ad eas vertatur. Cum autem faciunt fratres prostrationes vel inclinationes, habeant vultum ad vultum, vel vultus omnes ad eamdem partem, et non dorsum ad dorsum.

Item, ut non diversi fratres dicant unam horam, alter incipiendo, alter terminando, alter capitulum, alter orationem, sed unicus totam.

Haec igitur et quaedam similia servanda sunt vel cavenda, ut officium reverenter dicatur.

Ad dicendum quoque supradicto modo officium honeste multum confert cum dicenda diligenter praevidentur in libris; cum etiam ipsa hora officii respiciuntur in libris tam psalmi quam alia; cum, ubi multi sunt fratres, servatur in psalmodia talis psallendi modus quod unus ex una parte dicat unum versum, et omnes alii alium versum; et eodem modo in hymnis, sicut servatum fuit antiquitus in quibusdam monasteriis, ut legitur in *Vitis Patrum;* et cum frater librum non habens, illud quod nescit potius nititur auscultare quam dicere.

Circa hoc igitur quod dictum est: « Quod ita dicimus, » etc., scilicet de pausis servandis et protractionibus cavendis in psalmodia, quatuor dicta sunt: primo, quare a constitutionibus traditus est modus psallendi, potius quam cantandi alium cantum; secundo, quomodo quod de hoc dicitur, debeat intelligi; tertio, quare de pausis et protractionibus loquuntur constitutiones, potiusquam de quibusdam aliis quae pertinent ad psalmodiam; quarto, utrum quod hic dicitur teneantur extra chorum servare fratres.

XXXVI. Quare in festis dicendum est solemniter officium divinum.

Sed quia modus psallendi hic traditus non est uniformiter omni tempore servandus, subditur: **Hoc tamen magis et minus pro tempore observetur.**

In diebus enim festivis solemnius est officium faciendum, et cum pausis psallendum majoribus. In illis enim diebus non sunt ita fratres occupati in lectionibus vel studio, et sic cessat tunc pro multa parte causa abbreviandi officium, quae est impedimentum studii.

Item, illis diebus plures extranei convenire solent ad officium, et justum est ut propter eorum aedificationem devotius dicatur.

Item, in diebus festivis tenentur magis Deo vacare, quia ad hoc sunt festa instituta: et ideo decet ut morosius in ejus officio occupentur.

Item, in illis diebus solet conventus melius procurari: et ideo debet diligentius procurantis Dei servitio laborare conventus, sicut fidelis operarius diligentius laborat in opere domini cum melius procuratur.

Item, inimicus habet odio dies festos, et nititur eos perturbare: et ideo tunc magis chorus curandus ad (1) devotius solemnizandum, ne veniat ad victoriam.

Item, dies festi repraesentant illud festum magnum futurum in quo erit laus continua et devotissima: et ideo ut melius signato signum respondeat, cum omni devotione faciendum est officium laudis divinae diebus festivis.

Sunt igitur sex hujusmodi rationes: prima ex parte nostri, secunda ex parte proximi, tertia ex parte Dei, quarta ex parte stipendii, quinta ex parte adversarii, sexta ex parte ipsius festi.

Attende igitur quod haec constitutio: « Horae omnes in ecclesia, » etc. usque huc quatuor determinat: primo de modo dicendi officium, ibi: « Horae omnes; » secundo de causa hujusmodi, ibi: « taliter dicantur; » tertio de intellectu hujusmodi, ibi: « Quod ita dicimus; » quarto de variatione modi hujus, ibi: « Hoc tamen. »

Sequitur: **Tempore vero quo bis reficiuntur fratres, legatur ante completorium in ecclesia lectio: Fratres sobrii estote.**

Multi sunt qui multa sciunt difficilia, et minus utilia; de quibusdam vero facilioribus et utilioribus, quae etiam coram eis omni die versantur, nec sciunt, nec scire student reddere rationem. Quam pauci sunt nimis qui etiam cogitent cur a religiosis ante completo-

(1) Cod. Salm.: magis conandum est ad....

rium lectio dicatur potius quam a saecularibus; cur etiam a quibusdam religiosis dicatur, a quibusdam vero non; cur ab illis a quibus dicitur potius in tempore binae refectionis, quam in diebus jejuniorum dicatur; cur etiam haec lectio potius dicatur, cum aliae multae dici possent. Et tamen habent haec omnia rationem.

Ad intelligendam autem hujusmodi rationem, sciendum est quod antiquitus viri religiosi quandoque conveniebant in unum, et conferebant de spiritualibus, et ad habendas hujusmodi sanctas collationes de Deo et utilibus conveniebant post prandium, circa horam vespertinam, (1) ut frequenter, quia tempus illud magis concedebatur ad loquendum.

XXXVII De sanctis collationibus, et quid cavendum est in eis, et quare nos magis tenemur quam alii.

Quam sanctae autem fuerint eorum collationes quas habebant interrogando et respondendo, patet in libro qui dicitur *Collationes Patrum,* edito a Johanne Cassiano, in quo continentur in uno volumine decem collationes Patrum diversorum, in quibus agitur sub capitulis plus quam ducentis de fine monasticae vitae, de gratia discretionis, de tribus abrenuntiationibus, de concupiscentia carnis et spiritus, de octo vitiis principalibus, de nece sanctorum, de mobilitate animae et de spiritualibus nequitiis, de initio principatuum, de oratione, de consuetudine Paschae in Aegypto. In alio volumine septem collationes, in alio septem aliae de diversis materiis utilibus ad salutem.

Hoc idem patet ex libro qui dicitur *Dicta Patrum,* translato a Pelagio diacono Ecclesiae Romanae, in quo continentur collocutiones quas habuerunt antiquitus patres et fratres, cum conveniebant, interrogando et respondendo de profectu spirituali, de quiete animi, de compunctione, de continentia, de nihil possidendo, de oratione, de fortitudine animi, de ostentatione fugienda, de non judicando, de discretione, de sobrietate, de assiduitate orandi, de hospitalitate, de humilitate, de patientia, de charitate, de contemplatione.

Quid enim istis spiritualius? Quid utilius ad salutem? (2) Hae

---

(1) Cod. Salm.: conveniebant interdum post horam vespertinam, quia. — (2) Cod. Salm.: Quid enim istis spiritualibus utilius ad salutem?

sunt collationes sanctae quae angelos delectant, unde vidit quidam Patrum, cum fratres loquebantur de spiritualibus, angelos adstantes, et gaudio magno gaudentes cum autem iis omissis loquebantur de saecularibus, recedebant cum indignatione, et (veniebant) daemones in specie porcorum, et volutabantur inter eos quasi in coeno, sicut legitur in *Vitis Patrum.*

Hae sunt ergo collationes benedictae quae ipsum Dominum ad se venire faciunt, ubicumque fiant, sive in via, unde *Luc. 24:* Et factum est dum fabularentur, et secum quaererent de hujusmodi, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; sive in domo, unde in *eodem:* Cum autem haec loquerentur, id est de Jesu Domino, stetit Jesus in medio eorum.

Hae sunt collationes quas Paulus in primitiva Ecclesia instituit fieri dicens, 1 *Cor. 14:* Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet. Quasi dicat: de istis conferatis. Certo felix collatio quae est aut de pertinentibus ad Dei cultum, ad quod pertinet psalmus; vel de moribus, ad quod pertinet doctrina, ut dicit *Glossa;* vel de revelationibus factis sanctis, quod importat apocalypsis, quod idem est quod revelatio; (1) vel de addiscendis linguis, per quod fieri possit fructus in nationibus barbaris, quod datur intelligi per linguam; vel de expositionibus Scripturarum, quod sonat interpretatio. Et subdit dicens: Omnia ad aedificationem fiant, cum convenitis.

Proinde cum conveniunt discipuli Christi, et colloquuntur, valde debent advertere de quibus loquuntur. Unde *Luc. 24,* quaerit Dominus a discipulis suis: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem? Non sunt in eorum collocutionibus recitanda aliquorum absentium mala, quae suo foetore corrumpant; sed sanctorum virorum laudabilia facta, quae suo odore reficiant. Unde, *Eccli. 44,* dicitur: Laudem eorum, scilicet gloriosorum virorum, nuntiet ecclesia; quae est congregatio justorum, quia in tali congregatione debent eorum laudabilia opera recitari.

(1) Ex graeco ἀποκαλυπτειν, scil. revelare.

Item, non sunt ibi aliqui temere judicandi; sed judicati temere, excusandi. Unde Bernardus in laudem cujusdam viri sancti dicit: Quis illum alium judicantem, vel judicanti consentientem aliquando deprehendit? Sic enim viscera pietatis induerat, ut omnes excusaret.

Item, non sunt ibi per murmura contra majores vel officiales corda fratrum provocanda, sed potius ad pacem et charitatem cum eis habendam prudenter exhortanda, sicut faciebat Paulus dicens, 1 *Thess. 5:* Rogamus vos ut noveritis eos qui laborant inter vos et praesunt vobis, ut habeatis illos abundantius in charitate, et propter opus illorum pacem habete cum eis.

Item, non sunt ibi discutienda facta aliena, relictis propriis, sicut faciunt illi qui nesciunt legere nisi in libro alieno, tota die loquentes de alienis factis, contrarii presbytero Martino, qui nesciebat legere nisi in libro suo. Quo contra Chrysostomus: Vide in te tuos excessus: quid ad te de caeteris?

Item, non sunt ibi seminanda verba ex quibus possit frater contra fratrem ad discordiam provocari, quod summe Dominus detestatur; sed quae foveant et faciant pacem, et hoc est dicere: Pax huic domui, et non discordia; scilicet dicere ea quae ad pacem domus pertinent, sicut docet Dominus, *Matth. 10;* et praedixit, per *Is. 57,* dicens: Creavi fructum labiorum pacem iis qui longe sunt, pacem iis qui prope; quia talia vult Dominus verba proferri, per quae non discordia, sed pax et inter praesentes et inter absentes relinquatur.

Item, non sunt ibi aliquatenus aliqua turpia dicenda, quae sui memoriam in anima relinquant; sed solum honesta, et talia quae sanctam professionem deceant. *Ephes. 5:* Turpitudo nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.

Item, non sunt ibi contentiones verborum suscitandae ex praesumptione scientiae, juxta illud, 2 *Tim. 2:* Noli contendere verbis: ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium; sed potius in simplicitate audiendum est mansuete quod dicitur. *Eccli. 32:* Si bis interrogatus fueris, habeat responsum caput tuum; in multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quaerens.

Item, non sunt ibi referendi rumores de factis hujus mundi, quae cor ad mundana revocent; sed narrationes de regno futuri saeculi,

quae cor sursum elevant. *Ps. 144:* Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam̃, et gloriam magnificentiae regni tui. Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in generatione et generatione. Quam laudabilius est narrare rumores hujusmodi quam mundanos!

Item, non sunt ibi proferenda verba scurrilia, sive joculatoria, seu, quod idem est, commoventia ad risum stultum, secundum illud, *Ephes. 5:* Scurrilitas nec nominetur in vobis; sed magis locutiones de salute animarum, generantes in cordibus charitatem habentibus gaudium sanctum, sicut faciebant Paulus et Barnabas, et alii discipuli de quibus dicitur, *Act. 15:* Illi autem producti ab Ecclesia pertransibant Phoenicem et Samariam, narrantes conversionem gentium, et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

Item, non est ibi deridenda sancta simplicitas; quae potius secundum sanctos est laudibus attollenda, sicut patet per illud verbum, *Job. 12:* Deridetur justi simplicitas. Extollit eam Gregorius super illud verbum *ejusd.:* Lampas contempta apud cogitationes divitum, de Paulo dicens sic: Sed usquequo lampas ista contemnitur? Usquequo despicabilis habetur? Numquid fulgorem suum nullatenus exerit? Et quanta claritate candeat nunquam ostendit? Ostendit plane; nam cum lampas contempta apud cogitationes divitum dicitur, protinus additur: Parata ad tempus statutum. Statutum quippe contemptae lampadis tempus est extremi judicii praedestinatus (1) dies, quo justus qui nunc despicitur, sed quanta potestate fulgeat demonstratur.

Item, non est ibi in otiosis quae ratione carent expendendum tempus, quod ad agendum poenitentiam, ad consequendum veniam, ad impetrandum gratiam, ad promerendum gloriam, misericordia Salvatoris indulsit, (2) ut dicit Bernardus; sed ponderanda sunt verba quae proferuntur, ut dicantur judicio rationis. Unde illud *Ps. 36:* Et lingua ejus, scilicet justi, loquetur judicium, scilicet sententiam examinatam.

Item, non sunt ibi quaestiones movendae de curiosis et inuti-

---

(1) Cod. Salm.: designatus. — (2) Cod. Salm.: quod ad.... misericordia Salvatoris concessum est.

libus, sed loquendum est ibi de necessariis ad salutem. Unde cum fratribus loquentibus de Melchisedech sacerdote in collatione, quaereretur a Sancto Coprete, qui aderat, de eadem quaestione tertio, contundens os suum dixit: Vae tibi, Copres, qui reliquisti ea quae Deus praecepit tibi, et loqueris de iis quae Deus non requirit a te! sicut habetur in *Vitis Patrum.*

Item, non sunt effundenda ibi verba tepida et minus aedificatoria, nec verba lasciviae talia quae inflamment ad furorem: sed linguae igneae et verba ignea talia quae inflamment ad fervorem, sicut fuerunt verba Eliae, de quo legitur, *Eccli. 48:* Et verbum ejus quasi facula ardebat. Convenientibus ergo vobis omnibus in unum, omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem, sicut dicitur *Ephes. 4,* ut omnia quae dicuntur ibi, sicut dixit Apostolus supra, ad aedificationem cedant.

Sciendum autem quod sex sunt hominum genera qui magis debent loqui verba bona et spirilitualia, et cavere a contrariis. Unum est boni, quia ex ore egrediuntur quae sunt in corde: unde qui boni sunt intus, debent bona proferre. *Matth. 12:* Bonus homo de bono thesauro suo profert bona.

Secundum contemplativi, quorum conversatio est in coelis, et ideo debent loqui linguagium coeleste, sicut qui moratur in Theutonia theutonicum. (1) *Joh. 3:* Qui de terra est de terra loquitur; eadem ratione qui de coelo est, et non de mundo, hic debet loqui coelestia. Unde subditur *ibid.:* Quem misit Deus, scilicet de coelo, verba Dei loquitur.

Tertium est religiosi. Cum enim ad hoc intrent religionem ut peccata caveant, et lingua sit universitas iniquitatis, quia omnia peccata aut perpetrantur, aut consiliantur per linguam, pro nihilo religionem profitetur qui non habet linguam bonam. *Jac. 1:* Si quis non refrenat linguam suam, hujus vana est religio.

Quartum est in Ordinibus constituti, quibus incumbit verba sacra ad Dei laudem recitare tota die, et ideo non debent os suum polluere malis verbis. *Jac. 3:* Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio.

---

(1) Cod. Salm.: loquitur theutonice.

Non oportet, fratres mei, hoc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

Quintum est scientia Scripturae sacrae dotati. Hi enim qui non norunt Scripturas, et non loquuntur de spiritualibus sed de aliis, qualemcumque habent excusationem; sed qui norunt Scripturas super hoc excusari non possunt. Ideo dicitur, *Prov. 15:* Labia sapientium disseminabunt scientiam.

Sextum est praedicatores. Bernardus: Os tuum dedicasti Evangelio: talibus scilicet nugis vel fabulosis aperire illicitum est, assuescere sacrilegum.

Cum ergo nos simus in statu bonorum, immo contemplativorum, immo religiosorum, immo ordinatorum, immo peritorum in lege Dei, immo praedicatorum, quantum debemus abundare in verbis sanctis, et cavere a contrariis, et ubicumque convenimus ad loquendum habere collationes sanctas! Sed heu! recesserunt hujusmodi beatae collationes a religiosis vel ex toto, vel ex multo. Bernardus, in *Sermone Apolog.:* O quantum distamus ab illis qui in diebus Antonii extiterunt monachi! Illi siquidem cum se per tempus ex charitate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus transigerent. Nobis autem convenientibus in unum, nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugae, et risus, et verba proferuntur in ventum; panem quippe coelestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Et inde est quod solebant in collationibus minores a perfectioribus aliqua quaerere; unde in *Vitis Patrum* assidue legitur: Interrogavit frater quidam senem talem vel talem. Nunc autem, sicut dicit Sanctus, panem coelestem nemo est qui requirat: immo, quod pejus est, non solum non requiritur, sed de porrecto non curatur Si quis verba sacra vult dicere, non habet ita auditorem sicut si vellet dicere fabulosa; et impletum est quod dicitur, 2 *Tim. 4:* A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Hoc autem est opus diabolicum, quia sicut legitur in *Vitis Patrum,* cum loqueretur de Deo fratribus senex quidam, et fratres inciperent dormitare, ad ostendendum quod erat opus diabolicum, incoepit loqui de

saecularibus rebus: et statim omnes evigilati diligenter coeperunt (1) eum audire; et hac occasione sumpta ostendit eis quod hujusmodi dormitatio ad verba Dei ab illusione diabolica procedebat.

Item, solent perfectiores in spiritualibus imperfectiores loquentes de saecularibus transferre ad materiam spiritualem, inserendo aliquam spiritualem collocutionem vanis verbis, exemplo Domini, qui, cum conferrent discipuli sui quis eorum esset major, quod erat mala collocutio, transtulit eos ad utiliorem, et incoepit eis dicere: Reges gentium dominantur eorum, sicut habetur *Luc.* 22. Nunc autem, sicut dicit Sanctus, (2) etsi forte petatur panis doctrinae, nemo est qui tribuat, et impleta est illa lamentatio Jeremiae, *Thren.* 4: Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Hoc autem est valde periculosum, quia sicut dicit Gregorius, tot animarum reus est quilibet ex silentio quot potuit prodesse ex verbo. Non sic faciebat Paulus qui dicit, *Act.* 20: Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Quanta cura erat illi magno de minoribus, qui tanto tempore non solum de die, sed et de nocte; non solum verbis, sed et lacrymis; non solum in communi, sed et singulariter unumquemque monebat! Liquet jam quod ex culpa tam majorum quam minorum recesserunt hujusmodi collationes a religionibus pro multa (3) parte. Verum licet recesserint, tamen earum memoria vel earum suppletio non recessit, et ideo in earum memoriam et supplementum quidam religiosi minus occupati in Scripturis, omni die ante completorium legi faciunt lectionem, vel in capitulo vel in claustro fratribus congregatis. Nos autem qui magis occupati sumus in Scripturis, tempore jejunii habemus pro collatione hujusmodi lectionem quae legitur in refectorio hora potus. Tempore vero alio lectionem istam, scilicet: Fratres sobrii estote, etc. legimus in ecclesia ante completorii incoeptionem pro collatione. Quae et aedificatoria multa continet, et competentia illi horae. (4)

Qui enim ebrii sunt, sicut dicit Apostolus, 1 *Thess.* 5, incurrunt ex hoc multa mala in nocte.

---

(1) Cod. Salm.: statim illi evigilare atque audire eum diligenter coeperunt. — (2) Scil. Bernardus supra laudatus. — (3) Cod. Salm.: pro majori. — (4) Cod. Salm.: illi tempori.

Item ex somnolentia vel malis vigiliis solent sequi multa mala in nocte.

Item, in illo tempore princeps tenebrarum perambulans in tenebris magis exercet inimicitias suas, et certe (1) plures illo tempore solent succumbere.

Et propter hoc expedit illa hora moneri ad sobrietatem, quod fit cum dicitur: Fratres, sobrii estote; ad vigilantiam et ad sacras vigilias, quod fit cum dicitur: et vigilate, in orationibus; ad advertendum insidias inimici, quod fit cum dicitur: adversarius vester; ad pugnandum viriliter, quod fit cum dicitur: Cui resistite, fortes in fide.

Et tanguntur hic tria quae valent ad triumphandum de inimico: sobrietas scilicet jejunii, oratio et fides. De duobus primis, *Matth. 17:* Hoc genus daemonii non ejicitur nisi in oratione et jejunio; de tertio, Apostolus *Ephes. 6:* In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi spiritus ignea extinguere.

Patet ex praedictis quod hujusmodi lectio, quae pro collatione legitur ante completorium, legi non debet in ecclesiis saecularibus, cum apud saeculares non fuerit consuetudo hujusmodi collationum; nec in religionibus quae omni die habent aliam (2) lectionem pro collatione; nec apud nos in diebus jejuniorum, cum lectio refectorii hora potus fiat tunc pro collatione.

Patet iterum quam competens sit ista lectio pro collatione, cum non solum aedificatoria contineat ad quae tendere debet omnis collatio sancta, sed etiam competentia illi horae; et de competentibus tempori soleant fieri exhortationes, ut tempore tribulationis de patientia, juxta illud Apostoli, *Rom. 12:* In tribulatione, id est in tempore tribulationis, patientes; sicut etiam tempore surgendi de expellenda (3) pigritia, juxta illud, *Eccli. 32:* Hora surgendi non te tristes; et sic de aliis.

Postremo supplenda sunt quaedam non expressa per istam constitutionem, quae observantur de consuetudine, cum legitur haec lectio.

---

(1) Cod. Salm.: et frequenter. — (2) Cod. Salm.: aliquam. — (3) Cod. Salm.: excutienda.

Sciendum igitur quod finito signo completorii, vel facto signo ab illo cujus interest, frater aliquis de choro debet se praeparare, extracto caputio, ad dicendum lectionem istam; nec debet certus frater ad hoc scribi, quia collationem modo unus, modo alius, modo major, modo minor dicere debet.

Praemisso autem: Jube, Domne, ab illo qui lecturus est, et ipso capite aliquantulum inclinato ad hebdomadarium, debet hebdomadarius dare benedictionem, quae scripta est infra, capitulo *De collatione,* scilicet: Noctem quietam et finem perfectum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus; quasi diceret: Virtute sacrae lectionis, quam lecturus es, faciat nos hanc noctem pertransire in pace et quiete a tentationibus inimici Dominus.

Et quia hoc parum est, nisi in nocte ultima, quando nobis obscurabitur lux hujus mundi, haberemus finem perfectum, qui scilicet perficeret opera quae incoepimus, ideo subjungit: Et finem perfectum; orans ut Deus qui est omnipotens perficiat opera quae incoepimus, et ducat ad illum ultimum finem, ad quem quicumque veniet, habebit omnia, et nihil ei deerit: quod est perfectio: etenim perfectum est cui nihil deest; finem, inquam, istum perfectum tribuat nobis Omnipotens, qui potest hoc, et misericors, qui ad preces petentium moveri solet scil. Dominus.

Responso autem: Amen a conventu, per hujusmodi responsionem idem petente, lector, non in medio chori, ubi solent legi aliae lectiones, neque versus ad altare: sed in sede sua versus ad fratres, quasi alloquens illos, sicut ille qui praedicat vel facit collationem aedificatoriam, debet sic dicere: Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.

Et est sumpta haec lectio de canonica 1 *Petr.* 5. Licet autem non sit de illo textu hoc verbum: in orationibus, tamen dici debet, quia non ad vigilias quascumque, sed ad sacras incitandi sumus. Additum est hoc ab Ecclesia, et sumptum est de Epistola Pauli ad *Coloss.* 4, ibi dicitur: vigilantes in oratione. Hujusmodi autem additiones vel subtractiones aliquas frequenter facit Ecclesia in officio.

Dicto autem: Tu autem, et responso: Deo gratias, dicit qui

praeest: Adjutorium nostrum in nomine Domini; quasi diceret: Fratres, non solum vos qui estis in majori statu; sed nec ego, a quo major perfectio requiritur, possem facere quae sacra lectio docuit, sine adjutorio divino: et ideo rogo pro me, et pro vobis, quorum curam gero, ut in iis faciendis sit adjutorium nostrum in Nomine Domini, cujus solius adiutorio possumus hoc facere. Conventus autem hoc approbans, respondet: (1) Qui fecit coelum et terram; quasi diceret: Pater bone, faciat quod rogas ille qui adeo potens est quod sua potentia fecit coelum et terram.

Sequitur: **Facta confessione et dicto completorio, det qui praeest benedictionem, et hebdomadarius aquam aspergat benedictam.**

Tria sunt de quibus fit in hac constitutione mentio: de confessione, de benedictione, de aquae benedictae aspersione.

XXXVIII. De confessione quae fit in completorio, et primo cujusmodi sit virtutis.

Sciendum autem quod hujusmodi confessio quae fit in officio quotidiano, non est confessio sacramentalis. Sacramentalis confessio enim non fit nisi sacerdotibus: haec autem etiam fit laico.

Item, sacramentalem sequitur manus impositio, et satisfactionis injunctio: hanc autem non sic.

Item, in sacramentali dicenda sunt singularia peccata et circumstantiae variae: hic autem non sic. Non est ergo hujusmodi confessio sacramentalis, sed est quaedam humilis et publica recognitio peccatorum in genere, coram Deo et hominibus, quibus (2) subjacet Ecclesia in praesenti, de qua *Nehem. 9:* Steterunt coram Domino, et confitebantur peccata sua.

Valet autem hujusmodi cognitio ad multa, videlicet ad divini flagelli aversionem. Sicut enim abbas verberans monachum, tunc cessat cum monachus dicit: Mea culpa; sic Dominus flagellans pro peccatis cessat, cum peccatum recognoscitur a flagellato. *Lev. 26:* Affligentur donec confiteantur iniquitates suas.

---

(1) Cod. Salm.: hoc approbat et respondet. — (2) Scil. peccatis.

Item, ad peccati deletionem. In foro enim saeculari confessio peccati meretur condemnationem; sed in foro Dei remissionem, sicut patet in David, 2 *Reg. 12;* cui dicenti: Peccavi, dictum est a propheta: Dominus transtulit peccatum tuum a te. 1 *Joan. 1.:* Si confiteamur peccata nostra, fidelis Deus et justus est ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. (1)

Item, ad provocandam divinam miserationem, per quam effluit multiplex beneficium Dei super miserum: ostensio enim miseriae misericordiam solet provocare. *Judic. 10*: Dixerunt Filii Israel ad Dominum: Peccavimus; et sequitur: Qui doluit super miseriis eorum.

Item, ad suffragiorum proximi impetrationem; unde dicto *Confiteor* ab uno, subditur ab alio: *Misereatur,* etc.; et hoc est quod docuit B. Jacobus *Jac. 5,* dicens: Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.

Item, ad adversarii debellationem: ipse enim qui nunquam post peccatum se humiliavit, superatur ab humilitate se accusantis (2) in confessione. 1 *Macch. 3:* Judas, qui interpretatur confitens, (3) praeliabatur praelium Israel cum laetitia.

Item, ad Dei glorificationem: gloria enim ejus est, cum nobis, non ipsi attribuimus mala nostra. *Jos. 7:* Fili, da gloriam Deo, et confitere, atque indica quid feceris.

Quia ergo in statu praesenti pernecessarium est nobis flagella divina quibus assidue subjacemus averti, et peccata quibus haec meremur remitti, et miseriis nostris multiplicibus miseratione multiplici quotidie subveniri, proximorumque suffragiis in iis nostram impotentiam adjuvari, et pro triumpho obtinendo fideliter decertare, Deique glorificationem solerter intendere, justum est ut hujusmodi confessio, quae valet ad haec omnia, quotidie fiat in ecclesia, statu praesenti durante.

Fit autem bis in die hujusmodi confessio, id est in prima et in completorio: in mane propter peccata nocturna, in sero propter peccata diurna.

---

(1) Cod. Salm.: ab iniquitate nostra. — (2) Cod. Salm.: se humiliantis. — (3) Rectius: confessio.

Item, mane fit ut purius in die Domino serviamus; sero, ut securius in nocte quiescamus.

Item, in mane, ut nec dormiendo nos peccato caruisse gloriemur; sero, ut post omnia bona facta nos etiam peccatores recognoscendo humiliemus.

Quod autem mane fit apud nos non in principio primae, sed inter preces ultimo, (1) in completorio autem in principio, fit causa significationis: ut videlicet detur intelligi quod confessio, licet non sit necessaria nobis statim in principio vitae, tamen non est reservanda usque ad ultimum vitae, sed praemittenda.

Modus autem faciendi hujusmodi confessionem talis est: dicto *Pater Noster,* eo modo quo solet dici in principio horarum, dicit qui praeest primus *Confiteor,* etc., et conventus subjungit: *Misereatur,* etc., sicut scripta sunt in *Collectario.* Deinde dicit conventus *Confiteor,* etc., et qui praeest dicit: *Misereatur,* etc.; nec dicitur *Absolutionem* ab eo neque a conventu.

In quo notandum est quod qui praeest primo se recognoscit culpabilem, quia « quanto in loco superiori, tanto in majori » peccatorum « periculo versatur. » Unde et in Lege sacerdos primo pro sua ignorantia offerebat, sicut innuitur ad *Hebr. 9* et *11.*

Item, primo petit pro se orari, quia cujus est pro aliis intercedere primo debet esse reconciliatus. Quod autem in hujusmodi confessione non fit illa absolutio, quae importatur per illa verba: *Absolutionem et remissionem,* etc., sed solum oratio ista dicitur: *Misereatur vestri,* etc., in Missa autem cum oratione fit absolutio hujusmodi a sacerdote, propter hoc fit quia in Missa cum majori puritate debemus interesse, et ideo fit ibi cum oratione absolutio, sicut eadem de causa tempore communionis, vel generalis absolutionis.

Sed quaeritur utrum extra chorum, cum dicit frater primam vel completorium solus, possit ipsemet sibi dicere (2) post dictum *Confiteor, Misereatur tui?*

Respondeo dicendum quod sic, cum commode non habet alium

---

(1) Cod. Salm.: infra preces quasi ultimo. — (2) Cod. Salm.: dicere Confiteor.

qui sibi dicat; potest enim in officio gerere personam utriusque, scilicet confitentis et respondentis, cum non sit hujusmodi confessio sacramentalis : sicut potest dicere *Dominus vobiscum,* et respondere *Et cum spiritu tuo,* gerens personam salutantis et respondentis. Dicendum est etiam quod cum duo fratres confessionem dicunt ad invicem, major debet dicere minori: *Et vobis fratres,* quia minor gerit personam multitudinis, sicut in Missa dicitur etiam unico : *Dominus vobiscum,* eadem causa. Minor vero debet dicere majori : *Et tibi, Pater,* si est major sacerdos, vel, *tibi, frater,* si non est sacerdos.

Patet ex jam dictis quid sit hujusmodi confessio, et ad quid valeat, quare bis in die fiat, cur in prima non fiat in principio sicut in completorio, quis sit modus faciendi hujusmodi confessionem, cur in confessione facta in Missa addatur absolutio potius quam in horis, (1) utrum sibi ipsi possit hujusmodi confessionem facere, et quando debeat dici : Confiteor Vobis, vel Tibi, et quando : Tibi, Pater, vel: Frater.

XXXIX. De utilitate benedictionis quae datur in completorio et quare a praelato est danda.

Completo officio diurno, datur benedictio triplici de causa, scilicet in signum quod perseverantibus in operibus divinis in fine, completis omnibus, dabitur illa benedictio de qua dicitur, *Matth. 25 :* Venite, benedicti, etc. *Eccli. 24 :* Inter benedictos benedicetur. Dicitur de sapientia quae consistit in consummatione incoeptorum.

Item, in supplementum. Benedictio enim Domini divites facit, scilicet in spiritualibus, sicut dicitur *Prov. 10.* Datur ergo benedictio in fine diei, ut ejus virtute suppleatur in bonorum abundantia, quod minus potuit fragilitas humana in die acquirere.

Item, in munimentum. Fit enim benedictio cum cruce : diabolus autem expavescit crucem, sicut patet ex verbo Gregorii qui dicit in *Dialogo* diabolum fugisse etiam Judaeum, quem invenerat in

---

(1) Hic referri juvat rubricam Missalis O. P. an. 1504: « Quando immediate post primam celebrat (sacerdos), non dicat in prima *Confiteor,* sed sufficit ilud quod ante Missam immediate dicendum est. »

templo dormientem, sed signatum cruce, cum clamore dicentem: Vas vacuum, at signatum! (1)

Item, timet rem benedictam, quia benedictione quodammodo sanctificatur res: ipse autem timet rem sacram. Unde de sacris vestibus Aaron dicitur in libro *Sap. 18:* His cessit qui exterminabat, et haec extimuit.

Benedicuntur ergo cum cruce fratres ab initio tenebrarum, ut virtute talis benedictionis arceatur ab eis potestas tenebrarum, tanquam a re sacra, tanquam a re cruce signatis.

Modus autem benedictionis talis est: Benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper. Et fit in ista benedictione deprecatio pro benedictione non humana, sed divina, cum dicitur: Omnipotentis.

Item, petitur benedictio Trinitatis, scilicet Patris ut detur nobis posse, Filii ut detur scire, Spiritus Sancti ut detur velle: quae tria sunt ad bene operandum necessaria. Benedictionem autem Trinitatis docuit David petere suo exemplo, cum dixit: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: per trinam enim nominationem Dei, divinam dedit intelligere Trinitatem.

Item, petitur benedictio non transiens, sed durans, cum dicitur: Maneat semper; juxta quod dicitur, *Eccli. 3*: Benedictio illius in novissimo maneat.

Notandum autem quod apud quosdam religiosos datur hujusmodi benedictio ab hebdomadario: non enim videtur eis quod humilitas patiatur hujusmodi benedictionem dari a praelatis. Sed non videntur rationabiliter moveri. Si enim causa humilitatis non debet praelatus ipse exercere quod videtur ad quamdam excellentiam pertinere, multo magis nec qui minor est debet illud sibi assumere.

Item, si qui major est non debet hujusmodi benedictionem dare causa humilitatis, non est laudabilis generalis sententia Pauli dicentis, *Hebr. 7:* Sine ulla contradictione quod minus est a majore benedicitur. Immo, in isto casu, quod majus est, scilicet praelatus, benediceretur a minori suo, scilicet ab hebdomadario.

---

(1) Cod. Salm. addit: per benedictionem.

Item, cum praelatus vices Christi gerat, in tantum ut qui ei obedit Christo dicatur obedire, et qui rebellat ei Christo, dicatur rebellare, (1) et sic in aliis multis, quare non est similiter sperandum quod qui benedicitur ab ipso, benedicatur a Christo? Quod si sic sperari potest, habenda est spes major in benedictione sua quam alterius.

Item, si Esau qui malus fuit, habuit fidem maximam in benedictione paterna, sicut legitur, *Gen. 27,* quanto magis fideles et Deo devoti filii debent habere devotionem magnam ad benedictionem paternam!

Item, si patres carnales olim sua benedictione multa conferebant filiis suis, et habebant in usu benedicere eis, quanto magis credendum est quod patres spirituales sua benedictione multa conferre valeant filiis spiritualibus!

Item, si maledictio parentum multum potest nocere filiis, sicut patet ex maledictione quam dedit Noe filio suo Chanaan, *Gen. 9;* et ex verbo ubi dicitur, *Eccli. 3:* Maledictio matris eradicat fundamenta; cum Deus promptior sit ad miserendum quam ad condemnandum, quare non est sperandum quod benedictio paterna multo magis debeat bona multa filiis conferre? (2) Confert utique, et ideo dicitur, *Eccli. eod.:* Benedictio patris firmat domos filiorum. Cum igitur fides sit habenda quod ex benedictione paterna fructus multiplex relinquatur, non debet humilitas impedire quin ille qui praeest det hujusmodi benedictionem; et ideo bene dicitur in hac constitutione: « det qui praeest benedictionem. »

Sed secundum hoc opponitur, et videtur quod eadem ratione debeat praelatus dare omnes benedictiones et in mensa, et lectionum, et sic de aliis.

Respondeo: Non est simile. Aliae enim benedictiones dantur quasi lectori, (3) cum ad ejus petitionem proferantur. In quantum autem assumit quicumque officium lectoris, minor est hebdomadario, etiamsi sit prior. Et ideo tales benedictiones rationabiliter dari possunt ab hebdomadario. Benedictio autem de qua fit hic mentio datur

---

(1) Cod. Vien.: rebellet Christo. — (2) Cod. Salm.: multo magis.... conferat. — (3) Cod. Salm.: dantur solum ad lectorem.

toti conventui, et ad nullius petitionem, et ideo pertinet ad patrem congregationis.

XL. De sex quae reservanda sunt praelato in Ordine.

Et ideo sex sunt quae reservantur praelatis in officio quotidiano apud nos. Unum est facere signa, ad quae fratres vel incipiant officium, vel prosternant, vel inclinent, vel surgant: (1) et hoc magis ad eum pertinet tanquam ad praeceptorem.

Aliud est absolutio defunctorum, quod fit cum dicit qui praeest: Requiescant in pace, in capitulo; vel post horas: Fidelium; nisi cum hebdomadarius dicit: Requiescant in pace, in officio mortuorum, quia tunc est de officio suo, sicut: Benedicamus Domino, in fine. Est autem hujusmodi absolutio quasi quaedam invitatio ad orandum pro mortuis. Unde in signum obedientiae ad talem invitationem respondetur: Amen, a conventu. Non pertinet autem ad aliquem ita proprie invitatio talis, sicut ad praelatum.

Aliud est invocatio divini adjutorii quod fit cum dicitur: Adjutorium nostrum, etc. Hujusmodi autem invocatio magis ad illum pertinet qui magis debet esse ornatus virtutibus, et qui alios habet regere.

Aliud est confessio generalis quod fit cum dicit: Confiteor, in officio. Hac autem ratione qualiscumque absolutio quae fit ibi, magis pertinet ad habentem jurisdictionem.

Aliud est solutio silentii, quod fit cum dicitur in capitulo: Benedicite, et respondetur: Dominus; hoc autem ad eum pertinet quia est quaedam licentiatio loquendi.

Aliud est benedictio conventus, de qua habetur hic, et hoc pertinet ad eum quasi ad patrem. Patris enim est benedicere filiis.

Haec autem quaecumque dicuntur a praelato in officio cum gravitate majori dicenda sunt, quam communiter ab aliis dici consueverunt.

Patet ex praedictis quare benedictio datur post completorium, patet et modus benedictionis, patet et quare danda est a praelato,

---

(1) Cod. Salm.:... facere signa ad incipiendum, vel inclinandum, vel surgendum.

patet etiam quare non omnes benedictiones dantur a praelato, patet etiam quae et quot sunt quae cum benedictione hujusmodi reservantur praelato in officio quotidiano.

XLI. De aspersione aquae benedictae et ejus virtute.

Restat de aspersione aquae benedictae. Circa quod notandum quod pie creditur quod ex virtute benedictionis ecclesiasticae aqua hujusmodi consequatur magnam virtutem. Si enim tempore vindictae virtute maledictionis sacerdotalis aqua consequebatur inde tantum effectum, ut ipsa potata uterus adulterae disrumperet, sicut habetur *Num. 5*, quanto magis credendum est quod ex vi benedictionis sacerdotalis melioris tempore misericordiae consequatur aqua meliorem salutis (1) effectum, cum Deus pronior sit ad miserendum quam ad condemnandum? Consequitur proculdubio salutarem effectum et multiplicem; et est credendum quod illos effectus consequitur quos in benedictione petit Ecclesia.

Est igitur effectus unus remissio peccatorum aliquorum praeteritorum; et ideo fideles in spe ista se aspergunt ingredientes Ecclesiam; et hoc petitur cum dicitur in benedictione: Quidquid haec unda resperserit liberetur a noxa.

Alius est repressio daemonum; et propter hoc asperguntur loca sacra frequenter, ut repellantur ab illis daemones; et hoc petitur cum dicitur: ubicumque fuerit aspersa, omnis infestatio immundi spiritus abjiciatur.

Alius est consolatio Spiritus Sancti; et propter hoc tempore terroris vel horroris facienda est hujusmodi aspersio, et hoc petitur cum dicitur: ubicumque fuerit aspersa per invocationem sancti tui nominis, praesentia sancti Spiritus, qui consolator est, nobis misericordiam tuam poscentibus ubicumque adesse dignetur.

Alius est morborum depulsio; et ideo cum visitatur infirmus a sacerdotibus causa extremae unctionis, primo aspergitur aqua benedicta; et hoc petitur cum dicitur: ut creatura tua mysteriis tuis serviens ad morbos pellendos divinae gratiae sumat effectum.

Alius est habitationis humanae purgatio; et ideo portatur per

---

(1) Cod. Salm.: consequatur aqua meliorem et salutarem effectum, et multiplicem.

domos (1) fidelium in diebus dominicis; et est laudabilis et utilis consuetudo fratrum, qui hoc idem servantes faciunt eam deferri per fratrem aliquem clericum vel conversum, per dormitorium, per cellas et alias officinas in diebus dominicis; et hoc petitur cum dicitur: quidquid in locis fidelium haec unda resperserit, careat immunditia, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, etc.

Cum igitur sint hujusmodi quinque effectus aquae benedictae, propter tres primos qui sunt magis spirituales, aspergendi sunt fratres omnes circa noctem in conventu: scilicet propter delenda venialia, in die contracta; propter repressionem daemonum, qui magis solent in noctibus impugnare; propter consolationem Sancti Spiritus, quae magis est necessaria tempore nocturno, quod terribilius est quam dies. Qui autem sunt extra conventum, in domo non debent negligere quin ante ingressum lecti ad aquam benedictam, si commode possunt, accedant, ut idem beneficium consequantur; et ideo debet in tali loco reponi ad servandum, ut ab omnibus omni tempore possit communicari. Porro, in infirmitorio semper est servanda, et tam fratres quam locus sunt aspergendi frequenter, non solum propter istos tres effectus, sed propter morbos pellendos, et propter loci purgationem.

Item, hujusmodi aspersio in conventu non reservatur priori sicut benedictio: est enim sacramentale quid aqua benedicta, et ideo magis est annexa ordini quam jurisdictioni, sicut sacramentum. In omni ergo die, etiamsi sit festum duplex, non prior, sed hebdomadarius hujusmodi aspersionem facere debet, sicut dicit haec constitutio, licet benedictionem dare debeat praelatus. Hoc enim magis pertinet ad jurisdictionem ratione paternitatis, ut dictum est supra.

Modus autem faciendi aspersionem hujusmodi talis est: dum cantatur antiphona B. Virginis, collocatis fratribus in suo ordine, aliquo de junioribus deferente urceum a dextris hebdomadarii, ipse hebdomadarius, asperso altari seu altaribus coram quo vel quibus stat processio, post aspergat conventum, incipiens ab illo choro in quo stat major praelatus, prosequens primo illum chorum totum. Si nullus

(1) Cod. Salm.: et portatur propter hoc per domos.

adest praelatus, incipit semper a dextris. Perfecta autem aspersione unius chori, incipiat a superioribus alterius, deinde aspergat conversos. Si autem intersint saeculares, aspergat eos in loco in quo occurrunt, cum fratribus qui asperguntur. In diebus autem in quibus non cantatur antiphona de B. Virgine, facienda est aspersio antequam finiatur completorium.

Sed quaeritur quae sit utilitas in aspersione altarium, cum sint sacra, nec indigeant purificatione?

Respondeo creditur quod sicut diabolus voluit impedire passionem Christi, cum perpendit ex hoc suam virtutem enervari, per uxorem Pilati cui immisit phantasias in nocte de justo illo, per quas mota est ad dicendum viro suo: Nihil tibi et justo illi; *Matth. 27:* et per linguas Judaeorum dicentium: Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei, *ibid.:* ita summe vult impedire oblationem altaris ne fiat, vel ne habeat effectum debitum. Aspergitur ergo altare, in diebus dominicis ante Missam, non ut purgetur, sed ut virtute aspersionis fugetur inimicus, et conatu suo hujusmodi frustretur.

Creditur quoque pie quod angeli sancti stent juxta altaria, parati ad deferendum orationes quae fiunt ante altaria, juxta quod dicitur *Apoc. 8:* Venit angelus, et stetit juxta altare habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum quod ante thronum Dei est. In nocte ergo similiter aspergitur altare, vel altaria coram quibus fit processio, ne ascensum orationum hujusmodi quae coram eis fiunt hostis (1) impediat; sed ipso fugato angeli deferant eas in coelum.

Nec esset reprehensibile si omnia aspergerentur altaria in diebus dominicis, propter Missas quae celebrandae sunt in eis; et in nocte similiter, propter orationes quae funduntur ante ea, nisi causa vitandae prolixitatis dimitteretur.

Patet jam ex praedictis quare aqua benedicta sunt aspergendi fratres in conventu in completorio, et quod hujusmodi aspersionem non debent negligere etiam qui sunt extra conventum, et quod facienda est hujusmodi aspersio semper ab hebdomadario. Patet etiam

(1) Codd. Vien. et Salm.: fugatus hostis.

modus faciendi hujusmodi aspersionem, et quare non solum fratres, sed et altaria asperguntur.

Sequitur: **Postea dicatur Pater Noster et Credo in Deum, quod etiam fieri debet ante primam et ante matutinas.**

XLII. Unde habuit ortum quod cantaretur Salve post completorium.

Sed videtur quod sit hic omissio, quia nulla fit hic mentio de processione quam facimus in honorem B. Virginis assidue, dicto completorio, (1) antequam dicatur istud, scilicet *Pater Noster* et *Credo in Deum.*

Respondeo: A principio Ordinis, cum constitutiones fuerunt formatae, non fiebat hujusmodi processio; sed cum vexaretur quidam frater Bononiae a daemone, ordinaverunt fratres ut pro liberatione ejus cantarent *Salve Regina* post completorium, et sic factum est. Facta est autem commemoratio de angelis post matutinas, per responsorium *Te Sanctum Dominum,* pro eadem causa Parisiis. Ordinatum autem fuit in quodam capitulo quod commemoratio de angelis intermitteretur propter prolixitatem vitandam. Processio vero B. Virginis, ad quam fratres habuerunt devotionem majorem, nunquam fuit postmodum intermissa. Narravit autem Magister Jordanis quod a quodam viro religioso fide digno fuit sibi narratum quod frequenter vidit, cum fratres cantabant: Eia ergo, advocata nostra, B. Virginem prosternentem se coram Filio suo, et pro conservatione Ordinis ipsum deprecantem. Licet autem nihil esset scriptum de hoc in *Constitutionibus* aut in *Ordinario,* tamen facta fuit memoria longo tempore per antiphonam *Salve;* unde adhuc extra chorum non dicunt fratres nisi *Salve.* (2) Processu vero temporis ad tollendum fastidium fuit ordinatum et scriptum in *Ordinario* de aliis antiphonis interdum dicendis, et tunc primo fuit redactum in scripto de ista processione, quae solum ex usu fiebat ante. Nec oportuit aliquid scribi in *Constitutionibus* de hoc, ex quo fuit scriptum in *Ordinario.* (3)

---

(1) Cod. Salm.: quotidie post completorium. — (2) Cod. Salm.: cum adhuc extra Chorum non diceretur a fratribus. — (3) Quia scil. *Ordinarium* cadit sub Constitutionibus vide supra p. 9.

Inde est ergo quod hic nulla fit mentio de ista processione, licet cum omni devotione a fratribus Ordinis Praedicatorum sit in aeternum et sine intermissione facienda.

Ad sciendum autem rationem hujus observantiae, notandum est quod cum habeamus multa et magna negotia in curia coelesti, debet quilibet laborare ut habeat aliquem de sanctis, vel aliquos speciales qui sint ejus patroni et adjutores speciales in suis negotiis in illa curia promovendis, sicut fit in curiis hujus mundi. Ideo, *Job. 5,* dicitur ipsi Job in necessitate constituto: Ad aliquam sanctorum convertere; qui scilicet sit adjutor tuus apud Deum. Inter omnes autem in curia illa B. Virgo excellit in hujusmodi patronatu; et ideo dicitur Stella maris, quae super omnes stellas juvat transfretantes. *Luc. 1:* Nomen Virginis Maria; id est Stella maris.

Concurrunt autem multa ad commendationem patronatus ejusdem. Patronatus eorum qui sunt potentes in curiis est melior: talis autem est ipsa. Bernardus: Facultas ei deesse non poterit, quoniam Regina coelorum est. Ideo, *Eccli. 24,* in persona ejus dicitur: Et in Jerusalem, scilicet in superna gloria, potestas mea.

Item, quo est familiarior Domino a quo impetrandum est aliquid, tanto melior est ejus patronatus: quae autem potest esse major familiaritas quam Matris ad Filium? Bernardus: Quam familiaris Deo facta es, Domina? Quam proxima! Immo quam intima! Ideo dicitur in *Ps. 44:* Astitit Regina a dextris tuis; scilicet quasi familiaris tibi super omnes in illa curia.

Item, quanto quis sagacior est ad impetrandum et ad procurandum negotia, tanto melior est ejus patronatus: talis autem est ipsa. Bernardus: Mater ostendit Filio pectus et ubera; scilicet ad melius impetrandum. Ecce quanta industria! Ideo significatur, 1 *Reg. 25,* per Abigail, quae interpretatur: Pater meus exultans. Nulla enim fuit de filiabus Adam quae tanta fuerit ei materia exsultationis, sicut haec. Illa, sicut dicitur ibidem, erat prudentissima, et sua prudentia placavit David regem, et liberavit virum stultum a morte. O quot stultissimos B. Virgo placando Regem coeli liberavit et liberat a morte quotidie!

Item, quanto quis plus timetur ab adversariis, tanto melior est

ejus patronatus. Ipsa autem est hostibus terribilis ut castrorum acies ordinata, sicut dicitur *Cant. 6.*

Multum ergo ejus valet patrocinium, quae tam potens est in curia coelesti, tam familiaris regi illius curiae, tam sagax in procurandis negotiis, tam terribilis hostibus.

Multum autem sperari potest quod haberi facile possit ejus patronatus. Non est enim incompatiens vel dura accedentibus ad se: immo tota suavis invenitur. Bernardus: Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil in ea austerum est, nihil terribile: tota suavis est plena pietatis et gratiae, plena mansuetudinis et misericordiae. (1) Ideo dicitur *Cant. 6:* Suavis es.

Item, plus sperandum est de illius adjutorio qui plus est obligatus indigenti. Ista autem multum est obligata peccatoribus, quia eorum occasione habet quidquid habet excellentiae. Augustinus in oratione ad eam: Nos tibi, teque nobis mira vicissitudo confoederat, ut pro nobis habeas esse quod es; nos vero per te id esse quod sumus. Ideo dicitur, *Is. 11,* virga egressa de radice Jesse. Quod interpretatur incendium, quia ex incendio magni amoris quem habuit Deus ad mundum, venit ad eam: et ideo mundus fuit causa esse ipsius.

Item, sicut judex interdum dat advocatum miserabilibus personis, ita et ipsa data est in patrocinium miseris, tanquam advocata eorum; sicut et provisione divina factum est ut Esther sublimata in regnum, advocata fieret Judaici populi. Unde dicitur *Esth. 4:* Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris ut in tali tempore parareris; scilicet ad intercedendum pro populo tuo? Quod enim ponitur ibi sub dubitatione, veritas fuit. Sicut ergo in curia romana pauperes secure accedunt ad illum qui constituitur a Papa promotor petitionum pauperum, sic ad B. Virginem secure debemus accedere, cum ipsi incumbat ex officio nostra negotia procurare.

Item, plus speratur de illius subventione, cujus pia subventio multis experimentis probata est. Ipsa autem talis est, sicut exempla innumerabilia attestantur. Quis enim accessit ad eam, et non subvenit

---

(1) Cod. Salm.: et totius misericordiae visceribus abundans.

ei? Bernardus: Sileat misericordiam tuam, Virgo Beata, si quis est qui invocatam eam in suis necessitatibus sibi meminerit defuisse! Et vide quod omnibus subvenit. Bernardus: Affectu compatiendi, et subveniendi effectu, subvenit universis. Ideo dicitur *Eccli. 24:* Quasi oliva in campis, non in hortis; de cujus fructu possunt omnes communicare.

Item, subvenit in omnibus. Bernardus: Omnibus omnia facta est, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, (1) tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam: omnium denique necessitates amplissimo quodam miseretur affectu. Ideo dicitur ei: Ave, *Luc. 1,* id est sine vae, quia ab omni miseria liberat.

Item, ubique subvenit, scilicet in terra, in coelo, et in inferno. Bernardus: Latitudo ejus misericordiae replet orbem terrarum: sublimitas civitatis supernae Jerusalem invenit restauratorem, profunditas sedentibus in tenebris et umbra mortis obtinuit redemptorem.

Ideo dicitur, secundum Bernardum, Medium terrae, in *Ps. 73,* ubi dicitur: Operatus est salutem in medio terrae; quia ad ipsam, sicut ad medium, respiciunt et qui in coelo habitant, et qui habitant in inferno, et qui nos praecesserunt, et nos qui sumus, et qui nos sequentur.

Item, semper subvenit. Bernardus: Longitudo misericordiae ejus usque in diem novissimum invocantibus eam universis subvenit. Ideo dicitur, *Eccli. 24:* Usque ad futurum saeculum non desinam; scilicet subvenire omnibus.

Patet ergo (2) quantum sperari potest de ejus subventione, si fuerit invocata fideliter, cum sit suavis et patiens accedentibus ad se, cum tantum nobis teneatur, cum hoc competat sibi ex officio, cum tot sit experimentis probatum! Propter hoc dicit Paulus, *Hebr. 4:* Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae ejus: haec est enim thronus gratiae Dei, quia ab ipsa (3) egrediuntur multiplices gratiae ad ho-

---

(1) Cod. Salm.: recreationem. — (2) Cod. Vien.: Quantum ergo. — (3) Cod. Salm.: ad thronum gratiae ejus, hoc est ante istam Dominam, Genitricem Dei, plenam gratia, quia ab ipsa...

mines. Sicut enim dicitur thronus judicii unde egreditur judicium, ita dicitur juste thronus gratiae, unde egreditur gratia. Propter hoc igitur quod tantum valere potest ejus patronatus, quia tam facile potest haberi, praeferendus est ejus patronatus omnibus aliis. Et ideo facimus quotidie processionem in ejus honore, ut ipsam in coelo semper habeamus patronam.

Sunt autem multae rationes quae sumuntur ex quibusdam quae circa principium nostri ordinis acciderunt, per quae potest conjici quod ipsa sit specialis ordinis nostri patrona, cum B. Dominico, patre ac magistro ejusdem ordinis. (1) Audivi propriis auribus a quodam Cisterciensi, viro magnae certe auctoritatis, quod ante initium ordinis nostri, tempore quo abbates duodecim missi fuerunt a Papa Innocentio ad terram Albigensium, quidam illorum abbatum transiens juxta quamdam villam, et audiens quod ibidem quidam mortuus esset resuscitatus, ad quem conveniebant multi, misit illuc monachum suum ad inquirendum de hoc. Ille autem, sicut dicebatur inveniens, quaesivit ab illo resuscitato de iis quae vidisset in alio saeculo. Ille inter alia dicebat se vidisse B. Virginem tribus diebus et tribus noctibus stantem coram Filio suo, flexis genibus, et intercedentem pro mundo. Cum autem Filius suus Dominus Jesus Christus, ad repellendam eam allegaret ingratitudinem mundi, et mala quae reddebat pro bonis, et ipsa e contrario instaret ut non secundum merita mundi, sed secundum misericordiam ageret cum eo, tandem habuit responsum quod ad preces ejus adhuc differret facere justitiam de mundo, et quod mitteret adhuc aliquos qui commonere facerent eum ut se corrigeret (2); et si se corrigeret, misereretur ejus. (3) Post modicum vero tempus apparuit ordo iste in mundo: ex quo conjiciebat ille vir bonus quod ad preces B. Virginis ordo iste creatus fuisset in mundo.

Item, nonne ipsa est quae sanitatem restituit felicis memoriae fratri Reginaldo, futuro fratri; (4) et pedes unxit ejus in prae-

---

(1) τὸ « patre.... ordinis » deest in cod. Vien. — (2) Cod. Salm.:... facerent eum ad poenitentiam. — (3) Cod. Salm.: misericorditer ageret. — (4) Cod. Vien.: Sanitati restituit felicis memoriae fratrem Reginaldum futurum fratrem.

parationem Evangelii pacis, per cujus exemplum et praedicationem Ordo tantum recepit incrementum?

Item, audivi tempore novitiatus mei, si bene recolo, quod cum quaedam sancta reclusa vidisset a principio Ordinis fratres juvenes discurrentes per mundum, et in oratorio suo existens coram imagine B. Virginis, super hoc mirando cogitaret si esset possibile eos cavere a peccatis mundi, maxime cum essent juvenes et tam decoro habitu induti, audivit vocem quasi imaginis dicentem sibi: Noli timere pro fratribus istis, quia ego recepi eos in protectione mea. Et ostendit sub pallio multitudinem fratrum praedicatorum.

Ex iis ergo et aliis multis quae scripta sunt in *Vitis fratrum,* videtur quod illius ordinis, qui est ad laudandum, benedicendum et praedicandum Filium suum, ipsa sit specialis mater, producendo, promovendo, defendendo eumdem. Unde et ipsi, tanquam speciali patronae, B. Dominicus Ordinem commendabat in suis orationibus, sicut legitur in *Nova Legenda.* (1) Et inde est quod ipsi tanquam matri per processionem, sicut B. Dominico tanquam patri per commemorationem, (2) omni die recommendamus nos, habentes eos patronos speciales in coelo.

Modus autem servandus in hujusmodi processione scriptus est in *Ordinario.* Si pauci sunt fratres, vel in ecclesia exteriore non sit locus aptus ad processionem, non oportet fratres exire; sed in choro suo, positis duobus cereis cum candelabris ante altare majus, vel in aliquo loco eminenti, circa altare istud fiat officium totum hujus processionis in choro fratrum.

Si autem competens est numerus fratrum, et locus exterius aptus, semper exeundum est extra cum processione, incoepta antiphona a duobus cantoribus, vel ab illis quibus injunxerit cantor, in medio chori, in festis duplicibus, vel totis duplicibus; in aliis vero diebus ab uno cui injunctum fuerit, in sede sua, et hoc versis vultibus ad altare, praecedentibus duobus ceroferariis in superpelliceis, cum can-

---

(1) Intellige hic vitam B. Dominici a B. Humberto ipso scriptam, atque *Lectionnario* insertam. — (2) Hic accipe « commemorationem » in sensu obvio nihilque amplius fabuleris, ut tentaverit nonnullus.

delabris et cereis, sicut scriptum est in *Ordinario*. Qui dum incipitur antiphona stare debent ante altare, et, ipsa incoepta, inclinatione facta, incipere processionem. Venientes autem extra se debent ita collocare quod sint ante altare exterius, vel crucem exteriorem, vel unus ante unum, alius ante alium, si sint propinqua altaria, secundum diversas dispositiones ecclesiarum; ita tamen quod sint inter utrumque chorum, et quasi aeque distantes ab utroque choro, et debent dicere: Dignare me, etc. Fratres autem in processione exeundo debent ante imaginem Crucifixi vel Virginis exterius collocatam inclinare, et cum ad locum stationis venerint, sic se debent collocare ut non nimis stet unus juxta alium, sed sit inter fratrem et fratrem tanta distantia quod unus frater stare posset in medio, ubi loci capacitas hoc permittit; et hoc idem in omni processione observandum est, ut conventus venerabilior et major appareat.

Non sunt autem admittendi extranei ad hujusmodi processionem videndam, nisi ubi magnus est conventus, et devotio magnae multitudinis saecularium hoc requirit. Ubi vero recipiuntur, solet aliquod signum fieri appropinquante processionis hora, ut qui ex aliqua causa non intersunt completorio, veniant ad processionem. Finita igitur oratione, si intersunt saeculares, dicto *Fidelium,* revertitur processio ad chorum, et conventus dicit ibi *Pater Noster* et *Credo,* cum inclinationibus et prostrationibus more debito, quia coram saecularibus retro adstantibus non est decens facere reverentias inclinationum hujusmodi. Si vero non intersint saeculares, dicitur ibidem *Pater Noster* et *Credo in Deum,* in quorum incoeptione statim acolythi facta inclinatione revertuntur ad sacristiam.

Patet ex praedictis quare de hujusmodi processione non fit mentio in *Constitutionibus;* et quod sit facienda hujusmodi processio quotidie ad habendum B. Virginis patronatum, qui praeferendus est patronatui alterius sancti; et quare credi potest quod ordo noster eam habeat specialem Patronam cum B. Dominico: et ideo quotidie se debet utrique commendare; et quis modus servandus sit in hujusmodi processionali recommendatione.

Completa processione, vel completorio in diebus quibus non fit processio, dicitur ab illo qui praeest, vel si non adsit praelatus aliquis,

ab hebdomadario : Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace ; et conventus respondet : Amen. Quae forma semper tenenda est in terminatione horarum diei. Cum autem dicitur in conventu, dicendum est cum magna gravitate, et ita sonore quod clare ab omnibus percipiatur, et simili voce respondendum est : Amen.

XLIII. De Oratione Dominica, et quomodo sit ista proprie oratio plus quam alia.

Postea dicitur *Pater Noster* et *Credo in Deum,* sicut dicit haec constitutio. Et notandum quod ex hoc quod hic dicitur : « Postea dicatur *Pater Noster,* » et ex illo quod dicitur primo capitulo proximo : « Facto signo dicant *Pater Noster,* » tracta est consuetudo quam habemus dicendi *Pater Noster* in principio et in fine horarum.

Item, ex hoc quod dicitur de *Credo* dicendo ter, scilicet in principio matutinarum et primae, et in fine completorii, cum in diebus in quibus preces dicuntur, bis dicamus inter preces illud, scilicet in prima et in completorio, patet quod quinquies dicimus fere omni die Symbolum fidei ; et ideo quaeritur quae sit horum ratio.

Respondeo : Ad primum dicendum quod tres sunt orationes quae magis ex usu in Ecclesia frequentantur, scilicet *Credo in Deum,* et hanc fecerunt apostoli ; *Ave Maria,* et hanc fecit angelus ; *Pater Noster,* et hanc fecit Filius Dei. Inter omnes autem orationes Ecclesiae, istas seu alias, *Pater Noster* habet quasdam praerogativas. Habet praerogativam a proprietate, quia *Credo in Deum, Ave Maria, Psalmi* et alia quae dicuntur in Ecclesia, licet orationes reputentur, tamen pro multa (1) parte non sunt proprie orationes, sed potius laudes vel hujusmodi ; sed *Pater Noster* et quidquid in eo continetur propriissime et vere est oratio.

Item, ab auctore, quia majoris excellentiae est incomparabiliter conditor hujus quam conditores aliarum.

Item, a plenitudine : continet enim quidquid necessarium est homini, sicut ostenditur multipliciter a doctoribus, (2) quod non invenitur in alia quacumque oratione.

Item, facilitate : brevis enim est, et ideo facile potest sciri ; unde

---

(1) Cod. Salm. : pro majori. — (2) Cf. 22ae, q. 83, a. 9.

nullus excusari potest nisi addiscat, nisi memoriter retineat, si fastidiat, si non frequenter dicat.

Item, a communitate: nihil enim in ea proprie petitur, sed communiter pro omnibus; hoc autem est charitatis communia propriis anteferre.

Item, a certitudine placendi Deo: de aliis enim orationibus, nescimus si Deo placeant; sed de illa quam ipsemet docuit esse dicendam, quis dubitare potest si sit ei accepta?

Item, ab effectu: delet enim quotidiana peccata, sicut dicit Augustinus; de nulla autem alia dicitur istud. Ex hoc igitur quod tam virtuosa est Oratio Dominica, expedit ut in officio ecclesiastico misceatur frequenter, sicut miscetur species pretiosa inter herbas minoris valoris in salsa, ad faciendum meliorem salsam. (1)

Qui autem brevius habent officium plus miscere debent, ut virtute hujus orationis suppleatur quod minus est in quantitate. Justum igitur fuit ut nos qui breve habemus officium, non solum diceremus Orationem Dominicam inter preces, sicut faciunt ecclesiae multae, sed pluries: et sic facimus dicendo ante horarum incoeptionem, et in fine.

Porro in fine horarum dicimus Orationem Dominicam semper, specialiter pro defunctis, ut sic suppleamus quoquo modo (2) quod rarius dicimus officium mortuorum quam alii multi.

In principio vero dicimus duplici de causa: una est ut virtute Orationis Dominicae detur nobis digne dicere sequens officium divinae laudis, quod est difficile.

Alia est ut merito officii dicendi detur nobis assequi quod in Oratione Dominica petitur primo. Ex hoc patet quod quando dicimus officium mortuorum non continuando cum aliis horis, non oportet dici in principio Orationem Dominicam, sicut habet consuetudo, quia non concurrunt in illo officio ista duo quae sunt causa dicendi orationem istam in principio horarum. Non enim exigitur tanta cura ad dicendum digne officium pro mortuis, sicut officium quod fit ad laudem Dei.

---

(1) Cod. Salm.: ad condendam bonam salsam. — (2) Cod. Salm.: quodammodo.

Item, in officio mortuorum non intendimus orare pro nobis, sed solum pro defunctis; et ideo non oportet praemitti Orationem Dominicam, quae praemittitur ad hoc ut detur digne dici sequens officium, et ad hoc ut merito officii dicendi detur nobis consequi quod in oratione petitur. In fine tamen postquam dictum est *Requiescant in pace,* debet dici *Pater noster,* quia illud *Pater noster* bene respondet praecedentibus, cum dicatur pro mortuis, sicut aliud officium; nec est tenenda eorum opinio qui dicunt quod in isto officio non debet dici Oratio Dominica in fine, sicut non dicitur in principio.

Quod autem dictum est de non dicendo Orationem Dominicam in principio hujus officii, non est intelligendum de officio mortuorum quod fit in crastino Omnium Sanctorum: illud enim est quasi officium diurnum, et ideo praedicitur ibi *Pater noster,* sicut in officio diurno. Tenendum est etiam quod quandocumque post aliquam horam diurnam immediate dicitur Missa, vel aliqua hora de B. Virgine, seu aliud quodcumque officium, semper illo terminato debet dici Oratio Dominica pro defunctis. Non enim propter sequelam istam debent defuncti defraudari oratione sibi debita.

Si autem quaeritur quare non *Pater noster* dicatur a nobis alte inter preces in horis, sicut fit a quibusdam aliis religiosis, dicendum est quod Dominus in cruce reperitur cum clamore orasse, unde ad *Hebr. 5;* dicitur: Preces, supplicationesque cum clamore valido offerens, scilicet in cruce. Et ideo religiosi quidam, quasi in cruce existentes, et cum Domino in cruce preces offerentes, cum clamore dicunt Orationem Dominicam.

Alii vero, quos nos imitamur, minora de se sentientes, causa humilitatis in modo dicendi hujusmodi orationem saecularibus et imperfectis se conformant. Hinc est etiam quod in Missa dicitur cum clamore Dominica Oratio, quia sacerdos in Missa gerit figuram Christi offerentis se in cruce, et ideo se conformat eidem in Missa, alte orationem ejus recitando. Alibi vero non reperitur alte orasse Dominus, et ideo in aliis horis divinis communiter non dicitur alte, sed silenter: quamvis et alia ratio assignari possit. Cum enim ab omnibus requiratur ut Orationem Dominicam sciant, in Missa ad

quam plures conveniunt potius quam ad alias horas in alto dicitur, ut laicis omnibus detur occasio Orationem Dominicam addiscendi.

Sed iterum quaeritur quare Orationem Dominicam quae dicitur inter preces aliquando intermittimus, illam vero quae dicitur in principio horarum vel in fine nunquam dimittimus?

Respondeo: Quaedam festa sunt quae repraesentant futuram solemnitatem, in qua nihil petitur (1) quia omnia habebuntur: sicut sunt festa duplicia et majora; et in hujus figuram in istis festis non dicuntur hujusmodi orationes, quae preces vocantur, nec *Pater Noster* cum eis; similiter nec in illis diebus in quibus ex certa ratione dimittuntur preces, ut in sexta feria Passionis, et similibus.

Alia sunt festa, scilicet minora istis, quae non plene repraesentant illam solemnitatem, et ideo in parte et non in toto dimittuntur preces in illis festis, scilicet in horis quibusdam; sed non in prima et completorio, quae sunt tempora quibus magis annexae sunt orationes, et ideo rarius dicuntur sine precibus, sicut dictum est supra, super illud verbum: « ne fratres devotionem amittant. »

Licet autem in hujusmodi casibus illa *Pater Noster* intermittantur quae inter preces dici solent, eo quod preces intermittuntur vel in toto, vel in parte, tamen illa non debent dimitti quae non proprie ratione precum hujusmodi, sed ex causa alia dici solent. Talia autem sunt illa quae dicuntur in principio et in fine horarum.

Patet jam quare Orationem Dominicam pluries dicimus quam alii multi, quare in fine horarum, quare in principio; quare in officio mortuorum quotidiano in fine, non in principio; quare nunquam est dimittenda in fine horarum, aliis interpositis; quare non dicimus alte, sicut quidam religiosi; quare nunquam dimittimus in principio et in fine horarum, etsi quandoque dimittimus in precibus.

XLIV. De Symbolo. Ad secundum quod quaeritur de Symbolo, dicendum est quod haec oratio pertinens ad fidem, post Dominicam Orationem, quae ad opera pertinet, praecellit et ratione auctorum, qui sunt Apostoli; et ratione plenitudinis, quia continet omnes

(1) Cod. Salm.: nihil petere necesse est.

articulos; et ratione virtutis: tot enim potest habere virtutes quot fides quam continet. Dicimus ergo eam pluries quam alii multi, ut ejus virtute suppleatur cum Oratione Dominica quod minus habet brevitas quam habemus in officio divino. Sane hac de causa universalis Ecclesia consuevit dicere bis symbolum apostolicum in die, scilicet in prima et completorio; et est hujus ratio precum effectus. Cum enim illae horae sint aptiores ad preces, sicut supra dictum est, et plures (1) in ea fiant preces, immiscetur precibus illis symbolum fidei, ut fidei virtute effectum habeant, quia fides facit orationem efficacem. *Jac. 1:* Si quis indiget sapientia, postulet in fide. Isto modo dicimus bis conformando nos Ecclesiae generali.

Item, Orationi Dominicae, quae ultimo dicitur in die (2) pro mortuis circa tempus quietis, quod magis competit mortuis, addimus Symbolum fidei intuitu mortuorum multiplici. Cum enim oramus pro mortuis, non intendimus orare nisi pro fidelibus, et ideo Symbolum fidei adjungitur Orationi Dominicae, quae pro mortuis dicitur, quasi diceretur: Domine, pro illis mortuis rogamus, qui in hac fide nobiscum fuerunt.

Item, in Symbolo sunt articuli multi, qui pertinent ad mortuos, sicut est: Carnis resurrectionem, Vitam aeternam; et ideo post Orationem Dominicam dictam pro mortuis, profitemur fidem in qua continetur spes quam de mortuis habemus, quasi diceremus: Domine, pro mortuis rogamus: non enim sumus sicut illi qui spem non habent de mortuis; sed speramus et credimus carnis resurrectionem et vitam aeternam restare.

Item, fides aliena multum valere potest aliis, secundum quod dicitur super illud verbum, *Marc. 2:* Ut vidit fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Et ideo pro defunctis fidem nostram confitemur, scientes (3) quod fides nostra potest eis valere. Cum Oratione ergo Dominica dicta pro mortuis dicimus Symbolum intuitu mortuorum, ut ex fidei nostrae confessione discernatur pro quibus oramus; innotescat etiam spes quam habemus de

---

(1) Cod. Salm.: pluries. — (2) Id est post completorium. — (3) Cod. Salm.: attendentes.

mortuis, et ipsa fides nostra prosit eis: et sic dicimus Symbolum tertio.

Item, in principio officii nocturni, et in principio diurni dicimus quasi jacientes fidei fundamentum totius nostri servitii, sive operum, tam in nocte quam in die, in qua certum est quod debent esse fundata omnia opera nostra: et sic bis dicentes, dicimus in universo quinquies.

Si quaeratur quare inter preces dimittitur interdum Symbolum, sicut in festis magnis, (1) in tribus diebus ante Pascha, et nunquam

(1) De quo docte non minus quam benigne hanc rescripsit adnotationem R. P. V. Laporte: « Il est évident que par grandes fêtes, le B. Humbert entend les doubles et les tout-doubles, qui n'ont pas les prières a Prime et à Complies. Pour faire cesser l'étonnement de vos lecteurs du 19e siècle, vous pourriez leur dire qu'il n'y avait guère au commencement que 23 tout doubles et quatre doubles. Les tout-doubles étaient: les trois fêtes de Noël, les trois fêtes de Paques, les trois fêtes de la Pentêcote, l'Epiphanie, l'Ascension, la Trinité, les quatre fêtes de la T.-S. Vierge (qui étaient alors la Purification, l'Annonciation, l'Assumption et la Nativité) S. Pierre martyr, la Translation de notre P. S. Donique, la fête principale de N. P. S. Dominique, S. Augustin, la Toussaint, la Dédicace, le Titulaire. Toutes ces fêtes du rit tout-double étaient ou des fêtes des personnes divines, ou des fêtes de la T.-Ste Vierge qui reçoit un culte d'hyperdulie, ou des fêtes de Saints dominicains, parmi lesquels on comptait S. Augustin dont nous suivons la règle, et que nous appelons: *Magne Pater;* S. Etienne et S. Jean l'Evangéliste étaient, tout doubles par participation: ils devaient ce rit au Triduum de Noël; aussi, à la différence des autres tout-doubles, ils n'avaient pas une séquence propre, mais la séquence de Noël *Laetabundus.*

Les quatre doubles étaient: la Circoncision, S. Jean-Baptiste, S. Pierre et S. Michel. La Vigile de Noël était double à partir des Laudes; la Messe de Minuit était double le jour de Noël (celle de l'Aurore était semi-double, celle du jour était tout-double). D'après la Rubrique de l'Ordinaire, le Prieur faisait l'office aux doubles et aux tout-doubles. La Commémoraison des fidèles trépassés, les funérailles des religieux de l'Ordre ressemblaient en quelques points aux fêtes doubles; mais on ne peut dire qu'elles soient purement du rit double: elles n'ont jamais eu l'encensement à Vêpres, à Laudes, ni méme à la Messe; elles ont la Préface et le Pater sur le ton férial, etc.

Les semi-doubles n'étaient pas à dédaigner. C'étaient: S. Vincent martyr, la Conversion de S. Paul, S. Mathias, S. Marc, S. Philippe et S. Jacques, l'Invention de la Sainte Croix, S. Barnabé, la Commémoraison de S. Paul, Ste Marie-Madeleine, S. Jacques le Majeur, S. Laurent, S. Barthélemi, l'Exaltation de la Sainte Croix, S. Matthieu, S. Luc, S, Simon et S. Jude, S. Martin, Ste Cathe-

in principio horarum vel in fine, (1) patet ex jam dictis solutio. Cum enim dicatur Symbolum inter preces propter efficaciam precum, quandocumque ex aliqua causa dimittuntur preces, debet et Symbolum illud, quod ex eorum occasione dicitur, intermitti. (2)

Illud autem quod in principio vel in fine horarum dicitur, non debet intermitti, quia non ratione precum, sed alia de causa dicitur, sicut dictum est.

Sic ergo patet quare pluries Symbolum dicimus quam alii multi, et quare quinquies, et quare nunquam illud dimittimus in principio horarum quarumdam, vel in fine, licet in medio intermittamus interdum.

---

rine martyre, S. André, S. Nicolas, S. Thomas apôtre, S. Jean-Porte-Latine. Etaient encore semi-doubles la Messe de l'Aurore à Noël, la Messe du Jeudi Saint, la Messe du Samedi Saint. Vous voyez que tous les apôtres et évangélistes (sauf S. Jean et S. Pierre) étaient semi-doubles. Une vieille formule de *Confiteor* citée par Dom Martène prouve combien les saints doubles et semi-doubles, dont nous venons de lire les noms, étaient populaires: « Je me confesse à Dieu le Pere tout puissant, à la benoiste Vierge Marie, a monseigneur S. Michel ange (sic) et archange, à monseigneur S. Pierre, à monseigneur S. Pol, *à tous les apostres,* à monseigneur S. Estienne, à monseigneur S. Vincent, à monseigneur S. Laurent et à tous martyrs, à monseigneur S. N. mon patron, à monseigneur S. Nicolas et à tous confesseurs, a madame Ste Catherine, à toutes vierges et à tous saincts, et a vous sire vicaire et lieutenant de Dieu, de tous les pechez que j'ay fais oncques depuis l'eure que je fus né, jusqu'à l'heure de maintenant. » (Martène, *De antiqua Ecclesiae disciplina,* éd in 4° pag. 489). Les apôtres sont ici mentionnés en bloc, les autres saints semi-doubles sont nommés expressément, à l'exception de Ste Marie Madeleine et de S. Martin. Il n'est pas nécessaire de prouver la popularité de S. Martin. Quant à Ste Madeleine, le B. Humbert a dit d'elle: « Cui, postquam conversa est poenitentiam, facta est a Domino tanta gratia, ut post beatam Virginem non inveniatur mulier cui in mundo major exhibeatur reverentia, et in coelo majorem habere gloriam credatur, juxta illud Rom. 6: Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia. » (B. Humbert. *Serm.* 100). Aux semi-doubles on disait les prières à Prime et à Complies, on récitait aussi l'office quotidien de Notre-Dame.

Je ne vous cite pas les simples, qui étaient près de cinquante, et dont plusieurs sont aujourd'hui des tout-doubles très-considérés. Les Dimanches ordinaires étaient du rit simple, on y disait les prières à Prime et à Complies, on récitait l'office de la T.-Ste Vierge. » — (1) Scil. in principio matutini vel primae, vel in fine completorii. — (2) Cod. Salm.: et ideo quando dimittuntur preces, non est necesse symbolum dicere.

XLIV. De disciplinis post completorium.

Dicto *Pater noster* et *Credo in Deum,* recipiuntur disciplinae secundum consuetudinem et modum notatum in Nova Correctione, licet de hoc nihil sit scriptum, omni die, praeterquam in vigiliis IX lectionum, et in festis quibusdam majoribus secundum arbitrium praelatorum, quia hujusmodi tempora non sunt dies afflictionis.

Sunt autem recipiendae in eodem loco in quo cantatur antiphona, (1) vel in aliquo proximo, si ille non sit aptus. Recipiuntur etiam cum psalmis et orationibus, secundum quod scriptum est in *Ordinario.* Ubi tamen pauci sunt fratres, vel quando tempus est frigidum, potest dici brevior psalmus quam sit *Miserere,* sicut notatur in *Ordinario,* scilicet *Deus misereatur,* vel *De profundis.* Ubi vero magna fratrum est multitudo, hebdomadarius praecedentis septimanae (2) ex una parte, et hebdomadarius praesentis (3) ex alia debent dare disciplinas, ut fratres citius expediantur; alias eas debet dare hebdomadarius praesentis hebdomadae solus, incipiendo a superioribus ab illa parte ubi est major praelatus; vel, si nullus adest, a dextro choro, et prosequendo secundum chorum ab inferioribus incipiendo. Quod etiam observandum est quando duo dant disciplinas, scilicet ut qui incipit a dextris a superioribus transeundo ad sinistrum incipiat ab inferioribus, et similiter alius faciat transeundo a sinistro choro ad dextrum.

Sufficit autem ut bis per fratres fiat circuitus in dando disciplinas, nec est trahenda mora: sed nec facienda pausa a dante disciplinas ante completionem utriusque circuitus; et non debet quilibet postquam secundo recepit disciplinam se statim reinduere, sed prostratus orationis finem expectare.

---

(1) Cf. *Ordinarium,* §. *De disciplinis recipiendis post Completorium.* — (2) Cod. Salm.: hebdomadarius mortuorum. - *Hebdomadarius mortuorum,* seu *hebdomadarius pro defunctis,* aut *hebdomadarius praecedentis septimanae* dicebatur frater sacerdos, qui post expletum per unam septimanam hebdomadarii munus, a cantore designabatur qui singulis hebdomadis diebus missam sine cantu pro defunctis celebraret, et una cum hebdomadario praesentis septimanae nec non et diacono ac subdiacono officium trium lectionum pro defunctis recitaret. — (3) Cod. Salm.: ejusdem septimanae.

Non sunt autem dandae nimis suaves disciplinae, ne simus similes quibusdam monialibus de quibus dicitur quod recipiebant disciplinam cum cauda vulpis. (1)

Non debent etiam causa dissolutionis tunicarum minus bene fieri inclinationes vel prostrationes debitae, et ideo aptior est hora ad hujusmodi dissolutionem, quando cantatur antiphona.

Debent autem valde honeste et cum reverentia magna fratres interesse hujusmodi disciplinis, non nimis se discooperiendo, vel levitatem faciendo.

Debet autem sacrista, vel ille cui injunctum fuerit, sollicitudinem gerere quod disciplinae semper inveniantur in aliquo loco paratae, ne conventus impediatur ab aliis, expectando hujusmodi disciplinas.

Si quaeratur quae sit ratio hujus observantiae, dicendum est quod B. Dominicus habuit in usu singulis noctibus recipere tres disciplinas de quadam virga ferrea: unam pro se, alteram pro peccatoribus in mundo adhuc existentibus, aliam pro illis qui sunt in purgatorio; (2) et potuit esse ut ab illo tempore fratres ad ejus exemplum disciplinas constituerint recipere. (3)

Item, religiosi solent frequenter recipere disciplinas. Interdum enim recipiunt causa devotionis: devotae enim mentes recordantur disciplinae pacis nostrae, de qua loquitur Isaias, *Is. 53,* quam Christus recepit, flagellatus tempore passionis; item disciplinarum quas Apostoli receperunt flagellati et caesi in synagogis pro ejus nomine, sicut legitur *Act. 5;* item illarum specialiter quinquies quadraginta, una minus, quas Paulus a Judaeis accepit, et illarum quibus a gentibus ter caesus est virgis, sicut dicitur 2 *Cor. 11;* item illarum quibus sancti, et etiam tenerae virgines caedebantur cum plumbatis, et frequenter,

---

(1) Cf. *De modo prompte Cud. Serm.* l. II, tr. II. - Extat inter *amarantos* species una quae dicitur *queue-de-renard,* vel *discipline de religieuse,* alias *melampyre.* — (2) Cod. Salm.: pro defunctis. — (3) Ita Theod. Apold.: « Totus Ordo statuit quod omnes fratres in memoriam exempli S. Dominici, essent orantes et dicentes *Miserere mei, Deus,* etc., sive *De profundis,* etc.; et reciperent omnibus diebus post Completorium de virgulis ligneis super dorso nudo disciplinam, sive pro suis culpis, sive pro alienis, quorum de eleemosynis vivunt. » (Ap. *Boll.*)

ut legitur, flagellabantur. (1) Et in horum memoriam carnem suam flagellant. Si enim tales et tanti tantas et tales disciplinas recepe-runt, quomodo nos sine disciplina debemus transire?

Interdum autem recipiunt disciplinas causa castigationis. Sic enim castigant sancti interdum corpus suum: non enim est tentatio carnis adeo valida quin cum virgarum disciplina fugari possit, juxta illud *Prov. 22:* Stultitia colligata est in corde pueri, id est corporis puerilis, et virga disciplinae fugabit eam.

Interdum causa humilitatis, quasi reputantes se dignos plagis multis, tanquam servi qui scientes voluntatem Domini sui, non fe-cerunt eam in die, et ideo etiam in signum hujus praemittitur *Con-fiteor* a recipientibus disciplinas, et subjungitur a dante *Misereatur*.

Interdum causa poenitentialis injunctionis: solent enim eis in-terdum injungi disciplinae pro aliquibus commissis.

Cum ergo vel causa devotionis, vel causa castigationis, vel causa humilitatis, vel causa injunctionis habeant fratres recipere disciplinas, expedit ad hoc communem locum et tempus certum statui, ut nullus sine disciplinis hujusmodi transeat; et ut singularitas vel excessus, qui fieret in singularibus disciplinis fortassis ab aliquibus, evitetur.

Ad hoc autem est aptum tempus post completorium, cum ad illam horam plures conveniant, et tempus subobscurum magis com-petat denudationi. Et sic patet ratio hujus observantiae.

Post disciplinas datur fratribus tempus ad vacandum in ecclesia meditationibus et orationibus secretis, quibus debent omnes commu-niter interesse. Et notandum quod non debet esse nimis prolixum, ne versum in taedium sit multis occasio recedendi; nec nimis breve, ne concepta devotio subito suffocetur. Sufficit autem tantum tempus quod septem psalmi cum litania devote dici possint.

Postea faciendum est ultimum signum taliter quod per totam domum clare audiatur. Quo audito fratres debent recedere de ec-clesia, et intrare dormitorium. Qui vero completorium nondum dixe-runt, ubicumque sint, debent statim incipere completorium, et tenere plene silentium, nisi cogat ad contrarium necessitas manifesta.

---

(1) Cod. Vien.: ut frequenter legitur, flagellabantur.

Ne autem post signum habeat aliquis occasionem prolungandi locutiones, debent ministri hospitum et infirmorum et alii ante signum et pedes lavare, et potum ministrare, et omnia hujusmodi, prout ad officia sua pertinent, quilibet expedire. (1)

Patent ex jam dictis novem quae observamus in terminatione divini officii, quae multi alii non observant, quae habet ista constitutio loquens de hujusmodi terminatione, incipiens ibi: « Tempore vero » etc., vel consuetudo.

Primum est quod lectionem pro collatione legimus, ibi: « Tempore vero, quo bis » etc.

Secundum est quod generalem confessionem facimus, (2) ibi: « et facta confessione. »

Tertium est quod recipimus benedictionem, ibi: « det qui praeest benedictionem. »

Quartum est quod aqua benedicta aspergimur, ibi: « et hebdomadarius. »

Quintum est quod Dominicam Orationem et Symbolum dicimus, ibi: « Postea dicatur *Pater noster,* » etc.

Sextum est quod B. Virgini nos recommendamus devote.

Septimum est quod disciplinas recipimus.

Octavum est quod meditationibus et orationibus secretis vacamus.

Nonum est quod ultimum signum ad quiescendum facimus.

Et haec quatuor ultima scripta non sunt, sed ex usu servantur.

Sequitur: **Totum officium tam diurnum quam nocturnum secundum correctionem et ordinationem Venerabilis Patris Fratris Humberti Magistri Ordinis nostri confirmamus, et volumus ab omnibus uniformiter observari: ita quod nulli de caetero liceat aliquid innovare.**

---

(1) Cod. Salm.: et illa omnia quae ad officia sua pertinent debet quilibet expedire. — (2) Confessio generalis nihil hic aliud est quam recitatio τοῦ *Confiteor*.

XLV. Circa quae occupantur die ac nocte viri sancti.

Sciendum est quod officium nocturnum dicitur officium illud quod continetur in *Antiphonario,* quia pro majori parte quae continentur ibi, de nocte dicuntur, et ab officio nocturno pro majori parte sumuntur illa quae continentur ibi dicenda de die. Diurnum vero dicitur quod continetur in *Graduali* et *Missali.* Vel aliter dici potest nocturnum quidquid in nocte, diurnum vero quidquid de die dicitur, in quibuscumque libris contineatur.

Item, attendendum est quod multa sunt circa quae viri sancti nocte ac die occupari debent et solent. Occupantur circa sanctas meditationes; *Ps. 1:* In lege ejus meditabitur die ac nocte.

Item, circa hymnos; *Ps. 87:* In die clamavi et nocte coram te.

Item, circa compunctiones; *Ps. 41:* Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

Item, circa quaerendum Deum; *Is. 21:* Ad me clamat ex Seir: Custos, quid nocte? Custos quid de nocte? Et dixit custos: Et venit mane et nox. Si quaeritis quaerite; id est si quaeritis mane, quaerite et in nocte.

Item, circa labores pro Domino sustinendos; ad 2 *Cor. 11:* Nocte et die in profundo maris fui. Quo contra multi, etsi sustinent in die, volunt in nocte repausare, vel e contra.

Item, circa laudes divinas, circa quod determinantur in Scriptura tria. Quid dicendum? Quae pertinentia sunt ad (1) laudem ejus. *Apoc. 4:* Requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.

Ubi? In templo. *Ejusd. 7:* Serviunt ei die ac nocte, in templo ejusdem.

Quamdiu? Perpetuo. *Is. 62:* Tota die et nocte non tacebunt perpetuo. Propter hoc igitur ultimum ordinatum est in Ecclesia Dei ut fiat officium diurnum et nocturnum, ut laudetur tam de die quam de nocte Deus a fidelibus.

---

(1) Cod. Vien.: quia pertinentia ad....

Iustum autem est sic fieri: certum est enim quod adversarius noster stat coram Deo die ac nocte ad accusandum. *Apoc. 12:* Accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte. Non est autem prudentia, praesente adversario in curia, aliquem esse absentem: standum est ergo a fidelibus die ac nocte coram Deo, quod fit dum divinis laudibus adstamus.

Item, nox et dies nobis a Deo data sunt ad serviendum continue, et non cessant hoc facere. *Gen. 8:* Nox et dies non requiescunt, scilicet a servitio hominis. (1) Justum est igitur ut et homo serviat ei die ac nocte, tanquam de feudis quae ei dedit ad suam utilitatem.

Item, non solum in die, sed et in nocte multa videmus quae dant nobis occasionem hujusmodi laudis, ut stellas, et similia; et ideo benedicendus est in utroque. *Cant. Dan.:* Benedicite, noctes et dies, Domino. Quasi dicat: considerate quia dies et nox ascendunt; et sumpta ex hoc occasione, benedicite (2) Domino.

XLVI. Quare surgendum est de nocte.

Sed attendendum quod sunt quidam qui nocturnum officium libenter (3) declinant, licet diurno intersint. Sed e contrario magis est de nocte divinis laudibus vacandum, et de die operibus pietatis ad proximum. *Ps. 41:* In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Sunt iterum alii qui declinant matutinas mediae noctis, (4) licet ad alias interdum surgant; (5) non sicut qui dicebat, *Ps. 118:* Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

Sunt alii qui etsi in conventibus surgant de nocte, tamen non sic extra. Non sic Paulus et Silas faciebant etiam in carcere; *Act. 41:* Media nocte Paulus et Silas adorantes laudabant Deum, scilicet in carcere, et audiebant eos qui erant in custodia.

Multae autem sunt rationes quare libenter surgendum est ad

---

(1) Cod. Salm.: hominum. — (2) Cod. Vien.: benedicendum. — (3) Cod. Salm.: frequenter. — (4) Cod. Vien.: profundae noctis. — (5) Hic notandum matutinas tunc temporis mox media nocte, mox appropinquante aurora recitatas esse. Cf. infra, *De off. Sacristae.* Neque enim horologia tunc habebantur nisi ad excitandum fratres, vix autem ad indicanda tempora.

officium nocturnum. Certum est enim quod benedictio census est qui Deo debetur omni tempore, juxta illud, *Tob. 4:* Omni tempore benedic Dominum. Qui vero non surgit, non reddit hunc censum. Surgendum est ergo de nocte ad benedicendum ei, ut census debitus non retineatur. *Ps. 133:* In noctibus extollite manus vestras in sancta; scilicet quasi debitum censum benedictionis reddituri. Unde sequitur: et benedicite Dominum.

Item, adversarius non solum de die, sed etiam de nocte pervigil est ad nocendum. Bernardus: Non dormitavit neque dormiet qui impugnat Israel: ideo vigilandum est contra eum. Quis enim securus dormiat, sciens hostem propinquum vigilare ad nocendum? 1 *Mach. 12:* Cum sol occidisset praecepit Jonathas suis vigilare; scilicet quia audierat adversarium nocte superventurum.

Item, in nocte pauciores vigilant in orationibus, vel servitio divino; tunc ergo (1) major est necessitas ut pro aliis dormientibus viri sancti vigilent. Et hanc rationem reddidit (2) beatus Dominicus quare libentius pernoctabat in oratione, cum quidam ipsi dormienti in mensa (3) diceret quod melius fuisset dormire de nocte cum aliis. Ii sunt vigiles illius civitatis, de quibus habetur *Cant. 3,* qui aliis dormientibus pro illis vigilant. (4)

Item, valde poenale est vigilare; unde Paulus, 2 *Cor. 11,* numerat inter labores suos vigilias, dicens: In vigiliis multis. Quod autem magis poenale est, magis est satisfactorium laboranti. Igitur ad satisfaciendum surgendum est ad officium nocturnum, propter fructum satisfactionis.

Item, ut frequenter cubilia sequitur tentatio carnis; unde Paulus, *Rom. 13,* adjungit unum alteri dicens: In cubilibus et impudicitiis. E contrario honestae vigiliae reprimunt tentationes carnis. *Eccli. 31:* Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Frequentandae sunt ergo sacrae vigiliae propter repressionem carnalium tentationum.

Item, sicut ad Balaam veniebat Dominus de nocte silentii tem-

---

(1) Cod. Salm.: et ideo tunc. — (2) Cod. Salm.: dedit. — (3) Codd. Salm. et Vien.: missa. - Quod tamen mendosum esse aliunde constat. — (4) Cod. Salm.: quia pro aliis dormientibus ipsi vigilant.

pore, sicut dicitur *Num. 22,* ita adhuc nocte propter majorem quietem cordium frequentius immittuntur consolationes divinae. *Job. 35:* Qui fecit carmina in nocte; id est consolationes cor laetificantes.

Item, secundum medicinam confert etiam sanitati: (1) multa enim emittuntur per varias purgationes a vigilantibus, quae retenta diutius generant infirmitates varias.

Igitur surgendum est ad officium nocturnum, ne census Deo debitus retineatur, ut hosti resistatur, ut aliis pro charitate fraterna serviatur, ut melius satisfaciamus, ut carnales tentationes reprimamus, ut consolationes divinas recipiamus, ut corpori Deo nobiscum servienti de sanitate provideamus.

Et videndum quod etiam mulieres solent de nocte surgere pro sollicitudine domus suae. *Prov. ult.:* De nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.

Item, artifices magis mane pro lucro. *Eccli. 38:* Sic omnis faber ferrarius et architectus qui per noctem tanquam diem transigunt.

Item, studentes sapientiae citius artificibus propter studium. Hieronymus: Demosthenes dicit se omnes artifices vigiliis praevenisse.

Si ergo studiosi pro sapientia acquirenda, artifices pro lucro, mulieres pro cura domus suae sic surgunt de nocte, quanto magis decet Dei servos pro servitio Regis aeterni de nocte surgere! Inde est quod dicit Paulus, 2 *Cor. 6:* In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, et subjungit: in vigiliis; innuens quod non videtur bonus Dei minister qui non surgit ad sacras vigilias.

Postea sciendum quod ab initio Ordinis fuit multa varietas in officio, et ideo compilatum fuit unum officium propter uniformitatem habendam ubique. Processu vero temporis commissum fuit quatuor fratribus de quatuor provinciis, ut illud melius ordinarent; quod et fecerunt, et eorum ordinatio confirmata est.

Sed quia adhuc erant ibi aliqua corrigenda, facta fuit iterum commissio per tria capitula approbata Magistro Humberto. Hoc est ergo officium de quo hic loquitur constitutio; quod solebat suppo-

---

(1) Cod. Salm.: saniores sunt qui surgunt.

nere quondam pro illo quod per illos quatuor fratres ultimo fuit ordinatum, per tria capitula confirmatum. (1)

XLVII. De quibusdam quaestionibus circa immutationem officii quae fit a praelatis.

Sed videtur quod non licuerit aliquid immutare post primam confirmationem, cum dicat constitutio quod ita fuit confirmatum quod de caetero non liceat aliquid innovare.

Respondeo: Innovatio quae est facta, non est facta per (2) aliquem, id est per aliquam personam, sive Magistrum, sive priorem, sive alium quemcumque, sicut fiebat ab initio; sed per tria capitula, quod non prohibet constitutio quae dicit: « Nullus de caetero audeat innovare, etc. »

Sed numquid non posset Magister aliquid innovare circa officium?

Respondeo quod non, ad durandum perpetuo per modum constitutionis, vel consuetudinis generalis, quia sicut non licet ei consuetudines communiter observatas et approbatas in Ordine immutare, ita nec inducere novas consuetudines.

Sed iterum quaeritur: numquid non licet praelatis dispensare cum fratribus in officio diurno vel nocturno, cum hoc sit constitutio, et in constitutionibus liceat eis dispensare?

Respondeo: Dici potest quod dispensare possunt quoad proprietatem officii quae inducta est ab Ordine, sed non quoad substantiam officii, quin illud dicant fratres quoquomodo, sicut patet ex supradictis.

Similiter possunt ex devotione vel alia causa rationabili dispensare quod ad horam aliquid immutetur circa proprietatem officii, vel addatur in aliquo festo, vel hujusmodi.

Ultimo notandum quod uniformitas observanda est in officio ubique, ut unitas Ordinis repraesentetur; ut, ubicumque declinant vel mittuntur fratres ad conventus, vel ad provincias alias, non oporteat eos novum officium discere; et ut contentiones (3) quae possunt

---

(1) Hinc disce quam falsum sit illud quod nonnulli asserunt, nempe liturgiam Praedicatorum a Parisiensi non differre. — (2) Cod. Salm.: quae fieri debet, non debet fieri per.... — (3) Cod. Salm.: dissensiones.

oriri ex diversitatibus officiorum, cum alius istud praeferret, alius illud, per uniformitatem officii sopiantur.

Patet ex jam dictis circa istam constitutionem quid sit officium diurnum et nocturnum, quare officium ecclesiasticum in ista duo dividitur, quare ad nocturnum officium libenter est surgendum, quid secundum tempus praesens supponatur per officium diurnum et nocturnum, quod immutatio facta circa officium de novo non est contra istam constitutionem, quomodo Magister Ordinis non potest aliquid innovare circa officium, qualiter in hac constitutione liceat dispensare praelatis, quare uniformitas est in officio servanda per Ordinem.

Sequitur: **Fratres nostri non habeant in domibus suis nisi unam campanam ad omnes horas.**

XLVIII. Quare habere debemus unam campanam.

Omnes Deum colentes habere solent aliquod genus signorum ad convocandum populum ad laudandum Deum. Et hoc multum displicet diabolo. Unde legitur in quadam historia quod cum Mahometus a principio fuisset instructus a quodam monacho circa quaedam pertinentia ad legem christianorum, et uteretur hujusmodi signis, diabolus, qui eum decepit postea, apparens eidem in specie cujusdam monachi, fecit removere tabulas et campanas, propter hoc, sicut ibidem dicitur, quod valde dolet quando vocantur Dei cultores ad ipsum laudandum. Quamvis autem non sit credibile quod diabolus voluerit impedire convocationem populi ad errorem Mahometi, tamen quia inter alia erronea inserebat laudem unius Creatoris, non est incredibile quin vellet hoc impedire.

Notandum autem quod Hebraei tempore sui habebant ad facienda signa hujusmodi tubas; Graeci habent tabulas: sed Latini habent campanas, quae excellunt alia signa, sicut et apud eos in excellentia est Dei cultus. (1)

Sunt autem ecclésiae quae habent plures campanas et multum pulsant, tum quia habent vocare multos, et interdum a longe; tum quia in hoc quoddam caeremoniale servitium Deo exhibent; (2) tum

(1) Cf. Blavignac, *La Cloche.* — (2) Cod. Salm.: exhibetur.

quia in hoc figuratur diversitas praedicantium, qui mundum advocaverunt ad Dei cultum: religiosi vero qui non habent vocare nisi seipsos, et de propinquo vicinos, (1) et qui magis spirituale servitium quam caeremoniale student exhibere Creatori, qui intelligunt et advertunt quod in diversis praedicatoribus non fuit nisi unus spiritus qui loquebatur in eis, non oportet quod habeant tot campanas; (2) et ideo statutum est quod non habeamus nisi unam campanam ad omnes horas.

Debet autem esse mediocris quantitatis haec campana, ita quod ab uno fratre commode pulsari possit, ut sicut vitamus numerositatem in campanis multis, ita et vitemus notabilem magnitudinem in una.

XLIX. De signis variis quae fiunt in ordine nostro.

Sciendum autem est quod est consuetudo quod non pulsetur nisi semel post primum signum, quantumcumque sit magnum festum. Quaedam etiam alia sunt determinata in Nova Correctione circa pulsationem.

Item, cum conveniunt fratres ad aliquam horam, et dicunt plures horas continue, (3) non interposita missa, non oportet quod pulsatio fiat pro secundis horis, nisi pro vesperis tempore quadragesimae. Si autem inter duas horas dicatur missa, pulsari potest pro hora dicenda post missam.

Item, quidam non consueverunt pulsare ad laudes, nisi in magnis festis, attendentes quod aliqui, inter quos habitant, notarent eos de brevitate matutinarum: nec sunt reprehendendi.

Item, aliqui pulsant ad gratiarum actiones, et post comestionem, et conveniunt tunc pauperes ad eleemosynam; aliqui vero non, cavente ne notentur ab aliquibus de sedendo diu (4) in mensa: et utrumque est tolerabile, secundum consuetudines diversas in diversis regionibus.

Item, pulsari consuevit haec campana ad elevationem Corporis Domini in missa conventuali, ut omnes audientes faciant reverentiam se prosternendo, et ut advertant se servitores et officiales de appropinquatione terminationis officii.

---

(1) τὸ « vicinos » ex cod. Salm. — (2) Cod. Salm.: campanas super campanam. — (3) Cod. Salm.: sine intermissione. — (4) Cod. Salm.: tarde.

Item, pulsatio quae fit pro missa aliter facienda est quam pro horis: fit enim cum triplici pulsatione et duobus intervallis.

Debet autem haec pulsatio ita tempestive inchoari ante terminationem horae quae dicitur ante Missam, quod ipsa audita, possint fratres venire undecumque de domo ad principium missae.

Item, cum convocatur conventus subito pro funere, vel pro inunctione, vel hujusmodi, ad eundum ad chorum sine mora, fit pulsatio tantum ex una parte campanae.

Sciendum est autem quod licet ad horas non habeamus nisi unam campanam, tamen pro causis aliis licet habere plures campanas, vel signa alia. Licet enim habere campanam pro capitulo: et haec appendi potest in campanili, vel alibi prope capitulum, in qua, si sit in campanili, potest fieri primum signum, ut faciunt quidam; nec est hoc contra constitutionem, quia primum signum proprie non est ad horas.

Item, licet habere aliquam ad pulsandum pro sermone, vel lectione, ubi utilitas hoc requirit.

Item, licet habere aliquam pro infirmitorio, vel hospitio, ad convocandum infirmos, vel hospites ad refectionem.

Item, licet habere cymbalum pro refectorio, in quo etiam possunt fieri signa pro capitulo conversorum, pro comestione novitiorum, (1) pro hospitibus convocandis, et similia, et dissimilia, secundum quod in domibus diversis fuerit ordinatum.

Item, habemus nolam in refectorio, in principio refectionis et in fine pulsandam.

Item, solet haberi campanula (2) in introitu dormitorii, pulsanda modicum a fratre introducente extraneos, ne fratres reperiantur ab extraneis in aliquo minus religiose se habentes.

Item, habenda est campanula deferenda et pulsanda cum pergitur ad communicandum infirmos.

---

(1) *Comestio novitiorum,* seu *mixtum novitiorum* dicebatur jentaculum aliquod mane novitiis vel debilioribus fratribus concessum, unde leviori fastidio prandium non nisi hora secunda vel tertia pomeridiana accipiendum expectarent. — (2) Cod. Salm.: alia nola.

Item, habenda est tabula pulsanda in tribus diebus ante Pascha, et cum, fratre appropinquante ad mortem, fratres convocantur.

Sed numquid non potest pulsari pro Missa campana capituli cum illa quae est de sermone, insimul cum campana quae est pro horis, cum non interdicatur haec pluritas nisi pro horis?

Respondeo: Non, quia sub horis hic intelligitur etiam Missa, et haec interpretatio sumitur ex consuetudine.

Item, non eadem hora pulsandum est ad completorium et ad primam omni tempore. Ab initio enim quadragesimae usque ad festum Sanctae Crucis sic pulsandum est ad completorium tempestive, quod facto ultimo signo sit adhuc clara dies, in tantum quod legi possit in libro; et ad primam surgendum est de die alta. Omni alio tempore tardius aliquantulum pulsandum est ad completorium, et citius ad primam.

Patet ex praedictis quare Latini habent campanas; quare nos non habemus nisi unam ad horas, et cujus quantitatis debeat esse; quibus de causis et qualiter pulsanda sit; quod licet habere plures pro aliis causis quam pro horis; quod ad Missam non est pulsanda nisi una, sicut ad horas; quod diversis anni temporibus tardius vel citius pulsandum est ad horas quasdam.

Sequitur: **Solus hebdomadarius tam in choro quam in processionibus cappa serica utatur.**

L. De ornamentis ministrorum.

Aliqui sunt religiosi qui in quibusdam solemnitatibus utuntur omnes cappis sericis; sed hoc non decet paupertatem status nostri.

Alii sunt qui nunquam utuntur sericis; sed hoc videtur esse in minorationem divini cultus.

Alii sunt qui tenent modum mediocrem, apud quos non utuntur aliqui sericis, nisi soli illi qui debent assistere altari in aliquo ministerio: et istum modum nos servamus; et ideo quia hebdomadarius in quibusdam festis et processionibus habet assistere altari vel thurificando, vel benedictiones faciendo, conceditur in istis casibus uti cappa serica; quod non est extendendum ad alios casus, ut quando datur aqua benedicta in diebus Dominicis, et ad alia similia quaedam.

Et est notandum quod in ministrantibus Deo decor vestimentorum est laudabilis propter tria: videlicet propter reverentiam ejus qui assistit: ex pulchritudine enim ista forinseca instruitur multipliciter qualis debeat esse in virtutibus et moribus; propter majestatem ejus cui assistitur.... (1); et propter devotionem adstantium: excitatur enim ut frequenter eorum devotio ex hujusmodi ornatu; sicut accidit cuidam legato, qui cum (sibi) modica exhiberetur devotio semel in natione, venienti in communi habitu, induit insignia papalia, et exibita est sibi reverentia et devotio magna. Hinc est quod Dominus praecepit ut Aaron et filii ejus ministraturi sibi, uterentur pretiosissimis vestibus, propter tres causas praedictas.

Ad hoc, sciendum quod si sacerdos juvans novum sacerdotem (2) in missa nova dicenda, indutus sit hujusmodi cappa serica, non est contra constitutionem, quia talis sacerdos vel est hebdomadarius, vel vices ejus gerens. Si autem (sub)diaconus in processione crucem deferens uteretur hujusmodi cappa, hoc esset contra constitutionem.

Item, licet fratres non utantur communiter hujusmodi cappis, tamen in quibusdam processionibus et officiis consueverunt esse in caputiis (3) sine cappis, pro mysterio et gaudio sancto repraesentando, secundum exigentiam temporis et arbitrium priorum.

Illud autem cavendum, ne in processione aliqua quae fiat coram extraneis ferant fratres diversos habitus; sed omnes vel in cappis vel in caputiis debent esse. Similiter quandocumque cantatur aliquid a duobus vel pluribus in medio chori, debent esse in uniformi habitu semper.

Ex praedictis patet quod in isto totali capitulo de officio Ecclesiae, determinantur septem: primo de modo surgendi, ibi: « Audito primo signo etc.; » secundo de loco ubi dicendum sit officium, ibi: « Matutinas autem, etc.: » cum enim dicitur ibi « simul audiant, » subauditur: in ecclesia; tertio de modo dicendi, ibi: « Horae omnes etc.; » quarto de terminatione diurni officii, ibi: « Tempore vero quo bis, etc.; » quinto de stabiliate et uniformitate officii, ibi: « Totum officium etc.; » sexto, de modo vocandi ad officium, ibi: « Item

---

(1) Hic deficere aliquatenus videntur Codices. — (2) Cod. Salm.: ministrans novo sacerdoti. — (3) Intellige caputia scapularibus assuta.

fratres nostri etc.; » septimo, de ornatu habendo in officio, ibi: « Item solus, etc.; »

Praeter haec autem sunt quaedam in usu quae multum faciunt ad digne faciendum officium divinum, quae nullatenus sunt omittenda.

Providendum est enim quod habeatur multitudo librorum in utroque choro, secundum quod exigit multitudo fratrum.

Quod libri sint de littera et nota bene legibili, et diligenter correcti et punctati.

Quod venientes ad Ordinem minus instructi in officio divino, diligenter doceantur cantare et legere.

Quod diligenter provideat unusquisque quod ad eum pertinet.

Quod fiat repetitio communis die praecedenti, (1) cum occurrerit interdum aliqua historia (2) difficilis ad cantandum.

Quod assignetur aliquis qui curam habeat auscultandi illos qui minus sciunt legere vel cantare, antequam legant vel cantent quod eis fuerit injunctum.

Item, quod cantor sit diligens et sollicitus circa omnia quae ad officium pertinent, et quod in choro corrigat viriliter, et signa faciat cum pausae confunduntur. (3)

Item, quod omnes obediant ei, in iis quae ad officium suum pertinent.

Item, quod non sint aliqui otiosi in choro, sed omnes pro posse portent onus commune.

Item, quod sacrista sit diligens in omnibus quae pertinent ad decorem et munditiam domus Dei, et eorum quae in ecclesia (4) sunt, et ut omnia fiant decenter et ordinate.

Item, quod fratres non egrediantur nec evocentur a choro, nec remaneant, (5) nec tarde veniant sine causis multum rationabilibus, nec in iis de facili detur licentia.

---

(1) Cod. Salm.:... communis praecedenter. — (2) Historia hic dicitur complexus antiphonarum et responsoriorum in matutinis adhibitorum. — (3) Vide infra, ubi *De officio Cantoris*, ubi res clarius explanatur. — (4) Cod. Vien.: quae intra sunt. — (5) Id est ad chorum non veniant.

Item, quod pueri et indocti non recipiantur de facili ad cantandum cum fratribus, sine magna necessitate; et cum ad hoc recipiuntur, instruantur a cantoribus ne pausas et modum cantandi fratrum perturbent.

CAP. II.

DE INCLINATIONIBUS

Finitis matutinis de B. Virgine, cum fratres in chorum venerint, inclinent ante altare profunde.

LI. De diversis generibus humiliationum.

Ad intelligentiam pleniorem eorum quae in hoc capitulo dicuntur, sciendum est quod ad cultum divinum digne peragendum tria debent concurrere, scilicet cor, os et corpus.

Ad cultum cordis pertinet fides, spes, charitas, et hujusmodi spiritualia, quibus animus erigitur in Deum; et de iis non agitur in in constitutionibus humanis, cum ipsae versentur circa exteriora.

Ad cultum oris pertinent officium Ecclesiae, de quo actum est in praecedenti capitulo.

Ad cultum corporis pertinent humiliationes corporis, quae fiunt coram Deo, vel imaginibus et similibus, intuitu Dei: de quibus hic agitur.

Est autem triplex humiliatio hujusmodi: quaedam usque ad renes, et haec dicitur inclinatio; quaedam usque ad genua, et haec dicitur genuflexio; quaedam usque ad talos, (1) et haec dicitur prostratio.

Istae sunt tres illae immersiones in flumen humilitatis, quae deorsum tendunt, in quibus immersus fuit Ezechiel, modo usque ad talos, modo usque ad genua, modo usque ad renes, sicut habetur cap. *47 ejusd.*

Sciendum est autem quod est duplex inclinatio: (alia) plena quae fit usque ad genua; alia semiplena, quae quandoque minor est illa.

(1) Cod. Salm.: usque ad terram.

Item, duplex est genuflexio: quaedam cum corpore erecto super genua, quae dici potest recta; quaedam cum corpore prostrato, quae dici potest proclivis.

Item, est duplex prostratio: quaedam fit cum toto corpore, quae quandoque dicitur venia; quaedam super genua, quae idem est quod genuflexio proclivis: et ideo hujusmodi humiliatio quandoque vocatur in constitutionibus genuflexio, quandoque prostratio.

Intitulatur autem istud capitulum *De inclinationibus,* non quia de solis inclinationibus hic agatur; sed quia plus hic agitur de inclinationibus quam de aliis humiliationibus. Praeterea omne genus humiliationis vocari potest inclinatio, large sumpto vocabulo.

LII. De inclinationibus, cur fiunt.

Notandum autem quod inclinatio solet fieri multis de causis.

Interdum fit ob reverentiam. Oritur enim reverentia ex consideratione alterius magnitudinis facientis resilire in propriam parvitatem, quam repraesentat hujusmodi inclinatio in hoc casu; sicut inclinaverunt ancillae Jacob et filii earum ante Esau. *Gen. 33:* Appropinquantes ancillae et filii earum, incurvati sunt; scilicet ante Esau, exhibendo sibi reverentiam.

Interdum fit ex gratiarum actione. Omne enim donum onerat recipientem: quod autem onerat, inclinat, ut fructus ramum, et ideo qui gratus est de dono recepto inclinat se, quasi reputans illud non modicum, sed tantum quod ipsum inclinare possit. Sic inclinavit se servus Abrahae regratians Deo de processu viae. *Gen. 24:* Inclinavit se homo dicens: Benedictus Deus.

Interdum fit ob orationis efficaciam. Humilitas enim facit orationem efficacem: ideo orantis est humiliare se inclinando, sicut se inclinaverunt illi de quibus dicitur *Nehem. 8:* Inclinati sunt, et adoraverunt Deum.

Interdum fit ob alterius magnificationem. Iste enim est unus modus magnificandi alium, cum nos in ejus conspectu proni stamus, juxta illud quod dicit Virgo humilis: Magnificat anima mea Dominum. *Luc. 1.* Sic optavit Isaac inclinari fratres Jacob ante eum tanquam dominum et domus majorem, dicens, *Gen. 27:* Esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae.

Interdum fit in signum obedientiae. *Joan. 19:* Inclinato capite, scilicet in signum quod obediens fuerit usque ad mortem, emisit (1) spiritum.

Interdum fit ad recipiendum benedictionis effectum, quae est gratia aliqua quae datur humilibus; ideo clamatur a diacono: Humiliate vos ad benedictionem. Sic inclinantur coeli, id est coelestes viri, a Deo, et descendit ad eos Dominus per benedictionis effectum. *Ps. 17:* Inclinavit coelos et descendit.

Interdum fit causa verecundiae, sicut faciebat publicanus, qui prae nimia verecundia (2) non audebat oculos ad coelum levare, sicut dicitur *Luc. 18.*

Interdum fit in signum humiliationis. *Job. 22:* Qui inclinaverit oculos; id est qui inclinaverit se humiliatis oculis, ipse salvabitur. Ad has causas reducuntur omnes inclinationes quas facimus ex usu, vel ex mandato constitutionum.

Inclinare debemus quandocumque transimus ante altare, vel crucem, vel imaginem B. Virginis, vel alias imagines sanctorum; et quando majores seu veneratione dignae personae transeunt coram nobis, vel nos coram eis; et quando offerimus ad altare candelas in die Purificationis. Et istae inclinationes reducuntur ad primam causam.

Item, quando datur nobis aliquid, et quando nomen B. Dominici nominatur in oratione; et post intonationem psalmi terminato versu, (3) tam incipiens antiphonam quam intonans (4) psalmum, debent inclinare ad altare, et post terminationem lectionis. Et istae referuntur ad secundam causam.

Item, ad *Pater Noster* et *Credo,* cum dicitur in inchoatione horae, vel ad preces, et ad orationem pro Ecclesia, et ad orationes quasdam, et ad *suscipe deprecationem.* Et istae reducuntur ad tertiam causam.

Item, ad *Gloria Patri,* et ad extremos versus hymnorum, et ad penultimum versum *Benedicite;* in quibus omnibus nominatur Trinitas. Et istae reducuntur ad quartam causam.

---

(1) Cod. Salm.: tradidit. — (2) Cod.Salm.: ob verecundiam — (3) Cod. Vien.:,, psalmi terminati, post versum.... — (4) Cod. Salm.: inchoans.

Item, quotiescumque injungitur aliquid, vel singulariter, vel communiter. Et istae referuntur ad quintam causam,

Item, cum petitur benedictio lectionis; et in quadragesima ad ultimam collectam, (1) in qua datur benedictio populo; et cum datur benedictio in sermone. Et istae reducuntur ad sextam causam.

Item, cum tardat aliquis ad chorum venire, quasi verecundiae satisfaciens, inclinare solet in medio fratrum, (2) et post offensam in legendo vel in cantando. Et hujusmodi humiliationes reducuntur ad septimam causam.

Item, cum nominatur nomen B. Virginis interdum; cum dicitur *et Homo factus est* in *Credo,* et in susceptione cinerum. Et istae reducuntur ad octavam causam, ut patebit infra.

Istae igitur inclinationes, et si quae sunt aliae, reducuntur ad aliquam praedictarum causarum, vel aliquas insimul.

Non sunt etiam contemnendae hujusmodi inclinationes, quasi de novo inventae a religiosis in cultu Dei. Sunt enim ab antiquo observatae; unde 1 *Paral. 29*: Benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum, et inclinaverunt se, et adoraverunt eum; et hoc fuit in temporibus David.

LIII. De genuflexionibus.

Item, genuflexio fieri debet multis de causis.

Interdum ob reverentiam, sicut flectebant genua coram Aman cuncti servi regis Assueri, qui versabantur in palatio, praeter Mardochaeum, sicut habetur *Esther 3*. Sic flectimus et nos genua ad *Salve, sancta Parens;* et solemus flectere ad versum *O Crux, ave;* et coram majoribus praelatis quandoque (3) ad impetrandum efficacius.

Sic Stephanus flexit genua orando pro inimicis, sicut habetur *Act. 7*. Eadem de causa nos flectimus genua in principio horarum, ad *Pater Noster* et ad Preces, et cum dicitur *Flectamus genua.*

Etiam solemus flectere genua in quadragesima ad versum istum: *Adjuva nos, Deus salutaris noster;* et ad verba illa: *Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvator,* in antiphona completorii.

---

(1) Cod. Salm.: orationem. — (2) Cod. Salm.: in medio chori. — (3) Cod. Salm.: interdum.

Interdum etiam causa devotionis, quia praedicta indicia repraesentant affectum interiorem, sicut viri sancti mutuo sibi occurrentes, vel secedentes, flectunt genua ad invicem. Sic flexit Salomon genua coram Deo et multitudine populi, ostendens affectum cordis pro gratiis sibi factis, ut dicitur in 2 *Paral. 6,* in hunc modum: Flexis genibus contra universam multitudinem Israel, ait: Domine Deus Israel, non est similis tui, Deus, in coelo et in terra, qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis. Sic et nos flectimus interdum causa devotionis coram bonis viris, et privatim coram altaribus, vel crucibus, vel imaginibus.

Interdum causa insinuandae humilitatis, sicut curvavit genua coram Elia quinquagenarius tertius, cum duo primi fuissent ei locuti superbe, sicut habetur 4 *Reg. 1.* Sic et nos flectimus ad *Veni, Sancte Spiritus,* humiliantes nos ut ad nos veniat qui super humiles requiescit.

Sunt autem aliquae genuflexiones quae fiunt non solum ex una causarum praedictarum, sed quandoque propter duas, quandoque propter plures, sicut sunt illae quas facimus in adoratione crucis, in ramis Palmarum, et in Parasceve, et ad Corpus Domini, et ad reliquias quandoque. Non sunt igitur spernendae hujusmodi genuflexiones in cultu divino; habent enim auctoritatem a regibus, a levitis, a sacerdotibus, a prophetis, ab ipso Domino eorum, et ab apostolis ejus.

De primo, 2 *Paral. 6*: Salomon, flexis genibus contra universam multitudinem, ait: Domine Deus Israel, non est similis tui; et hoc in templo.

De secundo, 2 *Paral. 29:* Laudaverunt Dominum cum laetitia magna, et incurvato genu adoraverunt; scilicet levitae.

De tertio, 1 *Esdr. 9,* dicit Esdras sacerdos: Curvavi genua mea ad Dominum Deum meum, et dixi: Domine Deus meus, confundor et erubesco elevare faciem meam ad te.

De quarto, per Isaiam dicitur, *Is. 45:* In memetipso juravi quia mihi curvabitur omne genu. Quod autem hic dicitur verbo Daniel implebat facto; unde *ejusd. 6:* Apertis fenestris in coenaculo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo.

De quinto, *Luc. 22:* Positis genibus prolixius orabat.

De sexto, *Ephes. 3:* Hujus rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi, ut det nobis virtute corroborari, etc. Et de B. Bartholomaeo legitur quod centies in die et centies in nocte flexis genibus orabat Deum. Et de Jacobo minore reperitur quod in tantum flectere genua consueverit, quod genua ejus contraxerunt duritiem ad modum camelorum.

Notandum autem quod licet coram magnatibus flectatur interdum unum genu solum, tamen coram Deo utrumque flectendum est, ob majorem reverentiam quae ei debetur. 3 *Reg. 8:* Surrexit Salomon de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terra flexerat.

LIV. De prostrationibus. Item, prostrationes fiunt pluribus de causis.

Interdum ob castigationem recipiendam. *Deut. 25:* Si eum qui peccaverit dignum viderit plagis, prosternent eum, et coram se faciant verberari. Sic et nos prosternimus nos in disciplinarum receptione.

Interdum in signum obedientiae in suis mandatis. *Ps. 71:* Coram illo procident Aethiopes; scilicet quasi parati ei obedire in suis mandatis qui ante resistebant. Sic et nos facimus in receptione injuncti officii.

Interdum ad consequendam misericordiam. 2 *Reg. 19:* Semeï prostratus coram rege, dixit ad eum: Ne reputes mihi, Domine, iniquitatem, neque memineris injurias servi tui. Sic et nos facimus cum petimus veniam a fratre offenso, et cum accedimus ad confessionem, et in introitu Ordinis petentes misericordiam Dei et Ordinis prostrati.

Interdum ob gratiarum actionem. *Tob. 12:* Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum. Sic et nos facimus post lectionem terminatam, prosternentes nos, et quasi benedicentes Deum super gratia data in legendo.

Interdum causa recipiendae benedictionis. Sic faciebant antiqui patres qui se prosternebant ad invicem unus coram alio, dicentes: Benedic mihi, Pater; sicut legitur in *Vitis Patrum*. Sic et nos facimus prosternendo nos in receptione benedictionis pro itinere eundo et redeundo.

Interdum causa poenitentiae seu doloris. (2) *Judith. 9:* Induens se Judith cilicio, posuit cinerem super caput suum, et prosternens se coram Domino clamavit. Sic et nos facimus cum dicimus psalmos poenitentiales, feria tertia, in capite jejunii, et in die Coenae, et compunctionis tempore, secreto, juxta illud *Ps. 94:* Procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.

Interdum causa adorationis. *Matth. 2:* Et procidentes, adoraverunt eum. Sic et nos facimus in horis.

Interdum ob reverentiam. Sic Abraham coram viris tribus qui ei apparuerunt, cecidit in terram, sicut habetur *Gen. 17:* Sic et nos facimus prosternentes nos coram reliquiis et hujusmodi sacris.

Interdum causa humilitatis, sicut Petrus, visa captura piscium, procidit ad genua Jesu, et dixit: Exi a me, quia homo peccator sum, sicut habetur *Luc. 5.* Sic et nos interdum prosternimus nos unus coram alio causa humilitatis. Quandoque vero una et eadem prostratio fit pluribus de causis supradictis, ut coram Corpore Domini et in adoratione crucis.

Et notandum quod in cultu divino non sunt omittendae prostrationes inter Christicolas. (1) Legitur enim quod Judaei cum maxima diligentia has faciebant. 2 *Paral. 7*: Omnes filii Israel corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt et laudaverunt Dominum.

Item, idololatrae hoc idem faciunt. *Dan. 3:* Cadentes omnes populi, et tribus, et linguae adoraverunt statuam auream.

Item, de daemonibus legitur, *Marc. 3:* Spiritus immundi, cum eum videbant, procidebant ei, et clamabant: Tu es Filius Dei.

Si ergo Judaei in suo cultu, idololatrae in suo ritu, cum tanta devotione faciebant prostrationes; si ipsi daemones faciebant eas ipsi Christo, quanto magis sunt faciendae cum summa devotione in cultu christiano?

Amplius, de viginti quatuor senioribus, qui sunt universitas sanctorum, legitur *Apoc. 4:* Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum. (2)

---

(1) Cod. Salm.: a Christicolis. — (2) Cod. Salm.: Item *Apoc. 4*, legitur.

Item, de angelis legitur *ejusd. 7:* Omnes angeli in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium ceciderunt in conspectu throni ante facies suas, et adoraverunt Deum.

Item, de ipso Christo legitur, *Matth. 26:* Procidit in faciem suam orans.

Si ergo sancti omnes, immo angeli omnes, immo ipse Christus, tam devotas faciunt prostrationes, quomodo erit hoc negligendum a viris Spiritum sapientibus?

Colligitur ergo ex praedictis quod inclinationes, genuflexiones, prostrationes non sunt in cultu divino a viris Deo devotis aliquatenus negligendae.

Sed notandum quod hujusmodi exterioribus humiliationibus debet aliquid intrinsecus respondere. Non enim solum debemus exterius, sed interius cor inclinare. *Jos. 24:* Inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. Similiter flectere genua cordis, juxta exemplum Manasse qui dicit, 2 *Paral. ult.* sic: Et nunc flecto genua cordis mei, precans a te bonitatem, Domine.

Debemus iterum prosternere nos corde, juxta illud *Ps. 118:* Adhaesit pavimento anima mea; quasi dicat: non solum corpore prostratus adhaereo pavimento, sed et anima.

Item, multas facimus inclinationes, prostrationes, genuflexiones, una et eadem causa; iterum unam et eamdem humiliationem pluribus et diversis de causis, ut praedictum est.

Item, quaedam sunt quas facimus ex debito, ut illae quae scriptae sunt, vel consuetae communiter; quaedam quae ex devotione, ut sunt illae genuflexiones, inclinationes, seu prostrationes quas facimus interdum in secretis, vel sine conventu. (1)

Sed inter istas privatas sunt quaedam quae fiunt a quibusdam saecularibus, sed a religione non approbantur, ut sunt prostrationes cum extensione brachiorum in modum crucis, et cum osculo terrae: quia non sunt decentes, et quia etiam indiscrete gravant corpus interdum ex terrae frigiditate.

---

de senioribus viginti quatuor quod prociderunt et adoraverunt viventem in saecula saeculorum. — (1) Id est absente communitate.

Item, quaedam praedictarum humiliationum pertinent ad latriam quae est cultus soli Deo debitus, ut sunt illae quas soli Deo facimus; quaedam ad illam quae est honor creaturae exhibendus ex causa rationabili, ut sunt illae quas facimus praelatis vel alii creaturae, prout dictum est supra, in multis casibus, et melius patebit.

LV. De diversis statibus corporalibus in adorando Deum.

Sciendum iterum quod praeter tres humiliationes praedictas, sunt alia quaedam quae pertinent ad observantias corporales divini cultus. Quandoque sibi fit adoratio demisso vultu, et hoc in signum verecundiae; propterea dicitur *Is. 49:* Vultu in terram demisso adorabunt te; quandoque elevatis oculis, juxta exemplum Domini, de quo dicitur, *Joan. 17:* Sublevatis oculis in coelum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum; et hoc in signum intentionis cordis.

Item, interdum stamus in adorando, et hoc propter reverentiam, juxta illud quod dicitur, *Apoc. 7,* de sanctis et angelis: Post hoc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, stantes ante thronum et in conspectu Agni. Et post parum: Et omnes angeli stabant in conspectu throni. Quandoque sedemus, et hoc secundum indulgentiam, ratione infirmitatis naturae. Nec illud est omnino reprehensibile: cum enim sedentes essent Apostoli, receperunt Spiritum Sanctum, sicut dicitur *Act. 2;* et constat quod orantes receperunt, sicut cantat Ecclesia. Ergo sedentes orabant in receptione Spiritus Sancti. Non igitur abominatur Spiritus Sanctus semper sedentes in orando.

Item, interdum, versis vultibus ad altare, et hoc in signum intentionis quam ad Deum habemus. Juxta hoc dicit sponsus Ecclesiae, *Cant. 2:* Ostende mihi faciem tuam. Et post: Sonet vox tua in auribus meis. Quandoque versis vultibus ad invicem, in signum unanimitatis quam habemus in laudando Deum, sicut et cherubim versis vultibus se respiciebant in propitiatorio, sicut dicitur *Exod. 25;* et hoc eadem de causa.

Item, interdum submissis manibus, juxta illud quod dicitur *Ezech. 1:* Cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput quatuor animalium, stabant et submittebant alas suas, pro nihilo reputantes virtutes suas. Et hoc fit in signum propriae dejectionis. Unde *Glossa* super hoc dicit: Stabant in contemplatione, et submittebant alas suas.

Quandoque elevatis manibus, secundum doctrinam Apostoli dicentis, 1 *Tim. 2:* Volo viros in omni loco orare, levantes puras manus. Hujusmodi autem elevatio non est contemnenda, neque negligenda, quia cum elevabat Moyses manus, vincebat Israel; si autem paululum remittebat, vincebat Amalec, sicut dicitur *Exod. 17.*

Interdum expansis manibus. *Ps. 141:* Expandi manus meas ad te. Et hoc faciendum est maxime in altari, ubi sacerdos tenet Christi personam.

Interdum, junctis manibus. *Is. 45,* secundum unam litteram: Junctis manibus te adorabunt, teque deprecabuntur. Dicitur de Cyro qui tenet Christi personam.

Item, interdum extrahendum est caputium, maxime cum aliquis dicit aliquid solus in choro, sive legendo, sive cantando, sive orando. Si enim viginti quatuor seniores in orando, deponebant coronas suas, sicut dicitur *Apoc. 4,* quanto magis nos caputium debemus deponere? Ideo dicit Apostolus, 1 *Cor. 11:* Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.

Item, interdum cum tunsione pectoris, exemplo publicani, de quo dicitur *Luc. 18:* Percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Interdum cum crucis signatione; unde super *Ezech. 9,* super illud verbum: Signa thau super frontes gementium, dicit *Glossa:* Thau habet similitudinem crucis, quae in christianorum frontibus frequenter signatur, cujus munitione signantur.

Illud autem sciendum est quod genuflexio cum elevatione capitis et oculorum, junctis manibus, dispositio est inter omnes aptior ad orandum, sicut noverunt experti. Genuflexio enim habet humilitatem, elevationem vero capitis et oculorum sequitur facile elevatio cordis, quia anima propter colligationem quam habet cum corpore, facile sequitur dispositiones ejus; manuum vero junctio expressio est affectus. Nihil autem est utilius in oratione quam humilitas, intentio et affectus.

Iis praenotatis, prosequendum est de iis quae dicuntur in littera. Et est sciendum quod supradicta constitutio, quae prima est in isto

capitulo, loquitur de humiliatione quae facienda est quando ingredimur ad officium.

Sed tamen quia minus plene dicit quaedam, addendum est quod habet consuetudo.

Sciendum ergo quod « finitis matutinis de B. Virgine » vel xv psalmis de cantico graduum, quando dicendum est, vel vii psalmis quando dicuntur; vel si neutrum dicatur, cum se praeparaverint fratres, consueverunt ire ad cameras, in quibus, et in via ad illas debet esse semper lumen competens; et aliquis, secundum quod ordinatum fuerit, debet hujus rei curam habere diligentem.

Cum autem postmodum fratres ad chorum veniunt, si sic dispositus fuerit chorus quod intrent ex parte superiori, tunc juxta gradum altaris (inclinare se debent); vel si sit dispositus quod intrent ex parte inferiori, tunc in medio chori, licet non juxta gradus praedictos, ante altare.

Profunde autem sunt faciendae hujusmodi inclinationes ante altare, propter altaris ipsius sanctitatem, quod majori sanctificatione consecratum est quam aliud quod sit in ecclesia.

Item, propter reliquias et imagines sanctas, quae solent in eo vel juxta esse; maxime autem propter Corpus Domini, quod ibidem reservatur. Et de hoc ultimo dicitur *Is. 17*: In die illa, scilicet tempore gratiae, inclinabitur homo ad Factorem suum, et non inclinabitur ad altaria quae fecerunt manus ejus. Inclinamus autem coram illo, quasi tantae majestati reverentiam exhibentes; item quasi pro tanto beneficio Incarnationis regratiantes; item quasi considerata illa humilitate, nos humiliari dignum judicantes. Facienda est autem hujusmodi inclinatio profunde, tam propter reverentiam Dominici Corporis quam propter reverentiam conventus. Hae enim sunt duae causae profundarum inclinationum. Cum ergo transimus ante alia altaria, vel imagines, vel ante istud idem altare, alio tempore, quando conventus non convenit, licet debeamus semper inclinare, secundum (1) consuetudinem quae originem duxit ab ista constitutione, tamen non

(1) Cod. Salm.: propter.

requiritur a nobis quod ita profunde inclinemus, quia tunc non concurrunt duae causae praedictae.

Illud autem non est oblivioni tradendum quoniam semper in in hujusmodi inclinationibus caputium extrahatur; sed quando profundior requiritur inclinatio, requiritur etiam major capitis denudatio propter easdem causas.

Quod autem dicitur, hoc faciendum est non solum cum convenimus ad matutinas, sed servandum est quandocumque (1) convevenimus ad chorum alio tempore, cum sint eaedem causae.

Sequitur: **Et cum ad sedes suas venerint, facto signo a praelato, flexis genibus, vel inclinati profunde pro tempore, dicant Pater Noster et Credo in Deum, et iterum facto signo a praelato surgant.**

In praedicta constitutione dictum est de humiliatione facienda quando ingredimur ad officium, (2) hic autem dicitur de illa quae immediate facienda est ante incoeptionem officii. Dictum est autem supra super illud verbum: « Postea dicatur *Pater Noster* et *Credo in Deum,* » quare ante incoeptionem horarum dicimus *Pater Noster* et *Credo in Deum,* vel solum *Pater Noster* interdum. Nunc videndum est quare haec dicimus cum humiliatione inclinationis, vel prostrationis.

Et est dicendum quod ante incoeptionem horae, humiliamus nos quasi sic suppliciter postulantes ab eo qui humilibus dat gratiam, quod det gratiam ad dicendum officium, quod restat dicendum taliter quod sit ei gratum.

Item, humiliamus nos ut ex humilitatis admistione fiat accepta sibi sequens deprecatio, scientes quod humilium semper ei placuit deprecatio.

Item, humiliamus nos ut devotius offeramus oblationem laudis secuturae, sicut ille qui offert ad altare vel alicui magno exen-

---

(1) Cod. Vien.:... faciendum est cum convenimus ad matutinas, servandum est quandoque quando. — (2) Cod. Salm.: ingredimur chorum.

nium solet se in offerendo humiliare, flectendo prius genua, devotionem exprimens. (1)

Istas autem humiliationes cum oratione facimus in silentio, scientes quod nulla humiliatio vel oratio secutura valet, nisi primo originem duxerit a corde.

Porro majorem humiliationem facimus in diebus non solemnibus, scilicet prostrationis; minorem vero, scilicet solius inclinationis, in solemnibus, triplici de causa; scilicet propter figuram: dies enim solemnis repraesentat statum triumphantis Ecclesiae; dies non solemnis statum militantis. In triumphanti vero non requiritur tanta supplicatio sicut in militanti.

Item, propter dierum horum differentia (2) officia. Dies enim solemnis dedicatus est magis ad jubilandum quam ad supplicandum: dies vero non solemnis e contrario; et ideo solemnis non requirit tantam humiliationem, sicut non solemnis.

Item, propter nostram necessitatem. In diebus enim solemnibus confidimus efficacius sanctos Dei pro nobis intercedere; et ideo tunc quasi minus pro nobis solliciti minores humiliationes pro nobis facimus, ipsorum laudibus quasi ex toto vacantes. (3)

His visis, supplendum est quod minus dicitur in littera constitutionis praedictae. Dicendum enim quod post inclinationem factam ante altare in ingressu chori, est in optione fratrum orare ante altaria, vel in sede sua sedere; vel stare, sicut voluerint, usquequo secundum signum incipiatur.

Tunc autem debent, ubicumque fuerint, collocare se in sedibus suis, et stare erecti, versis vultibus ad altare, usquequo terminetur pulsatio. Ad quam terminandam, si nimis diu pulsaretur, et ad faciendas umiliationes praedictas, debet praelatus, vel hebdomadarius, si praelatus defuerit, facere signum cum manu, vel cum aliquo ligno ad hoc aptato, et hoc facto, flexis genibus prostrati super formas, in diebus profestis; vel inclinati profunde, id est usque ad genua, ita

---

(1) Cod. Salm. addit: sic nos. - Legendum forte *extrenam*. Exenium diciture graeco ξενιον. — (2) Cod. Salm.: propter dierum horum differentiam. — (3) Cod. Salm.: quasi ex tota intentione vacantes.

scilicet quod cum cubitis desuper genua possint appodiare, in diebus solemnibus vel quasi solemnibus, dicant: *Pater noster* et *Credo in Deum.*

Quod similiter faciendum est ante Missam. Ante alias vero horas solum *Pater noster* dicendum est. Tunc adhibita diligentia ab eo qui signum fecit, ne nimis cito, ne nimis lente dicatur quod dicendum est in silentio, completa illa oratione, facit iterum signum; quo facto, surgant fratres erigentes se, in signum quod in officio subsecuturo sursum cor habere debeant, et quod in ipso ea quae sursum sunt quaerant, et quod in laude divina iis quae sursum sunt se conforment.

Sequitur: **Hora itaque devote incoepta, versi ad altare, muniant se signo crucis, et ad Gloria Patri inclinet chorus contra chorum profunde, vel prosternant se pro tempore usque ad Sicut erat.**

Postquam dictum est in praedicta constitutione de observantiis servandis ante incoeptionem officii, subjungitur de iis quae observantur in ipsa incoeptione officii. Circa istud vero quod hic dicitur, notandum quod devotio de qua fit hic sermo, vocatur quaedam maturitas et distinctio cum pausis majoribus, quae observanda est quotidie in principio horarum et in hymnis qui dicuntur ante psalmos, magis quam in residuo officii. Et sic faciunt Cistercienses, et aliae religiones approbatae, licet apud quosdam nostrûm hoc non servetur, qui vel nesciunt quid vocetur hic devotio; vel si sciunt, quod scriptum est servare negligunt. Ratio autem hujus observantiae est declinatio quae solet accidere in prosecutione officii. Solent enim fratres in iis etiam quae laudabiliter et devote incipiunt, paulatim declinare, ad minus ex infirmitate humana. Unde si minus devote inciperetur officium, cum pejus procedat post incoeptionem, valde male diceretur. Incipiendum est ergo cum magna maturitate, ut declinatio secutura non nimis deturpet officium, et ne malum principium finem sortiatur pejorem.

LVI. Quare incipiendum sit

Conversio autem ad altare de qua fit hic mentio, facienda est statim quando fratres se eriguunt, non expec-

Hora incoepta devotione.

pta, vertant se ad altare; sed « versi ad altare » jam (antea). Fit autem haec conversio in signum quod intuitum faciei intentionis nostrae in officio ad Deum dirigamus, non ad aliquid aliud, sicut dicunt qui terrenum commodum quaerunt in officio; de quibus conqueritur Dominus per prophetam, *Jer.* 2: Verterunt ad me tergum, et non faciem.

Item, in signum etiam quod in officio desideria nostra ad ipsum convertamus, vacta illud quod dicitur in *Ps.* 37: Domine, ante te omne desiderium meum.

Item, in signum quod cogitationes cordis nostri tunc etiam ad ipsum habeamus, ne simus de illis de quibus dicit per prophetam *Is.* 29: Populus hic ore suo et labiis suis glorificat me; cor autem eorum longe est a me.

Non solum autem in principio horarum facienda est hujusmodi conversio ad altare, sed etiam quando cantatur *Venite*. (1)

Item, in missa, quandocumque fratres stant erecti, nihil cantantes, vel respondent ad ea quae dicit sacerdos.

Item, cum dicitur Evangelium versus altare, et cum respondetur (*Gloria tibi, Domine*, ad Evangelium, ubicumque legatur.

Item, quandocumque fratres stant in sedibus suis ante incoeptionem officii.

Item, cum dicit aliquis capitulum vel collectam in choro, vel gratiarum actiones, vel qui legit aliquid, praeterquam in lectione *Fratres sobrii estote*, ante completorium, de qua supra reddita est ratio.

Item, cum cantant duo vel plures aliquid in medio chori.

Item, cum cantat vel incipit aliquis aliquid solus, praeterquam in incoeptione antiphonarum super psalmos, et in intonatione psalmorum, in his enim frater incipiens antiphonam et cantor psalmum intonans, existens in medio chori, sese mutuo respiciunt, quasi concordantes in laudem Dei. Meliusque esset propter hoc ut cantor unicus semper intonaret psalmum quam duo, in diebus festivis. (2)

(1) Scil. Invitatorium. — (2) Cod. Salm.: nisi quando sunt duo in diebus festivis.

Ubi autem duo intonant, debent aliquantulum vertere se ad chorum in quo incoepta est antiphona propter praedictam causam. Licet autem in ferialibus diebus cantor non stet in medio, quia parcitur ei ab hujusmodi observantia propter naturae debilitatem, tamen hoc retinere debet ne se vertat ad altare in intonatione psalmi, sicut nec incipiens antiphonam. Post incoeptionem vero antiphonae et intonationem (1) psalmi, uterque se vertit aliquantulum ad altare, finito primo versu, et inclinat aliquantulum, quasi gratias agens pro bene factis, et humilians se pro minus bene factis.

LVII. De signo crucis.

Ad sciendum autem quare signo crucis nos munimus in principio horarum, attendendum est quod licet daemones omne bonum impedire nitantur, tamen specialius orationem. Unde abbas Agatho dicit in *Vitis Patrum*: Quotiescumque voluerit homo orare, festinant daemones inimici impedire eum, scientes quoniam non aliunde sic confunduntur quemadmodum per orationem. Hinc est quod quandocumque conveniunt fratres ad orandum, conveniunt et ipsi ad impediendum. Unde cum daemon quidam diceret Macario ut iret ad collationem vigiliarum, ubi fratres erant congregati, et ipse responderet daemoni quid haberet de illa vigilia facere, respondit daemon quod sine eis non ageretur aliqua congregatio monachorum, sicut dicitur in *Vitis Patrum*. Hinc scriptum est, *Job*, 2: Die quadam, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.

Ingerens autem orantibus se daemon, interdum nititur orantem seducere, leves suggerens occasiones recedendi ab oratione. Unde B. Benedictus vidit, et post orationem biduanam duos alios fecit videre quemdam puerulum nigrum, trahentem quemdam monachum, qui in oratione stare non poterat, per fimbriam vestimenti, et educentem eum, sicut dicit Gregorius in *Dialogo*.

Interdum autem cum non potest seducere eum, nititur impedire. Unde B. Macarius, sicut legitur in *Vitis Patrum*, vidit pueros aethiopes volitantes circa fratres orantes; et quosdam in oculis comprimebant, et illi dormiebant; quibusdam digitos mittebant in os, et illi oscitabant;

(1) Cod. Salm.: inchoationem.

quibusdam in speciem mulierum, alii autem in alias varias imaginationes vertebantur; quibusdam super dorsa sedebant, et illos sine dubio graves reddebant ad demorandum in officio; quibusdam super capita insedebant, (1) et illos haud dubium de elatione tentabant. Unde auditis postmodum eorum conscientiis, per omnia sic invenit. Ex hoc ergo colligitur quod diabolus orantes impedit, aut educendo ab oratione, si potest, aut si non potest, somnum inducendo, aut ad aliquos actus movendo, aut cogitationes alias immittendo, aut taediosos faciendo, aut in praesumptionem aliquam extollendo.

Signum autem crucis valet contra hostes, quod patet. Sicut dicit Origenes, tanta est virtus sedulae meditationis crucis Christi, quod si fideliter teneatur in corde, statim ad ejus memoriam omnis mortis fugatur exercitus. Mors autem est ipse diabolus, sicut dicitur *Apoc. 6.*

Item, 1 *Petr. 4*: Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione, scilicet passionis et crucis, armamini.

Item, dicitur, *Ezech. 9,* quod angeli exterminatores non tetigerunt illos qui habebant thau super frontes.

Item, dicit Gregorius in *Dialogo* quod diabolus accedens ad Judaeum dormientem in templo, qui se signaverat sine fide, fugit exclamans et dicens: Vas vacuum, sed signatum! Si igitur memoria crucis, cogitatio passionis, figura crucis, immo ipsum signum sine fide factum, tam potenter defendit ab hostibus istis, quanto magis ipsa crux facta in fide et memoria passionis! (2) Hinc est quod, *Apoc. 7,* dicitur quod angelus habens signum Dei vivi, clamavit quatuor angelis quibus datum est nocere terrae, ne nocerent, usquequo Dei servi essent signati in frontibus suis: et hoc ne nocerent; et exponit *Glossa* illud de signo crucis. Munimur ergo signo crucis in principio officii, ut cum virtute ejus in ipso officio defendamur ab hostibus ibidem tam vehementer impugnantibus. Unde et illud signum facimus, quando dicimus: Deus in adjutorium, etc.

Sed notandum est quod non solum in horarum incoeptione fa-

---

(1) Cod. Salm.: sedebant. — (2) Cod. Salm.: quanto magis memoria passionis cum cruce.

cimus hoc signum, sed alias in multis casibus. Interdum ex privata devotione, ut faciunt aliqui quando intrant lectum, vel incipiunt praedicare, vel legere, vel orare, vel comedere, vel finiunt comestionem, et similia.

Interdum ex generali ecclesiarum saecularium consuetudine, ut in fine *Evangelii,* et *Symboli,* et *Gloria in excelsis,* et *Benedictus qui venit,* cum cantatur in Missa. Dicit enim magister Joannes Beleth quod consuetudo est quod in hymnis evangelicis, cum cantantur, signamus nos. Quia tamen super hoc non est consuetudo universalis apud omnes nationes, ideo ista quidam observant, quidam vero non observant.

Interdum ex ordinis constitutione, ut in casibus qui scripti sunt in *Ordinario* vel in *Constitutionibus.*

Fit autem hujusmodi signum crucis quandoque ob solum signum, ut cum signamus nos in principio evangelii super pectus, os, vel frontem, in signum quod crucis sapientiam habemus in mente, proferimus ore, non erubescimus publice confiteri. Rabanus: Crux est sapientia stultorum; scilicet illorum quos mundus stultos reputat.

Quandoque fit ob aliquem effectum, vel alicujus conferendi boni, ut cum datur benedictio cum crucis signaculo: ipsa enim crux est per quam gratia justificationis data est mundo. Anselmus in *Oratione de cruce:* Per te humana natura est justificata; vel sanctificationis assequendae, ut cum benedicitur cibus, vel ramus, vel candela, et similia: ipsa enim crux sanctificat. Ideo Johannes episcopus Os Aureum (1) in *Sermone de die Parasceves:* Hodie crux affixa est, et saeculum sanctificatum est; vel liberationis, ideo idem episcopus in *eodem:* Crux fixa est, et daemones dispersi sunt; hinc est quod dicit Apostolus, 1 *Cor. 1:* Facta est nobis sapientia et justitia, et sanctificatio, et redemptio, et hoc per crucem: non enim reputant se servi ejus aliquid scire nisi ipsum Crucifixum: et hoc quoad primum.

Item, non habent aliunde gratiam justitiae, nisi per lignum, per quod fit justitia: et hoc quoad secundum.

Item, si aqua contraxit vim sanctificativam a contactu Domi-

(1) Chrysostomus, χρυσός-στόμα.

nici corporis, quomodo non magis contraxit crux? Ideo dicitur sancta, sanctificans, quoad tertium. . . . . .

Item, ipsa est virga virtutis ejus ad dominandum in medio inimicorum, et redimendum nos ab eis: et hoc quoad quartum. . .

. . . . . .

Glossemata haec aurea B. Humbertus, morte praeventus, infecta reliquit: quod nunquam satis cuique prudenti erit dolendum.

(Cf. Echard. T. I, pp. 145-146).

INCIPIUNT INSTRUCTIONES

MAGISTRI HUMBERTI

DE OFFICIIS ORDINIS

PROLOGUS

RELIGIONES (1) approbatae, sicut in constitutionibus fere omnium religionum diligenter perlectis vidimus, distinxerunt antiquitus officia, tradentes in scriptis quid cuilibet competeret officiali, ut dum haec sciret quilibet, nullus alterius occuparet officium, nec suum negligeret: et sic ordinatius et completius fierent universa.

Porro etiam in ordine nostro sunt officiales quidam, qui habent ordinarie curam pertinentem ad animas, differentem secundum plus et minus, ut magister ordinis, prior provincialis et prior conventualis.

Alii sunt, qui habent hujusmodi curam ex commissione, ut suprior, magister novitiorum, magister conversorum, et corrector familiae. Ex iis (2) quatuor primus habet universalem in conventu, alii vero particularem circa determinatas (3) personas.

---

(1) Hic in cod. Vien.: occurrit primo monitum « Ista quae scripta sunt... » infra positum, in fine Prologi. — (2) Cod. Vien.: Et horum. — (3) Cod. Vien.: certas.

Alii sunt circa cultum divinum, ut cantor, succentor, sacrista.

Alii circa strudium, ut lector, magister studentium, librarius, procurator scriptorum.

Alii sunt circa custodiam diversarum rerum, quae indigent custodia, ut examinatores recipiendorum circa custodiam ingressus, circator circa custodiam religionis, custos dormitorii circa dormitorium, portarius circa portam, depositarius circa res depositas.

Alii circa varias necessitates fratrum: et horum quidam sunt generales, ut procurator, consiliarii, eleemosynarius; quidam particulares, et horum quidam sunt circa necessitates quotidianas, ut circa conventum refectorarius, servitor mensae, lector in mensa, et corrector in mensa: quorum duo primi deserviunt necessitatibus corporalibus, alii duo spiritualibus. Et circa infirmos infirmarius, et infirmorum custos; et circa hospites receptor hospitum; et iis omnibus, scilicet conventui, infirmis, et hospitibus deserviens coquinarius, et custos cellarii.

Alii circa indumenta, ut vestiarius, sartor, sutor; alii circa opera, ut praefectus operum; alii circa culturam horti, ut hortulanus.

Sunt igitur in universo triginta sex genera officialium apud nos, scilicet magister ordinis, prior provincialis, prior conventualis, supprior, magister novitiorum, magister conversorum, corrector familiae, cantor, succentor, sacrista, lector, magister studentium, librarius, curam gerens scriptorum, examinator, circator, custos dormitorii, portarius, depositarius, procurator, consiliarii, eleemosynarius, refectorarius, servitor mensae, lector in mensa, corrector in mensa, infirmarius, custos infirmorum, receptor hospitum, coquinarius, custos cellarii, vestiarius, sartor, sutor, praefectus operum, hortolanus.

Sunt insuper alii, quibus ordo non indiget continue, sed in casibus et ad tempus, ut sunt diffinitor generalis capituli et socius ejus, elector Magistri, elector prioris provincalis, diffinitor capituli provincialis, visitator, praedicator generalis, et socius prioris conventualis ad capitulum, et confessor.

Similiter praeter hos sunt alii, quorum officia patent ex *Ordinario,* ut hebdomadarius, et ministri altaris, et lector kalendarum, et alii qui in tabula scribi solent.

Item, cum sunt aliqui fratres qui sciunt artes aliquas mechanicas, ut suere, scribere, radere, vel dolare, et hujusmodi, debent hoc facere, prout eis injungitur: sed haec non computantur inter officia.

Item, ubi paucitas est fratrum, solent plura officia injungi uni, et tunc ipsius interest omnia quae pertinent ad illa exequi.

Videtur autem tam ex ratione, et ex consuetudinibus nostris, quam ex scriptis quae religiones praedictae super hujusmodi ediderunt, quod officia possunt apud nos (1) distingui et assignari modo praedicto.

Ista (autem) quae subscripta sunt de officiis Ordinis, non sunt scripta ad hoc quod inferant aliquam necessitatem: sed ad hoc tantum ut fratres quibus imponuntur aliqua officia, et non sunt (2) in illis plene instructi, possint hic respicere, si velint; et si aliquid ibi inveniunt quod eis rationabile videatur possunt acceptare, si volunt: alioquin in nullo tenentur ex vi hujusmodi scripturae, propter quod dicuntur *Instructiones*. (3)

CAP. I.

DE OFFICIO MAGISTRI ORDINIS

I. Circa ordinem in generali.

Magistri ordinis officium est de toto ordine sibi commisso gerere assiduam sollicitudinem; paupertatis, humilitatis, et omnium observantiarum ordinis, totiusque sanctitatis, quantum possibile est naturae suae, prae omnibus in se se monstrare indicia, ut non solum praesentes fratres exemplo aedificet, sed etiam absentes fama reficiat. Fratres praesentes verbis, absentes vero litteris promovere debet ad omne opus bonum; et Deo, ac beatae Virgini, et beato Dominico recommendare in orationibus fra-

(1) Cod. Vien.:... tam ex ratione quam ex consuetudine quod ea quae religiones super hujusmodi ediderunt, possint apud nos.... — (2) Cod. Vien.: nondum sunt. — (3) Cod. Vien.: dicitur Instructorium.

tres et ordinem incessanter, et ad hoc etiam bonorum suffragia procurare.

Debet quoque secum habere regulam, constitutiones, privilegiorum ordinis transcripta, monitiones capitulorum generalium, breviarium, et minus missale bene correcta: (1) et haec scire bene, et fratribus super his satisfacere.

Item, ipsius interest pro posse laborare ut intersit capitulo generali.

II. Circa capitulum generale.

In vigilia Pentecostes, post primam, praelectis in capitulo kalendis et tabula, faciendus est aliquis sermo brevis de pertinentibus ad religionem et statum fratrum, vel ab eo, vel ab alio cui ipse injunxerit ad hoc idoneo; et postmodum admonitiones circa ea quae pertinent ad instans capitulum. Orationes quoque aliquae, vel missae pro ipso capitulo sunt fratribus injungendae.

Potest etiam dare licentias aliquas generales durante capitulo, vel de loquendo, vel de aliis, secundum quod viderit expedire.

Ipsius etiam est tunc congregare diffinitores, et in diffinitionibus minus exercitatos dirigere; de constitutionibus confirmatis, vel inchoatis, (2) et de aliis actis praeteriti capituli, cum necesse fuerit, rationes quae moverunt diffinitores reddere. Summa quoque cura est ei adhibenda ut constitutiones utiles pro ordine procedant: aliae vero non; et idem circa admonitiones, et alia agenda in capitulo faciendum est. Et circa hujusmodi tunc promovenda ei frequenter per totum annum est cogitandum.

Litterae generales aliquae de aliqua consolatione et utili exhortatione ad fratres omnes, et aliae ad sorores sunt tunc ab eo transmittendae; et tam tempestive promulgandae cum Indulgentiis, si quae novae fuerint, vel litterae papales, vel alia praeter acta per ordinem mittenda, quod ante diffinitionem possint omnia a fratribus transcribi.

Curandum quoque est ei quod acta modo debito et decenter formentur, et quod omnia fiant in capitulo ordinate.

---

(1) Cod. Vien. ex correct. margin.: et ad minus missale bene correctum. — (2) Cod. Vien.: confirmandis vel inchoandis.

Committere etiam alicui debet quod habeat curam de litteris de beneficiis concedendis alii vel aliis; de legendis illis quae fuerint transcribenda.

Omnibus etiam qui scribunt ei, sive fratres, sive extranei, de aliquo quod requirat rescriptum, per litteram decentem rescribendum est rationabiliter, et prout poterit gratiose; et ut plenius et brevius expediantur litterae, debet sibi providere de pluribus dictatoribus idoneis tunc habendis.

In tenendo quoque capitulum multum curandum est sibi quod dissolutiones non fiant, quod in loquendo et in aliis forma scripta servetur; quod proclamationes iniquae, vel indiscretae et frivolae reprimantur; quod absentes etiam leviter non infamentur, et hujusmodi multa.

In terminatione vero capituli, in ipso capitulo potest praefigere terminum infra quem redeant fratres, si timetur de mora fratrum, et domus gravamine.

Denuntiare quoque (debet) quo proponat iter dirigere, ut sciant ubique fratres ubi poterit inveniri, si eo indiguerint; et tandem tam praesentium quam absentium fratrum orationibus se recommendare. Et iis factis, ad absolutionem ibidem faciendam est procedendum.

III. Circa provincias.

Circa provincias vero debet habere curam magnam quod bonos priores provinciales habeant, cum ex ipsis pro magna parte dependeat bonus status ordinis in provinciis. Et ideo debet interdum electoribus priorum provincialium litteras ad hoc pertinentes dirigere, interdum etiam concedere eisdem quod possint eligere de aliis provinciis, interdum etiam circa personam eligendam eos dirigere.

Cum autem electio devoluta fuerit ad eum, cum diligenti discussione, prout melius et utilius poterit, providere.

Item, de communi bono provinciae debet quandoque speciales litteras specialibus provinciis mittere, secundum exigentiam negotiorum et temporis; vel visitatores secundum formam taxandam cum discretione, cum major fuerit necessitas, praecipue cum consilium diffinitorum in hoc concurreret, destinare.

Item, provinciis magis desolatis, vel minus sibi sufficientibus,

debet esse favorabilior in concedendis fratribus utilibus et idoneis, sive ad legendum, sive ad praedicandum, sive ad alia ordinis negotia peragenda; vel in collocando fratres de illis provinciis alibi ad proficiendum pro eis in hujusmodi gratiis, per quas possint utiliter relevari.

Suum est etiam transferre fratres de provincia ad provinciam pro utilitate vel ordinis, vel fratrum trasferendorum, vel provinciae, a qua, vel ad quam translatio hujusmodi fuerit facienda.

Contentiones quoque, si quae fuerint inter provincias, debet dirimere, et a mutuis injuriis conservare easdem.

Per fratres venientes ad capitula, et alias cum commode poterit, de statu provinciarum debet inquirere diligenter; et ad habendum qualemcumque notitiam de regimine earum, ut acta capitulorum provincialium ad se deferantur ad capitula generalia, si voluerit, ordinare.

IV. Circa conventus.

Interest etiam ipsius ut ad conventus ad quos non declinat, interdum litteras mittat consolatorias, si sint in tribulationibus; vel de concordia, si sint inter se discordes; vel alias secundum quod exigunt causae variae emergentes; vel etiam mittat visitatores secundum formam taxatam, (1) si major necessitas, et prioris provincialis vel carentia, vel absentia, vel negligentia, vel insufficientia hoc requirant.

Sane cum declinat ad conventum aliquem in transitu, semper debet intrare capitulum et, ibidem fratribus congregatis, recommendandos recommendare fratrum orationibus, et causam sui transitus, nisi sit res secreta, reserare eisdem.

Nisi vero arcta necessitas ipsum festinare compellat, non debet, si audivit aliqua notabilia ibidem corrigenda, ipsa incorrecta dimittere. Si vero non audivit, nihilominus vel in capitulo, vel coram senioribus aliquibus debet se offerre ad corrigendum, si qua videntur suam correctionem requirere. Quod si videatur eis ut istis intendat, debet seorsum summatim illa quae eos moverunt praelibare, et tunc,

---

(1) Cod. Vien.: visitatorem secundum formam taxandam.

si ei visum fuerit, postea capitulum vel quoad omnia, vel quoad illos casus, tenere.

Ante recessum autem suum debet cum omnibus in refectorio, si fieri potest, comedere; et in capitulo aliquem sermonem, vel collationem, vel admonitiones aliquas proponere fratribus, tam clericis, quam laicis, secundum exigentiam status eorum; et in fine (1) consuetam absolutionem facere generalem; et se specialiter, et negotia, si qua grandia habet tunc temporis, fratrum orationibus recommendare.

Cum vero moram trahit in aliquo conventu, debet tam frequenter et tam diligenter tenere capitulum, et cum non tenet, interdum tam utiles et tam efficaces admonitiones proponere, quod ex ejus mora non solum in ejus praesentia, sed etiam post recessum sequatur in eadem domo evidens religionis augmentum.

Melius quoque est quod necessitates suas de communi provisione conventus, vel ab aliquibus amicis ordinis manifeste recipiat, quam quod aliquid fiat circa hoc per modum occultum, vel ab aliquo fratre singulariter procuretur.

Cavendum est autem ei diligenter ne se reddat onerosum in expensis, aut in servitiis, quae fratribus aliis fieri non consueverunt, aut fastu aliquo, tamquam non sit unus illorum; aut in sustinendo nimias fieri sibi reverentias: sed potius laboret ut societas sua non solum fratribus, sed etiam familiae cum qua etiam est ei habenda aliqua religiosa collocutio, sit amabilis et accepta.

Non decet etiam ut extra domum facile comedat, vel inter homines discurrat.

Cum autem eum ire oportuerit inter homines, cum societate moderata ire eum convenit, ne nimis magna societas attribuatur pompae, vel nimis modica contemptum apud imperitos inducat.

Hoc tamen secundum conditiones regionum est temperandum.

Fratres quoque qui occasione ejus superveniunt, ne ex eorum mora domus gravetur, debet breviter expedire, et licentiare curialiter inutiliter commorantes.

---

(1) Cod. Vien.: et etiam ante finem.

V. Circa fratres. Ad ipsum quoque pertinet majorum fratrum excessus viriliter corrigere, minoribus tamen se talem exhibere quod ad eum non timeant accedere, dignos honore pro meritis vel aliis conditionibus decenter honorare, irreligiosos et male viventes a sua gratia et familiaritate ad ipsorum correctionem repellere.

Laborantibus laudabiliter et fructuose pro ordine se gratum ostendere, infirmis corpore seu mente pie condescendere, protervorum et contumacium duritiam frangere, novitiis tentatis et afflictis dulces consolationes impendere, petitiones fratrum rationabiles libenter exaudire: cum vero repellendae fuerint, causas quare recipi non debeant prudenter explicare; querelantium de aliis causa diligenter audita, quod justum fuerit ordinare.

Dissolutiones omnes notabiles coram se nunquam sustinere; de utilibus, vel de confessione loqui secum volentibus facile locum dare.

Fratres omnes advenientes, nisi sit certum quod inordinate vadant, cum laeto vultu et ad osculum pacis semper recipere; discussa vero causa itineris, eosdem secundum merita tractare. Recedentes ad partes remotas cum osculo licentiare, absolutionem generalem, si petierint, eis conferre, et se per eos fratribus ad quos declinaverint recommendare, et salutare eosdem.

Apostasis et ejectis ad se confugientibus audientiam (1) praebere; ipsisque auditis, scribere eorum prioribus provincialibus, vel conventualibus, et secundum eorum relationem, quod visum fuerit expedire. In similibus quoque et dissimilibus se singulorum utilitatibus secundum diversos status eorum coaptare.

VI. Circa curiam romanam. Curia romana visitanda est a magistro tam pro ipsius reverentia, quam pro ordinis utilitate, temporibus opportunis: ubi, si eam turbatam invenerit in aliquo contra ordinem, vel fratres aliquos, debet ad sedandam ipsam sollicite laborare.

Indulgentias et concessiones, etiam verbo solo, utiles ordini quas poterit impetrare. D. papae, et cardinalium, et aliorum curialium benevolentiam erga ordinem captare; negotia magna, si qua habet ordo, pro viribus promovere.

---

(1) Cod. Vien. in nota marginali: audaciam.

Capellanis et poenitentiariis fratribus, et si qui sunt alii in societate curialium, (1) tenere capitulum, et ipsos diligenter corrigere; apponere etiam diligentiam quod inde caute removeantur, si qui fuerint minus apti; et quod pauci sint ibidem in societate alicujus curialium; et quod qui fuerint tales sint, quod ex eorum mora in curia honor sequatur ordinis et utilitas animarum.

Providendum est etiam ab ipso quod in conventibus civitatum, in quibus curia fuerit, semper sint sive de ipsa provincia, sive de aliis, fratres personati, discretione et honestate pollentes, et praecipue prior, et lectores sufficientes et famosi.

Constituendus est autem ab ipso semper aliquis frater in curia litteratus, discretus et zelator ordinis, honestae et amabilis conversationis inter saeculares, firmus in amore status ordinis et personatus, qui sit ibidem generalis ordinis procurator, habens super hoc suas litteras cum discretione formatas.

Cui etiam committenda est potestas aliqua super apostatas ordinis, et super fratres ad curiam inordinate venientes, et etiam super illos qui ordinate veniunt, ut cum consilio suo procedant, et circa alia quaedam, prout visum fuerit, expedire.

De expensis vero ei necessariis debet cum diffinitoribus generalis capituli, vel per se, si commode poterit, quod expedierit ordinare; et licentias ei dare quae ad exequendum suum officium utiles reputantur.

VII. Circa nationes. Licet autem de omni fructu animarum per ordinem faciendo sit ei multum curandum, tamen specialiorem curam et zelum ferventiorem habere debet circa barbaras nationes, et paganos, saracenos, judaeos, haereticos, schismaticos, et hujusmodi, qui sunt extra Ecclesiam, ut per ordinis laborem et sollicitudinem in viam dirigantur salutis, et Christi in eis gloria dilatetur. Et ideo curandum est ei ut semper in ordine sint aliqui tractatus contra errores eorum, in quibus fratres exercitare se valeant competenter; et ut aliqui fratres idonei insudent in locis idoneis ad linguas arabicam, hebraicam, graecam, et barbaras addiscendas. Et in provin-

(1) Cod. Flor.: saecularium; - cod. Vien.: scolarium.

ciis quae sunt ad hujusmodi fructum faciendum aptiores, debet super hoc excitare fratres; et non quoscumque, sed (eos) qui circa fructum hujusmodi fervent, et aliter sunt idonei ad hujusmodi negotia, deputare interdum.

VIII. Circa extraneos. Cum aliqui extranei voluerint magistrum visitare, (1) non debet esse ad eum difficilis accessus, sed sine mora in loco opportuno, vel exeundo ad eos, vel ipsis introductis ad eum, sui debet praesentiam exhibere acceptabilem, affabiliter omnes semper recipere, et secundum conditiones eorum vel plus vel minus honorare. Si vero petitiones aliquas faciunt, si commode fieri potest, debet omnibus libenter satisfacere; vel si non possunt exaudiri, de impotentia tali sunt eis rationabiles causae assignandae.

Caveat autem omnino ne rusticum aliquis aliquid (2) in eo reperiat, et det operam quantum potest ut nullus scandalizatus ab eo recedat. Circa garciones (3) vero, et alios nuncios ad se missos, sic se debet habere urbane in loquendo, et in necessitatibus eis provideri faciendo, (4) quod recedentes occasionem habeant bona loquendi de eo.

Cum religiosis tractandum est ei de sanctitate; cum saecularibus sunt ei salutaria verba verbis saecularibus immiscenda. Nulli, qui manifeste non sit indignus, negare debet in propria persona gratiam hospitalitatis, aut eleemosynas quae fieri consueverunt in ordine. Benefactoribus et amicis ordinis specialibus dignae sunt ei gratiae reddendae, et in amore ordinis sunt per ejus diligentiam confirmandi.

Ipsi autem aliunde venientes, cum eos tales cognoverit, sunt cum omni devotione suscipiendi, et omnis humanitas tam in hospitalitate quam in aliis quae nos decuerint, est eis ab ipso exhibenda.

Praelati, per quorum dioeceses transit, et praecipue sub quibus morantur fratres, sunt ab eo visitandi; et si quas habent erga fratres turbationes, pro posse conandum est ei ipsos pacificare, et fratribus gratiam eorum acquirere, aut in ipsa continuanda, si habent, ipsos solidare.

---

(1) Cod. Vien. in marg. addit: interdum. — (2) Cod. Vien.: ne rusticitatis aliquid. — (3) Garciones, gallice *garçons,* famulorum genus qui litteras imprimis deferebant. — (4) Cod. Vien.: faciendo interdum.

Magnates, sive sint principes saeculares, sive personae ecclesiasticae, quos non expedit per fratres quoslibet moneri, vel argui, tempore oportuno, cum discretione et modestia charitative de salute sua debet etiam commonere.

Ad pacem Fratrum Minorum custodiendam diligentiam debitam debet adhibere, ipsosque ubique visitare; aut si non potest, se per fratres ad eos missos excusare. In visitatione vero, cum opportunitas fuerit, collationem eis consolatoriam (1) aliquam facere, eosque cum omni devotione recipere, et tractare; pedesque eorum personaliter interdum lavare, et excessus fratrum contra eos sine dissimulatione digne corrigere. (2)

Providendum autem est ei quod omnes, cum quibus eum esse contingit, antequam recedant ab ipso, aliquam aedificationem in verbo vel in facto reportent.

Ad attrahendum quoque ad ordinem personas idoneas curam debet apponere diligentem.

IX. Circa divinum officium.

Non convenit magistro libenter se absentare a divinis officiis, et maxime a completorio: nisi forte propter impotentiam corporalem, aut occupationes circa majorem utilitatem.

Cum autem praesens fuerit in choro, debet primum locum in dextro choro tenere; tempore communionis absolutionem in capitulo facere, et missam celebrare conventualem. Fratribus infirmis, ubi praesens est, ministrare sacram communionem et extremam unctionem; et sepelire defunctos, recipere novitios, recipere ad beneficia, recipere legatos et magnates in conventibus in quibus fuerit; in majoribus solemnitatibus facere officium, et alias conventuales missas (3) interdum, cum requisitus fuerit a cantore, celebrare.

Extra chorum vero cum majori maturitate, diligentia et reverentia quam ab aliis communiter consuevit fieri, est officium dicen-

---

(1) Cod. Vien.: aedificatoriam. — (2) Cujus fraternitatis religiosae documentum eximium inter alia habes in epistola illa quam eamdem utriusque rodinis Generales Praepositi an. 1255 ad utrumque dederunt, quamque inter *Acta Capitulorum Generalium* olim lecturus eris. — (3) Cod. Vien.: conventualem missam.

dum ab ipso, et celebrandum frequenter. Officium quoque mortuorum et trium lectionum, licet non ex debito teneatur, non decet ab eo praetermitti. (1)

X. Circa mensam. Cum comedit in refectorio, non est ei sustinendum quod ei singularites notabiles fiant; cum vero habet unde possit aliquibus aliquid mittere, illi sunt potius eligendi quibus cedit ad consolationem, ut sunt novitii, vel tentati, et hujusmodi; vel qui sunt magis indigentes, ut debiles, vel infirmi; vel qui pro aliqua ratione sunt honorandi, ut qui fuerunt nobiles, vel divites in saeculo, vel sunt in ordine lectores, et similes.

Protrahenda est etiam mensa ab ipso comedendo sic curialiter, ut qui morosius comedunt, comestionem interrumpere non cogantur; nec signum facere debet, quousque videat quod comestio communiter sit completa. Quod si quis mora notabili faciat alios plus debito expectare, per servitorem potest ipsum, priusquam signum faciat, ut finem faciat commonere.

Cum autem extra refectorium comedit in hospitio, vel in infirmitorio, cavendum est ei ne occasione ipsius superfluitates fiant inconsuetae, et maxime si adsunt extranei. Nec danda est loquendi licentia passim: sed modo uni, modo pluribus, modo omnibus, modo nulli, secundum diversas circumstantias secum comedentium, praecipue vero cum intersunt extranei, caute sunt hujusmodi licentiae concedendae.

Interest autem valde ipsius aliqua verba aedificatoria, et spiritualis solatii interserere comestioni, et frequenter lectionem aliquam in mensa, in parte, vel in toto habere, nisi pro reverentia personae excellentis quae adsit intermittatur, aut de ejus beneplacito fieri procuretur.

XI. Circa cameram. Cum autem camera sit ei concessa propter certas utilitates ordinis, attendendum est ei ne redundet in damnum ordinis talis concessio. Quod fieret, si fierent ibi dissolutiones, si protenderentur vigiliae ultra signum, si fierent ibi comestiones, vel potationes, nisi tempore suae infirmitatis; si permitteret

(1) Cod. Vien.: non decet eum praetermittere.

fieri ibidem fastum aliquem in lecto, aut in alio apparatu. Et ideo sunt haec ab ipso, et similia coercenda.

Nunquam etiam dormire debet in camera, sine duobus sociis, et lumine.

XII. Circa itinera. In itinere constituto, ut tempus utiliter expendatur, sunt ei cum sociis aliqui psalmi et orationes devotionis dicendae, aliquae salutares collationes habendae: sed cum tali moderamine ne vertantur in taedium grave fratribus, quibus non taediosum, sed jucundum debet se socium exhibere. Adjungentes se quoque ei debent ab eo, vel sociis, semper aliqua salutis monita reportare.

Cum opportunitas occurrerit, non est omittendum quin per eum, vel per socios praedicatio fiat.

Illi autem qui causa consilii, vel loquendi de salute ad eum accesserint, benigne sunt audiendi, et cum favore dimittendi.

Quamvis autem fratres viatores non debeat libenter a sua societate repellere, tamen cavendum est ei ne ex multitudine fratrum concurrentium, vel ex superfluitate expensarum quam cohibere possit, graventur hospites, et ne sine utilitate eorum transeat. Et de salute domus est cum inhabitantibus collatio semper habenda, et ad beneficia ordinis sunt interdum recipiendi, et laborandum ut nihil fiat in quo male aedificentur, et quod bonus odor et gratia apud eos remaneat post recessum.

XIII. Circa litteras. Litterae ineptae nunquam ab eo sunt mittendae, sed decenter formatae, plus vel minus, secundum exigentiam materiae, vel personarum quibus dirigendae sunt. Et ideo sunt omnes ante sigillationem sollicite respiciendae.

Scribentibus diligenter est rescribendum.

Verba pungitiva sunt in ejus litteris semper devitanda, et inserenda lenitiva et gratiosa; dandaque est ei opera ut fructum quem verbis facere non potest, litteris suppleat apud absentes, sive fratres, sive extraneos in variis casibus emergentibus, prout fuerit opportunum.

Non sunt etiam litterae passim dandae, (1) sive de beneficiis

(1) Cod. Vien.: suae dandae.

ordinis, sive de precibus, sive de testimonio, et similibus, sed cum multa cautela et deliberatione.

Fratribus, et aliis qui sibi scribunt, scribere non omittat.

XIV, Circa potestatem suam. Licet autem magister habeat plenam et generalem potestatem in ordine, tamen numquam est ei utendum hujusmodi potestate ubi causa rationabilis non occurrerit. Specialiter vero est cavendum ei ne in temporalibus gravet provincias, vel conventus, (1) vel fratrem aliquem: utpote libros, vel paramenta unius alteri concedendo, onus pecuniae alicui solvendae imponendo, et similia, sine causa rationabili evidenti. (2)

Officia inferiorum (3) non debet sibi assumere libenter, nisi causa urgente; nec oneri suo aliorum onera cumulare.

Licentias, quae per alios expediri possunt, raro dare debet; sed potius (4) fratres ad praelatos suos remittere pro iis. Et quas dederit, (5) quae secretum non requirant, prioribus provincialibus, vel conventualibus, prout magis convenit, significare debet. In concedendo vero licentiam alicui fratri confitendi alii quam praelato suo, debet habere cautelam, sciens quod hujusmodi confessiones interdum in grave periculum ordinis redundant.

Item, in licentiando aliquem ab ordine, cavendum est ei quod nihil faciat, nisi quod liceat et quod expediat, et quod salutem fratris non negligat propter onus.

Cum autem fuerit faciendum, sic provideatur quod habeat locum ad quem transeat, antequam secedat, ne evagationi periculosae exponatur.

Circa dispensationes, et licentias quae sibi reservantur, ut de studio in liberalibus artibus, de eundo ad Curiam; vel quae non consueverunt fieri per aliquem de facili, ut de ingressu mulierum in claustrum, et similia, talem mediocritatem (6) tenere debet, quod propter nimiam ejus duritiam circa haec major fructus non impe-

---

(1) Cod. Vien.: provinciam vel conventum. — (2) Cod. Vien. primitus: onus pecuniae et similia sine causa rationabili et evidenti secum non ferat. — (3) Cod. Vien.: inferiora. — (4) Cod. Vien.: sed potest. — (5) Cod. Vien.: Et si quas dederat. — (6) Cod. Vien.: modum.

diatur, vel grave scandalum generetur; et rursus ne ex nimia facilitate periculosa dissolutio in ordinem inducatur.

Circa se vero, quantum valetudo permittit, ipsi parum dispensationibus est utendum; et cum necessitas requirit aliud, hujusmodi necessitas est opportuno tempore insinuanda fratribus, ut non scandalizentur in ipso.

XV. Circa socios. Eligendi sunt a magistro socii Deum timentes, ordinis zelatores, discretione pollentes, religiosae et amabilis conversationis, corpore potentes, qui et inter fratres se sicut unus caeterorum gerentes, nihil in hoc officio quaerant, nisi solam ordinis utilitatem.

Horum autem commune erit officium quae viderint in eo corrigenda (1) interdum cum humilitate et modestia ei dicere; interdum quae in aliis sciverint vel audiverint emendanda eidem tempore suo referre.

Agenda ei ad memoriam revocare, et circa eadem ipsum sollicitare.

Secreta quae ad ipsum veniunt, sub districto silentio custodire.

Si qua gravia, vel multum periculosa ordini sciverint in eo, diffinitoribus, vel aliis qui prodesse possunt, et non obesse, tempore suo non tacere.

Fratres cum eo loqui volentes, etiam in hoc timidos, ad eum adducere; advenientes ad eum sive fratres, sive alios extraneos benigne recipere, et ad eum ipsos introducere, vel ad ipsos eum evocare. Ipsorum negotia, si qua habent, sollicite promovere, et curam habere quod charitative tractentur a fratribus in hospitalitate, et hujusmodi, cum fuerit faciendum. (2)

Dare operam ad pacificandum eos, quos turbatos viderint occasione repulsarum petitionum, vel alia de causa erga magistrum, et quod quietati (3) recedant, et cum gratia.

Cum senserint murmur de factis aliquibus magistri, eidem cha-

---

(1) Cod. Vien.: quod viderint in eo corrigendum. — (2) Cod. Vien.: cum fuerit necesse. — (3) Cod. Vien.: quieti.

ritative narrare debent, et murmurantes, pro posse reddendo rationes de factis illis quas forte ignorant, sedare.

Contra neminem ipsum provocare, nisi causa correctionis pernecessaria. (1)

Horum unus debet esse conversus, cujus erit officium speciale custodire sigillum, sigillare litteras, et pertinentia ad hoc in promptu habere; libros magistri et vestes aliquas, cum fuerit necesse, portare in via, et circa necessitates ejus corporales sollicitudinem gerere, et sustinere laborem.

Alius debet esse notarius competens, qui magis debet laborare ad notandum sententiose et breviter, quam ad ornatum verba multiplicare.

Cum magister commiserit ei litteras sibi missas, debet eidem legere, vel per se vel per alterum, et sensum ei referre summatim et plene, et notare diligenter ad quas litteras, vel ad quos articulos sit respondendum.

Si vero aliquid secretum in eis contineri adverterit, statim supersedere debet a legendo, et reportare magistro.

Congregationibus, magnatibus et sublimibus personis, et pro magnis negotiis decentiores litteras facere, et de littera magis legibili et meliori.

Litteras de beneficiis, et alias quae committuntur aliis scribendae vel faciendae, ante sigillationem debet inspicere, ut videatur si sint debito modo formatae et scriptae.

Potest etiam praeter istos, si sibi visum fuerit, tertium assumere socium, virum consilii et litteratum, cum quo possit habere consilium, vel de Scripturis conferre, modo in via, modo in domo; et in iis quibus sibi studendum est etiam ipsum adjutorium habere; vel aliqua agenda sua ei interdum committere, cum viderit expedire.

Praeter supradicta vero sunt alia quaedam scripta in *Regula,* et in *Constitutionibus,* et in *Ordinario,* aut in usu. (2)

Alia vero quaedam sunt quae docere in singulis casibus est magis

---

(1) Cod. Vien.: nisi forte correctionis necessitate. — (2) Cod. Vien. ex correct.: alia in usu.

rationis bene dispositae, vel unctionis, quam hominis: ut est nihil subito negare, vel concedere; non de facili aliquid in futurum promittere; quorumdam consiliis interdum acquiescere, quorumdam non; de nocte Deo, de die proximis vacare; benigne omnes audire, et similia quae sunt ei sollicite peragenda.

Quod similiter intelligendum est de aliis officialibus infrascriptis.

CAP. II.

DE OFFICIO PRIORIS PROVINCIALIS

I. Circa principium regiminis.

Officium prioris provincialis est circa principium regiminis sui cum timore et tremore incedere, per orationes frequentes ad Deum confugere, orationes etiam aliorum sibi sollicite procurare, pro potestate committenda supra se in concessione ad magistrum recurrere, novitates nullas cito inducere, quousque magis per experientiam quam per aliam sapientiam sit edoctus; mutationes paucas facere, quousque de statu provinciae, conventuum et fratrum notitiam habeat pleniorem; fratrum Deum timentium, et pro religione zelantium, et ampliori discretione pollentium, magis consiliis adhaerere; notam fovendi partem aliquam, si forte inter aliquos reputetur, declinare pro posse; et cavere ne ex amore privato, vel familiaritate, faciat aliquid non faciendum, aut aliter facere videatur.

Item, ad ipsius pertinet officium diligenter considerare quae de officio magistri sunt praedicta, (1) et ea quae dicuntur infra de officio prioris conventualis, et ea quae de illis competunt sibi secundum statum suum; et cum his quae continentur in praesenti nota de officio suo, quam debet studiose perlegere, et opere adimplere.

Laudabilia quae in antecessoribus suis fuerunt, prudenter inquirere, et inventa pro viribus observare; et per eorum socios laude dignos instrui, et dirigi in officio humiliter et devote.

---

(1) Cod. Vien.: supra dicta.

II. Circa cultum divinum.

Item, ipsius est in choro in sinistra parte stare; (1) et quod officium divinum dicatur reverenter et devote, et secundum modum ordinis, tam in choro quam extra, diligentiam apponere; et de cantoribus competentibus, prout potest, conventibus providere.

Debet etiam procurare quod exemplar totius officii bene correctum habeatur in aliquo loco in provincia, unde possit ad conventus alios derivari, et ordinare per conventus quod hujusmodi libri vel scribantur, si non habentur; vel corrigantur diligenter, ubi habentur.

Item, interest sua, cum magister praesens non est, celebrare missam in majoribus solemnitatibus, et ministrare sacramenta decedentibus, et hujusmodi, quae supra dicta sunt de magistro.

III. Circa commune bonum provinciae.

Item, ad ipsum pertinet commune bonum provinciae procurare sollicite, sive erga magistrum, sive in capitulis generalibus, et provincialibus.

Item, de iis quae videntur corrigenda vel facienda, quae per se non potest commode expedire, memorialia facere, et ipsa capitulorum tempore promovere.

Item, in emergentibus necessitatibus fratrum in diversis locis consilium dare, sive per recursum ad curiam romanam, sive aliis modis, prout variae necessitates exigunt.

Ad communem pacem provinciae dare operam efficacem. Partes, si quae sunt, pro viribus auferre, instruendo unitatem, et concordiam mittendo. (2) Querelas, si quae sunt inter conventus de terminis, vel aliis quibuscumque, cito terminare.

Conventus novos, qui evidenter reputantur utiles, procurare; de minus necessariis non curare.

Regulam, constitutiones, privilegia, acta capitulorum, litteras magistri bene correctas secum portare, et ad exemplar suum ubique per conventus facere scribi quae non habentur; quae vero habentur perlegi, et corrigi diligenter, et interdum facere legi in mensa coram conventu, (3) ubi viderit expedire.

---

(1) Cod. Vien.: sedere. — (2) Cod. Vien.:... pro viribus destruendo, et unitatem concordem reducendo. — (3) τὸ « in... conventu » ex cod. Vien.

Infirma fratrum, vel conventuum aliquorum, sine causa rationabili numquam debet aliis recitare.

Quod fratres ubique pacem habeant erga clerum, et praelatos, et alios, laborare.

Quod metas privilegiorum, vel concessionum quae fiunt a praelatis in confessionibus audiendis, vel absolutionibus, et dispensationibus, et hujusmodi, fratres non transgrediantur; et quod ad haec exequenda non ponantur fratres nisi sufficientes, monere et cavere.

Discursus fratrum restringere, nec permittere quod discurrant propter negotia quae possunt per litteras expediri.

IV. Circa conventus. Item, circa conventus omnes debet apponere curam quam (1) potest, ut habeant bonos priores; et ut in quolibet sit lector, et aliquis, vel aliqui gratiosi praedicatores; similiter aliquis, vel aliqui viri consilii. Et ubi non poterunt haberi tot lectores quot sunt conventus, saltem sit aliqua lectio, vel de summa casuum, vel de artibus de licentia magistri; vel de historiis, vel de aliqua alia summa, et hujusmodi.

Conventus autem desolatos, et pauperes, et remotiores magis debet habere cordi, et plus cavere ab eorum gravaminibus, et eis magis subvenire in quibus poterit, sive in fratribus concedendis, sive in aliis; et ad subveniendum eis conventus alios et fratres animare; eosdem quoque per litteras consolari frequentius, et excitare in bonum. (2)

In missionibus vero novorum conventuum sic sollicite providere debet de fratribus excellentibus, quod a principio religionis rigor in illis servetur, et fructus animarum cum ipsis proveniat (3) in tota vicinia, et honor ordinis, et fama in illis partibus dilatetur.

V. Circa priores. Item, circa absolutiones priorum qui boni reputantur, non debet esse facilis, nec propter eorum instantiam, nec propter fratrum aliorum (4) importunitatem.

Magis autem debet eos animare ad oneris sustinentiam propter Deum et ordinem, eosque fovere et juvare in quibus bono modo

---

(1) Cod. Vien. primitus: quantum. — (2) Cod. Vien.: animare etiam eos in bonum. — (3) Codd. Flor. et Vien.: perveniat. — (4) Cod. Vien.: aliquorum.

potest, eosque molestantes comprimere, pacemque eis prout possibile est, procurare; priores vero minus idoneos facile debet absolvere, cum speratur quod meliores possint sibi fratres utilius providere, concedere potestatem eligendi aliquos fratres de quibus potest fieri bono modo.

Ipsius etiam est prioribus confessores (1) cum larga potestate concedere, nisi ex causa aliqua interdum aliud fiat; quandoque etiam super eos aliquibus aliquam potestatem tradere vel in recreationibus recipiendis, vel hujusmodi, cum causa rationabilis hoc requirit.

VI. Circa fratres. Item, ipsius est de fratribus periculosis et dissolutis sollicite ordinare quod non ponantur in locis desolatis, vel in quibus minus viget disciplina, sed in domibus in quibus melius custodiri possint et corrigi; et quantum fieri licet, conditiones eorum prioribus ad quos mittuntur, notificare. Debet etiam cum transferuntur de loco ad locum, providere ut bene associentur, et certum tempus habeant pro itinere taxatum.

Qui autem pestiferi fuerint inventi, secundum quod graviores eorum culpae requirunt, gravius, vel per carceres, vel per ejectiones a fratrum societate, vel aliter, puniantur.

Perturbatores conventuum aut priorum alibi debet transferre, colligationes in malum per dispersionem dissolvere.

Talem se debet omnibus exhibere quod ad confitendum eidem non timeant accedere.

Extra capitulum quoque fratribus aliquibus interdum charitativas facere exhortationes et correctiones, prout statum eorum viderit indigere.

Diligenter quoque debet ubique advertere qui et quot sint in quolibet conventu, qui sint apti ad proficiendum in studio: et hujusmodi, si sint bene morigerati, ad studium promovere, vel ad studia meliora mittendo, vel in ipsis domibus propriis libertates aliquas concedendo, vel ab occupationibus aliquibus eximendo, insuper de scriptis eisdem providendo.

Eos etiam de quibus est bona spes quod possint esse utiles ad

---

(1) Cod. Flor.: confessiones.

prioratus, et officia ordinis magis necessaria, in scientia hujusmodi officii necessaria promovere.

In recipiendis vero conversis pluribus, vel qui non noverint officia in quibus possint ordini deservire, et etiam clericis minus idoneis, dignam debet adhibere cautelam.

VII. Circa visitationem. Item, visitare frequenter provinciam debet, prout potest, et frequentius domos quae plus indigent.

Cum autem non potest in propria persona, debet interdum, cum necesse fuerit, per alios fratres discretos et acceptos fratribus hoc supplere, taxata eis per litteras discrete potestate.

Cum autem de provincia recedit, debet semper relinquere vicarium, vel vicarios per diversas partes provinciae; et interdum etiam cum praesens est in provincia, in aliquibus locis magis remotis vicarium, vel vicarios instituere, potestate eorum taxata semper per litteras, et expressa.

Item, cum visitatores assignati a capitulo provinciali visitare non possunt, pro eis visitatores idoneos substituere.

Porro in visitatione tantum debet in qualibet domo morari, quod diligenter et plene quod requirit visitatio valeat exercere; episcopum loci, Fratres Minores, et alios amicos ordinis visitate, vel cum ipsis eum visitantibus competentem collocutionem et collationem habere; populo, clero et religiosis, ubi hoc expedierit, praedicare; scandala et turbationes, si quas invenerit, erga aliquos religiosos, praelatos, clerum vel alios, sedare.

Cum fratribus in refectorio, in officiis divinis, et in dormitorio aliquanto tempore interesse.

Fratribus tam laicis quam clericis sui copiam facere, sive de confessione, sive de quibuscumque aliis loqui voluerint cum eo, sive in capitulo, sive extra.

Collationes fratrum audire, ut de profectu eorum aliquid in studio eorum advertere possit.

Saltem semel audire computationem domus, et statum quoad temporalia (1) auscultare.

---

(1) Cod. Vien.:.... domus quoad temporalia.

Infirmos, pusillanimes, et tentatos, et novitios singularibus collationibus (1) consolari; novitiis conversis aliquas privatas collationes facere.

Familiam ubicumque superfluam invenerit, removere.

Si qua magni ponderis ordinare voluerit, prius discretorum consilium convocare. Et quantum potest fieri rationabiliter, dare operam ut omnes in pace et consolatione relinquat. Et sic inter eos in illo tantillo temporis studeat conversari, quod plus eos exemplis quam verbis aedificet et informet.

VIII. Circa capitulum provinciale.

Item, ad locum capituli provincialis debet aliquantulum tempestivius aliis venire, ut cum fratribus domus tractet, si expedierit, de aliquibus ad capitulum pertinentibus; et ut fratres, qui quandoque citius veniunt pro aliquibus negotiis, expediat.

Item, interest sua tunc temporis litteras sibi missas per se, vel per secretarium respicere, et ea ad quae respondendum est, notare, et quae sine capitulo potest, cito expedire. Ea vero quorum responsio ex capitulo dependet, in memorialibus ponere, vel ipsas litteras distincte pro diversis conventibus ad confusionem cavendam in diversis locis servare, et quam cito poterit, expedire; illas vero quae responsionem non requirunt, statim destruere.

Item, providere debet quod acta capituli generalis, et litterae magistri, et si quae aliae litterae, vel scripta emanaverint a capitulo generali per provinciam habenda, legantur ante electionem diffinitorum; ut ordinetur quod certo loco et certo tempore conveniant qui habent transcribere; et per aliquem, vel aliquos legantur, et ad scribendum necessaria ibidem eisdem ministrentur de domo, ita quod ante diffinitionem capituli omnia hujusmodi sint transcripta; et tunc acta capituli, et si qua alia mittenda sunt in scriptis per provinciam, ab eodem capitulo celeriter secundum modum eumdem scribantur.

Item, non debet dare licentias veniendi ad capitulum sine causis rationabilibus; et qui aliter veniunt, (2) condigne cum consilio diffini-

---

(1) Cod. Vien.: collocutionibus. — (2) Cod. Vien.:.... sine causa rationabili, et qui aliter convenerint....

torum in ipso capitulo confundere debet et punire, vel segregando a capitulo, vel statim remittendo, vel alias, prout major vel minor excessus eorum exegerit.

Ordinare etiam debet quod nimis tempestive non veniant, et quod non nimis morentur qui venire tenentur.

Item, diffinitores minus expertos in aliquibus dirigere, et de conditionibus personarum, quarum notitiam non habent, cum de eis agitur, instruere eosdem quantum commode et licite potest, et ordinis utilitas requirit.

Item, dare operam quod paucae mutationes fratrum fiant; et quae fiunt, non fiant sine causa valde rationabili, cum ex hujusmudi mutationibus frequenter inconvenientia multa oriantur.

Item, cavendum est ei ne in suis agendis sit ita favorabilis majoribus conventibus et personis contra minores, quibus magis est subveniendum, quod inde scandalum apud eos et turbatio subsequatur.

Ordinandum est etiam ab eo quod fratres qui tunc mittuntur de conventu ad conventum, certam et bonam societatem, et tempus ad viam habeant arripiendam et perficiendam. (1)

Eodem modo expedit tunc ordinare propter discursus evitandos, quod conventus qui carent prioribus habeant potestatem eligendi, prout sibi visum fuerit, aliunde confirmatorem in domo, vel in vicino conventu aliquo interdum; et pronuntiare quod ad eum nulli fratres mittantur pro hujusmodi, et similibus, quae per garciones et litteras valeant expediri.

CAP. III.

DE OFFICIO PRIORIS CONVENTUALIS

I. Circa seipsum. Officium prioris conventualis est diligentur notare ea quae de supradictis officiis magistri et prioris provincialis sibi competunt, secundum suum statum, et ea adimplere.

(1) Cod. Vien.: consummandam.

Item, pro religione primo, et pro studio secundo, plusquam pro alis quibuscumque zelare.

Item, non tantum extra domum morari, quod ea quae sunt intus agenda negligat; (1) nec tantum intus residere, quod fructus quem potest extra facere, damnose (2) pereat.

Item, amore quietis, fratrum et ordinis negotia non negligere; et rursus propter nimiam occupationem circa curam ad alios, non nimis a se exire.

Item, circa occupationes odiosas, et devotionem hominum ad ordinem soffocantes, ut sunt visitationes et correctiones potestativae monasteriorum, executiones testamentorum, receptiones arbitriorum, et similia, se de facili non debet implicare.

Circa fructum vero animarum, qui fit per praedicationes, per charitativas adhortationes, per consilia, per confessiones, per preces, et hujusmodi, quae magis decent ordinem, et spiritum magis sapiunt, libenter intendere debet.

Spiritualibus quoque exercitiis intra claustrum, ut sunt scholae, collationes, sermones, officium divinum, et hujusmodi, libenter interesse.

Circa coquinam vero, vestiariam, vel hortum, vel aedificia, et hujusmodi quotidianas angustias, et minoris valoris, quae per alios officiales exerceri solent, occupari raro.

Item, ipsius interest in absentia magistri, vel prioris provincialis, vel de eorum mandato, si praesentes existunt, recipere novitios. In magnis solemnitatibus facere officium, (3) sepelire fratres, infirmis ministrare sacramenta, et alia similia, quae supra dicta sunt in officio magistri.

Non autem debet de facili unquam deesse a completorio.

Cum autem est in choro, stare in dextra parte debet.

II. Circa majores.

Item, ad ipsum pertinet magistrum, vel priorem provincialem, visitatorem, et omnes majores suos cum debita reverentia suscipere et tractare; statum sui conventus, cum

---

(1) Cod. Vien.: quod ea quae sunt intus negligat. — (2) Cod. Vien.: nimis damnose. — (3) Cod. Vien.: in magnis festis solemniter facere officium.

quaesierint, vel expedierit aliter, fideliter eis exponere; eorum mandata et ordinationes, et etiam capitulorum generalium et provincialium devote suscipere, memoriae commendare, fratribus frequenter exponere, et ut plenarie observentur operam dare.

Utilitatem quoque domus, et fratrum suorum erga eos sollicite procurare; gravia, si qua sibi imponuntur ab eis, sine murmure portare, eos pro sua absolutione, vel aliis negotiis, non graviter molestare; repulsam petitionum suarum patienter sustinere, et causam quare hoc fiat ab eis aliquam rationabilem esse, licet nesciat, supponere; et in suis angustiis de multitudine negotiorum, et impotentia satisfaciendi omnibus, ei potius compati, quam de repulsa hujusmodi indignari.

Pro eis quoque orare debet, et alios frequenter inducere ad hoc ipsum.

Si qua vero in eis corrigenda viderit, vel de aliquo quocumque tractare cum eis habuerit, (1) cum digna humilitate loqui debet eisdem.

III. Circa conventum. Item, debet a priore provinciali vel verbo vel per litteras petere licentiam confitendi, et quod committat secundum quod ei videbitur fratri vel fratribus in foro poenitentiali super eum potestatem, et quod ipse ordinaverit, in scripto vel in corde retinere. (2)

Item, ipsius interest conventui in victu, et vestitu, et infirmitatibus, et aliis necessitatibus, prout potest commode procurare.

In refectorio, in communi minutione, et rasura, et ubique libenter esse cum conventu.

Singularitates in cibo, vel extraordinariis comestionibus, et hujusmodi, cavere.

In vestium pretiositate sequi communitatem, tam in se quam in aliis.

---

(1) Cod. Vien.: vel de alio quoque tractare cum eis debuerit. — (2) Hoc totum praecedens incisum habetur ex cod. Vien. Patet vero illud in recentioribus codicibus abrasum esse, utpote quod ad jus jamdiu saltem ex parte antiquatum pertineret. Nos tamen integri textus causa hic servamus.

Singulares provisiones in necessariis nulli concedere, sed de communi omnia ministrare. Nunquam apud se, vel alium, nisi communem custodem, et nonnisi pro libris pecuniam habere.

Superfluitates in hospitio et infirmitorio, et horum frequentationes praeter necessarias, restringere, et in dispensationibus circa carnalia se non facilem exhibere.

Ipsos quoque fratres in spiritualibus debet frequenter in capitulo informare, ad omne bonum sanctis exhortationibus animare, magisque in dulcedine spiritus, quam per potentiam pertractare.

Curandum est ei multum de pace conventus conservanda, prout fieri potest. Nec facile deviandum est ei a concordia ipsius, vel voluntate, vel consilio, vel petitione.

Debet etiam ab ipso assignatos habere fratres qui audiant computationem, et statum domus sciant, et de quorum consilio in aedificiis procedatur.

Dispensationes vero in jejuniis et abstinentiis cum toto conventu numquam sunt faciendae, etsi personis aliquibus sunt interdum merito indulgendae.

Debita magna contrahere, vel emptiones, vel venditiones magnas, vel alia magna facere non debet sine consensu conventus, vel consiliariorum qui ex parte conventus ad hoc consueverunt assignari, et quibus super his fuerit commissa potestas.

Cum autem recedit ad capitulum, vel alias longe, debet semper vicarium relinquere, sive suppriorem, sive alium utilem et idoneum pro religione, et prout fieri potest, acceptum communitati fratrum.

Debet autem ei potestatem taxare, et in iis quae videbuntur utilia instruere diligenter.

Item, cum egreditur e civitate, semper suppriori, vel pluribus causam viae, et quo vadat significare, et interdum ipsi conventui, si major ratio hoc requirit.

IV. Circa officiales.

Item, ad officium ipsius pertinet officiales idoneos cum consilio fratrum discretorum, vel constituere, vel absolvere; ipsos vero constitutos in suis officiis diligenter informare, et potestatem quam eos habere voluerit, taxare, et si expediens viderit in scriptis eisdem tradere; licentias quoque aliquas generales

dare de loquendo, vel de remanendo ab horis aliquibus, vel aliis quibusdam, quae ad exequenda officia sua necessaria reputantur.

Non licet (1) autem eum aliqua officia ad manum suam retinere, nec de ipsis se multum intromittere : sed potius officialium negligentias corrigere, et in eis quae facienda fuerint, ipsos frequenter sollicitare et instruere. Fratres vero ipsos perturbantes reprimere, et pacem eis fratrum procurare.

Cavere etiam ne occasione officiorum, ea quae sunt ordinis negligant officiales, aut omittant, nisi quantum propter officium compelluntur, vel de licentia rationabiliter eis permissum fuerit, aut concessum.

V. Circa varietates fratrum suorum.

Item, ipsius est cognoscere tam intus quam exterius varias conditiones, et complexiones, et dispositiones fratrum suorum, et non eodem modo tractare omnes; et coaptare se, quantum ratio et religio permittit, singulis secundum eorum dispositionem; et absque peccato debet (2) aliorum infirmitates et defectus tam morum quam corporum portare. Aliorum proterviam et contumaciam humiliare, pusillanimes roborare, desolatos et tristes consolari; naturaliter impatientes ad horam sustinere, vitiosos dure corrigere, de consortio fratrum ejicere contagiosos, ferventiores plus debito refraenare, periculosos sollicite custodire, ipsosque si contingat interdum exire, associare caute, juvenes de facili non exponere, maturos et idoneos ad fructum faciendum non permittere otio de facili torpere, inutiles ad fructum animarum circa negotia et officia domus occupare.

Cum autem tempus institerit, quo fratres ad praedicandum, vel quaerendum necessaria fuerint dispergendi, est ei de hoc tractandum cum fratribus senioribus et discretis.

Summopere vero illis, qui apti sunt ad magna, vel officia prioratuum, vel lectionum, (3) dare opportunitatem ad proficiendum in studio, et ad hoc etiam compellere ipsos, cum fuerint negligentes.

Sic agendo in similibus, et dissimilibus; modo private, modo

---

(1) Cod. Vien.: decet. — (2) Cod. Vien.:... dispositionem absque peccato; debet.. — (3) Cod. Vien. ex correct.: ad magna officia ut prioratum vel lectoratum·

publice; modo dure, modo blande; modo verbis, modo disciplinis; modo poenitentia, modo recreationibus; modo per se, modo per alios fratres discretos agendo; modo licentias negando, modo concedendo; dare debet singulorum et ordinis profectibus operam efficacem.

In attrahendis vero et recipiendis novitiis tantam debet in Deo habere fiduciam, quod nunquam propter onus domus, aut expensas in vestibus, si pauperes fuerint, repellat aliquos, qui pro ordine idonei reputantur. Nec rursum debet ita esse facilis quod ordo oneretur personis inutilibus, et veniat in contemptum.

Nullum quoque debet licentiare ab ordine, absque magistri, vel prioris provincialis licentia speciali.

VI. Circa fratres aliorum conventuum.

Item, fratribus et conventibus vicinis debet se favorabilem, si eo in aliquo indiguerint, exibere; eis pie in eorum necessitatibus, in quibus poterit, subvenire, aut bona aliqua procurare.

Advenientes fratres charitative suscipere et tractare, et secundum quod eorum status requirit plus vel minus honorare.

Quando vero de aliis provinciis venerint, laetius (1) eos videre, et in provisione eorum quibus indiguerint, ut sunt sotulares, naulum, vel vestes interdum, et hujusmodi, eos, antequam cogantur petere, praevenire, et ipsos commodius recreare.

Cavendum est tamen ne curialitas ad hospites fratres ad hoc se extendat (2) ut in hospitio nimis sine necessitate rationabili retineantur, vel quod ibidem dissolutiones fiant, vel ea quae sunt religionis dissipentur: quin potius ad capitulum evocandi sunt, et corrigendi charitative, et ad ea servanda quae sunt ordinis inducendi, et, si necesse fuerit, compellendi.

VII. Circa extraneos.

Item, laborandum est ipsi ad amicos ordinis conservandos et multiplicandos, ad habendum gratiam praelatorum, magnatum, sacerdotum, cleri et nobilium, et, si fieri potest, omnium aliorum.

Proinde debet omnes affabiliter recipere, eos etiam in suis ne-

---

(1) Cod. Vien.: laetus. — (2) Cod. Flor.: curialitatis causa ad hospites fratres ad hoc se extendant....

gotiis honestis libenter per fratres et per se juvare, illorum aliquos interdum visitare, ad hospitalitatem aliquos magis familiares recipere et invitare, et fratribus eis notis aliquas licentias super hoc, cum expedierit, dare.

In hoc tamen cavendum est ne superfluitates aliquae, quae paupertatem nostram non deceant, pro eis fiant; et ne ad tantam recipiantur familiaritatem, quod infirma nostra videntes minus apprecient quod ante carum habebant.

Providendum etiam est ei cum discretione qui inducantur in hospitium, et qui in refectorium: et quod quando comedunt in hospitio, pauci fratres, aut interdum nulli cum eis comedant; cum autem in refectorio, deputandi sunt fratres qui eos associent intrando et exeundo, et eos collocent in suis locis: hoc proviso quod in mensa prioris non ponantur passim personae minores, nec mutetur ordo deferendi scutellas, nisi pro magnis personis, sicut sunt episcopi, comites, et majores his; et tunc nihilominus ultima scutella feratur priori. Et pro hujusmodi personis, et non minoribus, in refectorio remaneat ad Gratias. Alii vero in ecclesiam sequantur fratres, vel alii fratres ducant eos ad capitulum, vel ad locutorium, et ibi redditis Gratiis, ducantur ad lotionem manuum in lavatorio. Majoribus vero, qui remanent in refectorio, ministretur ibi aqua ad lotionem praedictam post Gratias; et postea secundum morem patriae, tam hi quam alii praedicti ducendi sunt ad hospitium ad bibendum, vel ad capitulum ad loquendum; et quocumque ducentur, habenda sunt cum eis verba sancta et aedificatoria.

Instruendi sunt quoque ab eo servientes, et fratres ad quos supradicta pertinebunt, circa praedicta et alia facienda circa praedictas personas, et providendum est quod tales servitores tunc ponantur, qui omnia expedite faciant et decenter.

Cavendum est autem ne in mensa prioris collocentur, nisi personae dignae reverentia: nec etiam omnes hujusmodi immediate juxta eum collocentur, nisi magna reverentia hoc exposcat. Quod etiam strictius servandum est circa priorem provincialem, et magistrum, cum in illa mensa fuerint.

Non oportet autem cedere magistrum loco suo, qui est ante

campanam, nisi pro rege, vel cardinali, vel legato, vel episcopo, vel electo. Pro abbatibus vero, et majoribus, ut sunt Cluniacenses, Cistercienses, et similes, archidiaconis, et decanis, magister (1) potest aliquantulum cedere, ita quod campana sit inter utrumque. Priores vero provinciales, vel conventuales pro minoribus causis possunt cedere primo, vel secundo modo: ita tamen quod non sine rationabili et decenti causa.

VIII. Circa fructum animarum.

Item, ad officium ejus pertinet scire clare et plene, et cum nescit, diligenter certificari ab aliis, cujusmodi potestatem habeat ordo in confessionibus audiendis, in praedicationibus, in dispensationibus, et in absolutionibus circa fratres, et in indulgentis, et in aliis multis.

Scire etiam, cujusmodi potestatem habeat ipse ab episcopo suo, vel episcopis vicinis, circa confessiones et absolutiones, tam pro se quam pro aliis fratribus; et quid in hujusmodi potest committere fratribus, et quid non. Et cavere debet ne ultra potestatem quae habetur, fiat aliquid a quocumque.

Providendum etiam est ipsi quid, et quantum, et quibus expediat in hujusmodi committi fratribus. Ipsos vero qui novi sunt sacerdotes, vel etiam antiqui minus instructi circa ista, debet facere instrui diligenter, (2) ne circa salutem animarum oberrent. Et licet, quantum rationabiliter fieri potest, sit ei zelandum pro animarum salute, tamen magis expedit pro ordine et fratribus quod minor potius fiat fructus, quam quod cum fructu multo sint fratres occasio periculi vel scandali, dum minus idonei laxantur indiscrete ad praedicationes, ad consilia danda, et ad confessiones audiendas, et similia.

IX. Circa temporalia.

In procurandis quoque temporalibus sive per se, sive per fratres, cavendum est ei, quantum fieri potest, ne graventur homines notabiliter, et ne fiant quaestus etiam honesti. (3)

Cogitandum quoque est ei quod hujusmodi sic acquisita cum timore Dei et parcitate communibus expendantur, ne propter negligentiam custodiendi depereant, vel prodige consumantur.

---

(1) Cod. Vien.: magis. — (2) Cod. Vien.: circa ista diligenter instruat. — (3) Cod. Flor.: quaestus inhonesti.

In aedificiis vero nulla curiositas, sed sola fratrum commoditas est attendenda qualiscumque, et religionis opportunitas est ei quaerenda.

Et quia fratres laici propter fratrum et religionis servitia corporalia concessi sunt in ordine, non sunt recipiendi, nec procurandi, nisi quibus necessario indigent fratres.

Et attendendum est ei quod qui erunt in domo, omnes utiliter occupentur.

X. Circa familiam. Familia quoque, nisi necessaria, et de cujus honestate et fidelitate firma praesumptio habeatur, nullatenus est habenda. (1)

Circa quam providendum est etiam ipsi ut habeat fratrem aliquem instructorem et correctorem, ut per ejus diligentiam apud fratres proficiat in his quae pertinent ad salutem animarum suarum.

Provideatur autem quod non sit notabilis in lascivia, vel aetate, vel pulchritudine, vel ornatu.

Cum autem recipiuntur, fiat eis protestatio quod fratres nolunt eis teneri in aliquo, quin fratres possint eos quandocumque voluerint, etiam sine mercede, licentiare vel expellere, si sibi a mortalibus peccatis non caverent, vel bona domus distraherent, quamdiu essent cum eis.

Providendum est tamen ipsi quod illi qui laudabiliter fratribus serviunt, non fraudentur justa retributione, etiamsi fratres ex pacto eis non teneantur, et quando incurrent (2) infirmitates, vel impotentiam in servitio fratrum, non expellantur, sed charitative cum illis agatur.

CAP. IV.

DE OFFICIO SUPPRIORIS

I. Circa priores et majores. Officium supprioris est, cum institutus fuerit, quaerere diligenter a priore, et retinere memoriter, cujus-

(1) Cod. Vien.: recipienda. — (2) Cod. Vien.: et quod quando incurrunt.

modi potestatem vult eum habere, sive in praesentia, sive in absentia sua, et non ultra se extendere aliquando.

Item, eadem quae dicta sunt de officio prioris inspicere, et notare quid sibi convenire possit, sive ratione officii supprioratus, sive ratione vicariae, cum vicarius prioris relinquitur; et illa, cum illis quae constitutiones sibi concedunt, facere sollicite.

Item, ipsius est conservare memoriter mandata et ordinationes prioris conventualis, visitatoris, prioris provincialis, capitulorum generalium et provincialium, et dare operam quod a fratribus plenarie compleantur.

Item, ipsius est priorem fideliter adjuvare, querulosorum et turbantium alios (1) non se receptatorem exhibere; et de his quorum curam ei injunxit prior, ut hospitum, vel infirmorum, et hujusmodi, sollicite curare.

Ad ipsum etiam pertinet pacem prioris erga conventum, quantum potest, procurare; et in factis ejus, quae turbant aliquos, quantum conscientia permittit, ipsum erga alios excusare; pro his quoque, quae utilia sunt conventui, sive carnalia, sive spiritualia, apud ipsum intercedere; et gravamina, si qua facit eidem, ipsi charitative ostendere, et quandocumque occurrerit (2) occasio turbationis inter priorem et conventum, fidelis mediator esse. Ideo enim et sub priore est et super alios, ut sit mediator eorum.

Ipsi etiam priori debet majora, quando emergunt, reservare; et quae corrigere non valet, ei denunciare; et de his quae agenda sunt, vel corrigenda, frequenter cum eo tractare.

Item, notabilia quae emerserint in absentia prioris debet eidem, cum venerit, referre, licet etiam fuerint correcta; et circa ea quae fuerint facienda ab ipso, cum fuerit obliviosus, vel negligens, aut occupatus aliis, ipsum debet sollicitare.

Item, ipsius interest specialiter visitatori et provinciali statum domus, et fratrum, et prioris enarrare fideliter; et super his scribere

---

(1) Cod. Vien.: querulosorum, et turbatorum aliorumque. — (2) Cod. Vien.: accidit.

priori provinciali, vel capitulo provinciali, vel generali interdum, cum major necessitas hoc requirit.

II. Circa conventum. Item, ipsius officium est de conventu magnam et specialem curam habere, et quasi continue cum ipso esse.

Cum autem propter processionem, vel funus, vel alios casus emergentes, fuerit convocandus conventus, debet de convocando ipso, et de ducendo, et reducendo diligentem curam habere.

Providere etiam debet quod non nimis cito, vel nimis tarde, sed debito modo surgat; quod signa, quae ipsum convocant, debito modo fiant; quod nunquam inutiliter moretur, (1) aliquid expectando; quod hora debita comedat et intret dormitorium; quod nunquam sine rationabili causa extraordinarie congregetur, vel domum egrediatur; et quod quandocumque congregatur, omnia fiant decenter et ordinate.

Cum autem in absentia prioris tractatur de priore in conventu, vel de aliquo, sive tempore quo tractatur de mittendis ad capitulum, sive alio, debet ipsum regere, et inordinationes et insolentias, si quae emerserint, cohibere.

Si autem aliqua ordinantur, (2) quae priorem, et alios qui non adsunt, non expediat scire, potest imponere quod illud talibus non reveletur.

Hebdomadam etiam suam, ubi non est multitudo fratrum nimia, debet in conventu suo tempore facere, et in conventu ubique in sinistra parte primum locum tenere, nisi major eo superveniat, vel alius supprior; et in absentia majorum signa facere in choro, et in fine horarum *Fidelium* dicere, et in absentia prioris, quae dicta sunt supra de priore, supplere pro eo.

Item, debet habere curam quod sigillum conventus cum consilio ipsius conventus custodiatur, et quod nihil sigilletur cum illo sine conscientia conventus.

III. Circa religionem. Item, ad ipsum pertinet quod religio in domo plene servetur et distincte. Et ideo curare debet, et erga priorem laborare, quod habeantur in domo bene correcta et bene

(1) Cod. Vien. primitus: notabiliter molestetur. — (2) Cod. Vien.: oriantur.

legibilia regula, constitutiones, litterae magistri, acta capitulorum, et praecipuae (1) admonitiones; et totum officium ecclesiasticum et quod diligenter serventur. Ut tamen per oblivionem non negligantur, debet ordinare, communicato consilio cum priore, si praesens fuerit, quod interdum cum plures fratres intersunt, legantur in refectorio constitutiones, admonitiones et litterae praedictae, et aliquae rubricae de officio, quarum notitia frequentius indigent fratres in religione.

Debet etiam laborare quod habeantur in domo *Vitae patrum,* et *Liber collationum,* et hujusmodi libri, ex quorum lectione proficiunt fratres in religione; et praecipue juvenes sollicitare quod in hujusmodi partem studii ponant, et ordinare quod in refectorio in sero frequenter legantur.

Item, ipsius est advertere defectus et offensas quas faciunt fratres in quocunque officio in conventu, vel qui aliquid de religione omittunt, vel in aliquo reprehensibiliter gerunt se; et ipsos quandoque extra capitulum, quandoque in capitulo accusare et corrigere.

Item, si dubietas (2) de aliquo pertinente ad officium vel ad religionem inter fratres oriatur, certitudinem debet a majoribus quaerere; et quod diffinitum fuerit, facere observari. Manifestos quoque errores, et inordinationes quae fiunt publice (3) in conventu potest statim corrigere, maxime in absentia majorum.

IV. Circa vacationem prioratus.

Item, ipsius interest, vacante prioratu, fratres ad tractandum de priore creando convocare, et de consilio fratrum diem ad electionem prioris assignare; absentes vocandos vocare, et dare operam quod bonus prior habeatur. Ad priorem provincialem mittere garciones pro hujusmodi negotio, vel aliis, cum necesse fuerit, et missionem fratrum, quantum commode fieri potest, declinare.

Item, ad eum pertinet apponere curam quod prior cito habeatur, et quod interim conventum in bono statu custodiat, quod pauca immutet, quod nihil magnum interim attentet, nisi forte magna necessitas

---

(1) In codicibus legitur « precipue, » neque propter veterem ortographiam discerni ex se potest utrum adjectivum an adverbium fuerit. — (2) Cod. Vien.: dubitatio. — (3) Cod. Vien.: quae fuerint publicae.

vel evidens utilitas hoc exposcat, et consilium magnum concurrat. Debet quoque priorem, cum aliunde venerit, vel statum (1) domus vel fratrum ignoraverit, sollicite (2) circa hujusmodi instruere, prout viderit expedire; ispique, prout poterit, solatio esse, onera ipsius, circa primordia maxime, fideliter ferendo.

CAP. V.

DE OFFICIO MAGISTRI NOVITIORUM

I. Circa seipsum. Officium magistri novitiorum est in primis inquirere a priore quam potestatem velit eum habere super novitios in confessionibus (audiendis) et in dandis licentiis de loquendo, et hujusmodi, et in providendo eis in necessitatibus quoad vestes, quoad jejunia, et in aliis hujusmodi.

Item, quas licentias generales vult ei dare ratione officii quoad personam suam, sive de loquendo cum omnibus, sive cum solis novitiis; vel de intrando officinas, vel de remanendo ab horis interdum, et cavere ne licentias petat vel accipiat, nisi quas rationabiliter reputat sibi necessarias propter officium suum, et quod ipsis ad aliud non abutatur.

Item, diligentiam magnam apponere debet circa novitios, sciens quod tota spes religionis dependet ab informatione eorum primitiva.

Se quoque eis ita amabilem debet reddere, quod sit eis ex hoc occasio libentius in ordine remanendi.

Item, respicienda sunt ab eo diligenter ea quae habentur in constitutionibus ad eum spectantia, et complenda.

II. Circa ingressum novitiorum. Item, cum aliquis debet ingredi, ducendus est ab eo in aliquem locum extra capitulum idoneum, antequam intret capitulum; et ibidem debet dicere ei aliqua verba consolatoria, et inquirere de his quae in capitulo publice sunt inquirenda. Et si invenerit in eo aliquid de impedimentis, debet hoc noti-

(1) Cod. Vien.:.... venerit, qui statum. — (2) Cod. Vien.: sollicitare.

ficare illi qui habet (1) eum recipere, antequam ulterius procedatur; et fiat tunc quod ei videbitur faciendum. Si vero nihil talium invenerit, nihilominus debet ei dicere quod haec inquirentur ab eo in capitulo, et quomodo debeat respondere.

Item, ibidem debet eum instruere quomodo sit venia facienda in capitulo primo, deinde in choro; et si viderit expedire ei, magister ipsemet eam faciat, vel ab aliquo fratre faciat fieri coram illo, ut melius sic addiscat.

Item, debet eum instruere quid debeat facere, vel respondere in capitulo ad ea quae dicentur ei, secundum quod scriptum est in constitutionibus; et quid postmodum sit ei faciendum in choro, cum illuc ducetur.

Item, debet eum docere quomodo in capitulo removebit vestes saeculares usque ad tunicam; et providere quod omnia pertinentia ad vestes sint parata in capitulo, antequam eum inducat.

Postea debet eum introducere, et usque ad locum veniae ducere, et ibidem prope eum stare, et dirigere, si necesse fuerit, in agendis, et juvare ad ipsum vestiendum. Et egrediente conventu, ipsum ducere in fine usque ad locum veniae ante altare, et ibidem interim (2) prope eum stare, quousque finitis orationibus fuerit erigendus ab ipso. Quo erecto, ducendus est ab ipso, extracto aliquantulum ejus caputio, ad receptorem, et aqua benedicta aspersus, ad osculum recipiendus est ab omnibus fratribus, per choros discurrendo et primo per dextrum, deinde per sinistrum, ipso magistro eum semper associante, et in omnibus eum dirigente. Deinde ad locum tonsionis immediate est ducendus ab ipso, proviso primum quod in hoc nullus sit defectus.

Facta autem tonsura et rasura, postmodum cito, hora tamen competenti, ducendus est ad locum in quo deponat omnes vestes saeculares et sotulares, ut solum ea quae sunt religionis deinde habeat. In remotione saecularium vestium, et induitione regularium, curialiter est instruendus.

---

(1) Cod. Vien.: debet. — (2) Codd. Vien. et Flor.: iterum.

III. Circa professionem. Porro ut sciatur quando erit completus annus probationis, scribenda est ab ipso dies receptionis; et appropinquante termino anni, animandus est ab ipso ad profitendum, si viderit eum utilem pro ordine, aliter non.

Et cum petierit recipi ad professionem, ante diem receptionis petitionem ejus in capitulo proponere debet, et de eo, cum requisitus fuerit, sive pro eo, sive contra eum, fidele testimonium perhibere: ita tamen quod per testimonium, vel consilium suum, nulla mala suspicio possit in cordibus fratrum de ipso generari de aliquibus illorum malorum, si qua sunt, quae ipse per confessionem novit, et aliter ab aliis (1) nesciuntur.

Sane cum recipiendus fuerit novitius ad professionem, assignanda est dies professionis, et ante illam instruere debet eum in omnibus quae ei tunc fuerint agenda, videlicet qualiter venia sit facienda, et ad verbum dicentis: Quid petis? respondendum sit: Misericordiam Dei, et vestram.

Et cum erectus fuerit, et propositum ei fuerit de voluntate profitendi, quid respondendum; et quomodo verba professionis sunt ei cordetenus ante firmanda; et quomodo flexis genibus inter manus recipientis sunt dicenda; et quomodo antequam dicat illa, si vult, petere debet quod mutet ei in professione alia vota, si qua alia habeat; deinde quomodo solus ille qui recipit ad professionem, post illum receptum, (2) recipit eum ad osculum pacis.

Ad ipsum etiam pertinet providere quod aqua benedicta, et liber in quo est oratio benedictionis vestium, sint in promptu; et benedicendam vestem offerre benedictioni, et deinde professo tradere: quod non solet fieri nisi de caputio; postmodum autem debet mittere professum ad locum suum.

Si autem viderit expedire, debet suggerere priori quod adhuc ad majorem humilitatem et informationem sit cum aliis novitiis in capitulo eorum, et sub cura sua ad tempus, secundum quod utilitas illius et ordinis requirit.

---

(1) Cod. Vien.: ab aliquo. — (2) Cod. Vien.: post illam receptam.

IV. Circa repulsam eorum.

Item, ipsius interest, cum aliquis minus bene se habet in probatione, circa tempus professionis consulere quod adhuc stet in probatione, nisi omnino sit certum quod nullatenus expediat quod retineatur: et hoc ad videndum si melius se habebit; cum protestatione tamen quod adhuc tanquam novitius, et solum ad probationem retinetur.

Si ergo bene se probaverit, debet ipsi postmodum adjutorium praestare quod ad professionem recipiatur.

Si autem non fuerit spes in processu temporis quod bene se debeat habere, procurandum est ei tam apud novitium quam apud fratres, quod recedat; et dandum est ei consilium et auxilium quod in aliqua religione sibi magis competenti ponatur.

Non autem debet esse facilis ad repellendum, nisi magnae causae concurrant; et fratribus minus rationabiliter motis ad repellendum eum debet, (1) prout melius potest, bono modo contrarium persuadendo pro novitio stare.

Nunquam autem repellendus videtur invitus novitius pro illitteratura, vel impotentia aliqua, vel deformitate corporali, et hujusmodi defectibus, qui ab initio noti fuerunt fratribus; nec etiam propter infirmitatem supervenientem, nisi a principio receptionis facta fuisset protestatio expressa quod pro hujusmodi casibus, vel pro sola voluntate, possent eum fratres repellere, si vellent.

Cum autem recedere debebit, providendum est sollicite ipsi magistro, quod tam urbane, et caute, et cum omnibus bonis suis, quae asportare voluerit, recedat, quod aliis non sit scandalum, nec ipse scandalizatus recedat: sed potius, quantum fieri poterit, aedificatus, et cum amore ordinis et fratrum.

V. Circa scholam et capitulum.

Item, ad eum pertinet laborare quod aliquis locus sequestratus et remotus ab accessu saecularium et idoneus habeatur, qui sit quasi schola novitiorum, ad quem ducendi sunt, cum ipse vel alius frater habuerit loqui cum eis de eorum necessitatibus, et de quocumque alio.

---

(1) Cdo. Vien.:... ad repellendum eum, sed debet.

In hoc etiam loco instruendi sunt in cantu, et in legendo, qui nesciunt, et addiscere possunt.

In hoc repetendum est ab eis quidquid habent legere vel cantare in conventu; et auscultandum, et recitandum cordetenus illud quod de psalterio et divino officio cordetenus scire oportet: videlicet officium mortuorum, et de beata Virgine, psalmi de horis diurnis, et vesperarum per ferias.

In hoc faciendae sunt ibidem eis admonitiones interdum, vel collationes aedificatoriae ab ipso, vel ab aliis fratribus ad haec gratiosis; et ipso procurante, familiares collocutiones et consolationes.

Cavendum tamen est ei ne fratres quicumque adjungant se eis pro sua voluntate, nisi de sua licentia, et de quibus viderit expedire.

In hoc etiam loco docendi sunt de regula, de constitutionibus, de officio, et aliis quae in docendo locutionem requirunt.

In hoc etiam loco, si alius aptior non habetur, tenendum est eis capitulum, in quo cavendum est quod novitius per multos dies non accuset se, nec accusetur, quousque multoties viderit quomodo alii se accusant et accusantur; nec molestandi sunt in aliquo pro culpis quas in primis incurrunt.

Si vero non fuerit nisi unus novitius, vel duo, mittendi sunt aliqui de juvenibus professis ad capitulum eorum, qui coram eis se accusando multis diebus, exemplo suo eos doceant quomodo sunt hujusmodi facienda.

Cavendum est autem ipsi magistro ne in capitulo eorum aliquid fiat quod alicui verecundiam inducat; et quod modus capituli scriptus in conventibus bene servetur, et quod magis informationi eorum intendat, quam punitioni culparum.

Sunt etiam instruendi quomodo ad capitulum aliorum fratrum conveniant, et cum dictum fuerit: Exeant novitii, quod tunc exeant. Si tunc debet eis capitulum teneri, vel alio tempore cum teneri debet, quomodo finito capitulo recipiant disciplinas qui recipere debent. Et postea, vel alio certo tempore, et loco assignato ab eo, loqui de confessione.

Cum autem tanta fuerit multitudo novitiorum quod magister non potest plene sufficere omnibus, potest aliquibus magis novis

aliquos magis instructos assignare, qui circa eos curam habeant de aliquibus, prout ei videbitur expedire.

Non tamen debet ita aliis imponere onus, quin ipse nihilominus sit frequenter cum eis, et eis quantum poterit intendat. (1)

VI. Circa necessitates.

Item, ipsis novitiis semper pie compatiens debet cogitare quod competenter, secundum quod ordo et facultates permittunt, habeant (2) necessitates in victu, in vestitu, in lecto, in infirmitatibus, et in hujusmodi; et dispensare quandoque, cum necesse fuerit, in vigiliis, et facile in jejuniis ordinis.

Cavere etiam debet ne in singularitatibus aliquibus, in abstinentiis, vel vigiliis, vel aliis afflictionibus indiscretis, conterant (3) corpus suum.

Porro circa paupertatem et necessitates quas interdum secundum ordinem oportet sustinere, sic debet eos animare, et ab omni superflua recreatione retrahere, ut a principio, quantum fieri potest, asperis assueti, semper ordinem postmodum tolerabilius ferant; et declinare, prout commode potest, ne causa recreationis ad commune hospitium, vel minutionem, vel infirmitorium, ubi interdum fiunt dissolutiones majores, sed alibi ducantur.

Et cum oportebit ducere illuc, habeatur cura ab ipso, vel ab alio, quod tarde veniant, et cito recedant; et fratres cauti reddantur quod coram eis dissolutiones non faciant.

Ipsos quoque debet novitios confortare quod in quibuscumque aliquo indiguerint, ad eum sicut ad matrem recurrant. Et debet eos docere ubi sit lectus vel cella sua, ut si die vel nocte ipso indiguerint, sciant ubi poterunt eum invenire, et illuc ad eum recurrant.

Debet etiam docere eos quomodo in necessitate in loco silentii per unam dictionem, vel imperfecte, loqui possunt; et quomodo in hujusmodi locis digito ori superposito sciant petere licentiam loquendi.

VII. Circa informationem ipsorum.

Item, ipsius officium est informare diligenter et sollicite novitios circa hominem exteriorem et interiorem.

Circa exteriorem, quoad membra sua, ut manibus

---

(1) Cod. Vien.:.... cum eis, prout poterit. — (2) Cod. Vien.: quod competit,... ut habeant. — (3) Cod. Vien.: crucient.

caveant ab omni tactu indecenti et injurioso; pedibus, a vagis et incertis discursibus, et ne intrent loca prohibita.

Cum sederint, ne coxas nimis disjunctas teneant, vel unam tibiam super aliam ponant; cum maturitate incedant, nec se moveant de facili ad eundum sine causa praemeditata.

Cum autem steterint, non sicut arundo mobilis, sed potius appareant sicut fixi super gradum suum. Oculis quoque caveant ab intuitu rei quam non licet concupiscere; a vagatione, ab haustu vanitatum, et aspectu turpi et curioso. Linguam assuescant refraenare, licet invitam; et libentius audiant quam loquantur.

Cum autem loquendum fuerit, pauca sint verba, et prius ad limam quam ad linguam veniant. Omnibus autem cum reverentia loquantur, et potius per plurale dicendo Vos, quam per singulare dicendo Tu; numquam de fratre, vel fratri loquendo vocent eum sine additione hujus nominis Frater; nec nomen novum imponant fratri, vel impositum recitent ullo modo, nec aliquid cum juramento quantumcumque levi, more saecularium proferant.

Cum autem majoribus loquuntur, semper caputium extrahant. Vultum non tristem habeant, sed jucundum moderate. Os ad cachinnos, vel ad risus dissolutos pronum non habeant, licet ad risus mediocres ipsum interdum aperiri sit tolerabile.

Cervicem et collum erecta non habeant, sed potius mediocriter inclinata. Iram, vel impatientiam in vultu, vel actu aliquo non ostendant. Supercilia non erecta, sed potius depressa habeant. Aures non ad rumores et saecularia et otiosa, sed ad ea quae Dei sunt et salutaria, faciles et veloces habeant. Nares ad foetores aliquos, si occurrant, non sicut delicati, cum scandalo intuentium nimis notabiliter obturent; sed pro odoribus, in quibus male delectati fuerunt in saeculo, ista in poenitentia patienter ferre laborent.

Quod in faciendo venias non prosternant se super ventrem, sed super latus, (1) et in longum, tibiam unam super aliam tibiam tenendo. In prostrationibus vero super cubitos se appodient, junctis

---

(1) Cod. Vien.: unum latus.

manibus stando. In inclinationibus vero usque circa genua caput deponant. In genuflexionibus stent super genua capite elevato.

VIII. Quoad vestes. Item, quoad vestes informandi sunt ut eas diligenter secundum modum religiosum, non lascivum, sibi coaptent in omni loco et tempore, providentes quod inferiores tunicae non appareant ultra superiorem, et quod tunicae non nimis sint succinctae, aut brevitate notabiles, et maxime cum transeunt per villas.

Quod cappa vel caputium non sint ultra formam constitutionum longa; in conventu, et in quocunque loco caputium non nimis super oculos habeant; quod ad cameras e contrario vadant, et stent capite cooperto.

Quod in cameris sedendo, vestes circa se non nimis elevent, sed potius se ipsos honeste cooperiant.

Quod in discalceando, et calceando se sotularibus aut caligis, tibias non nimis elevent.

Quod ubicumque sedent, caveant ne vestes nimis eleventur.

Quod cum tunicas deponunt, retento caputio per aperturam, tunicam superiorem, vel inferiorem, si voluerint, deponant.

Quod propter pediculos cavendos, sero quando intrant lectum, tunicam inferiorem deponant.

Quod cum intrant lectum, aut surgunt, vel ad ministrandum in altari se parant, nunquam sine caputio in capite appareant.

Quod in conventuali loco discalceati, vel in contisiis, (1) vel in soccis, sine sotularibus nunquam vadant.

Quod sedendo, vel inclinando, cappam super genua complicent, vel caputium, cum fuerint sine cappa.

Quod in loco conventuali nunquam deferant ad modum mantelli cappam.

Quod in rasura et lotione capitis caputium inversatum retineant, et in lotione pedum nunquam ultra genua se discooperiant.

Quod ad primam tunicam cingulum, et cordam pro bracali habeant. (2)

Quod ad disciplinas se parando, cincti corrigia retenta, et cappa

---

(1) Cod. Vien. ex correct.: vel in caligis. — (2) Cf. Echard, I, p. 76.

et caputio, vel caputio solo pro tempore, superiores partes tunicarum cadere primo permittant, et postea cappam, vel caputium (1) super caput replicent.

Quod capellum nunquam sine necessitate ferre assuescant, et quod quando ferunt, vile sit; et quod nunquam in loco conventuali extra caputium appareat. (2)

Quod provideant ne pelliceum per collum, vel alias appareat unquam.

Quod ad extraneos cum bottis magnis nunquam vadant, et de die sine magna necessitate nunquam ferant.

Quod cum jacent, caputium vel in capite retineant, vel de ipso caput cooperiant, et quod sic semper se cooperiant quod aliquid indecens eorum videri nunquam contingat.

Quod lectum postquam surrexerint, decenter cooperiant; et quod subtus, vel circa nihil appareat, quod videri vel non deceat, vel non expediat.

Quod lectisternia et vestes munde custodiant, et non sub lecto: sed in loco honesto alio replicata reponant, et interdum excutiant, et tempore suo ad lavandum tradant, et de modo excutiendi doceantur.

Quod cum serviunt in refectorio, vel hospitio, cappam deponant. Cum autem in lavandis pedibus vel capitibus occupantur, honeste se succingant, caputii prima parte cum corrigia religata.

Quod ad lectum, vel cellam alterius sine causa valde necessaria non accedant.

Quod vestes, vel sotulares, cum alii indigent, habita licentia libenter concedant.

Quod abjectas et humiles vestes carius amplexentur.

Quod quando novae dantur vestes, veteres semper reddant, quae sunt ultra numerum in constitutionibus expressum.

IX. Circa loca, et primo de choro.

Item ad officium ejus pertinet instruere eos circa loca' quae eis licet intrare sine licentia, et quae non; et quando fiunt signa, ad quae loca debent convenire se-

---

(1) Cod. Vien.: et caputium. — (2) Hic notent proinde nonnulli *capellum* nihil aliud esse quam capitegium quod Galli *calotte*, Itali *zucchetto* vocant.

cundum varietatem signorum, sive ad ecclesiam, sive ad capitulum, sive ad scholas, sive ad refectorium, sive ad collationes, sive ad repetitionem officii, sive ad infirmitorium, cum infirmi fuerint, sive ad mixtum novitiorum, et hujusmodi.

Item, quod nunquam se ingerant inter fratres colloquentes, nisi vocati fuerint, aut adducti.

Quod in omni loco, ubi conventus fuerit congregatus, religiosius et maturius se gerant, et in choro prae caeteris, praecipue quando ministrant ibi in aliquo officio, vel quando veniunt ad adorationes solemnes, ut in die Parasceves ad adorationem crucis; vel oblationes, ut in festo Purificationis cum cerei offeruntur, et hujusmodi: maxime vero tempore communionis.

Circa quae et similia instruendi sunt quomodo se habeant (1) secundum formam traditam in *Ordinario,* cujus rubricae ad haec pertinentes suis temporibus sunt eis exponendae, et addenda quae in illis minus plene (2) continentur: sicut est quod mappam cum duabus manibus urbane sub mento applicent; quod recepta hostia terram non osculentur, sed solum aliquantulum caput inclinent, et recedant ad locum, ubi flexis genibus hostiam consumant; qua consumpta ad calicem cum reverentia accedant; et alia ad hujusmodi pertinentia ordinate faciant et honeste.

Docendi sunt etiam quos libros, et quibus horis ad chorum deferant, et ubi finitis horis reponant eosdem decenter; et quomodo de nocte candelas pro absconsis (3) accendant tempestive, et ante libros ipsas teneant, caventes, ut poterunt, ne lumine laedant oculos aliorum; et cum aliis diligenter cantent et psallant.

X. Circa refectorium. Item, instruendi sunt circa refectionem quomodo et ubi lavandae sunt manus.

Ad quod, cum primo debent venire, vestes replicent ne eas deturpent, et ibi lotis manibus sedeant.

Quomodo intrantes refectorium, ante imaginem quae est ante mensam prioris, aliquantulum inclinent.

---

(1) Cod. Vien.: debeant habere. — (2) Cod. Vien.: plenarie. — (3) Scil. pro laternis caecis. Quae etiam dicebantur *consae, sconsae,* etc. Nota *laternam* dici a *latere*, sicut *absconsam* ab *abscondere.*

Quod in prandio, vel coena ordinate intrent, et sedeant, et exeant, sua loca tenentes. In collatione vero non exigitur istud.

Quod collocantes se ad sedendum, non nimis unus super alium se comprimat; sed tantum sit spatium quod competenter in illo valeant excreare.

Quod se collocent ante praeparatam aliquam portionem.

Quod non nimis cito, postquam sederint, ad modum glutonum comedere incipiant; sed cum maturitate, mappa explicata et pane inciso.

Quod panem, vel aliam pictantiam superflue non scindant, vel in frusta comminuant; sed solum quantum comedent.

Quod paraturas (1) panis notabiles non faciant.

Quod vinum, nisi temperatum fuerit, (2) temperare assuescant.

Quod a deturpatione manicarum et mappae nimia caveant.

Quod pro modica effusione vini, vel aquae, vel aliis hujusmodi minimis, in fine veniam facere non oportet.

Quod singularitates in comestione non faciant: sed comedant quod apponitur cum gratiarum actione; et si quod genus ciborum non consueverint comedere, assuescant, ut poterunt.

Quod scutellas, quando comederint quod placebit, ponant in loco apto ministris ad tollendum.

Quod oculos vagos ad respiciendum quid alii faciant non habeant.

Quod circa finem mensae advertant quando alii finiunt comestionem, ita ut eos (3) in protrahendo comestionem expectare non faciant.

Quod cum alii replicare mappas coeperint, et ipsi replicent decenter; semper reliquias, et panem removendum anteponant, vel servientibus (4) discurrentibus ad tollendum, in canistro eorum projiciant decenter.

---

(1) *Paratura* nihil aliud est quam *crusta* alicujus rei *abscissa*. Hinc eodem sensu *parer* apud Gallos. Cf. Littré, *Dictionn.* — (2) Cod. Vien.: ubi temperandum fuerit. — (3) Cod. Vien.: et eos. — (4) Cod. Vien.: servitoribus.

Quod etiam praedicta, et alia hujusmodi, quae ad honestatem pertinent, servent, et alibi ubicunque eos comedere contingat, et magis quando saeculares contigerit interesse.

Quod si forte aliquando data fuerit licentia loquendi ab aliquo qui hoc possit, nihilominus servent silentium, aut valde parum loquantur.

XI. Circa locutorium.

Item, instruendi sunt quod ad locutorium, vel ad locum alium loquendi facile non vadant, nisi vocati fuerint, vel ex aliqua causa rationabili et praemeditata.

Tolerabile est autem ut interdum vadant illuc ad horam, propter tollendum fastidium, vel aliquam recreationem habendam: sed cum licentia, et speciali ad hoc socio deputato, qui ad recreationem honestam eis faciendam idoneus reputetur.

Verum in hujusmodi locis non est loquendum de facili, nisi sedendo, et sine clamore; et nunquam est a novitiis super aliquo disputandum, vel contentiose loquendum, sed de aliquo utili quaerendum, vel conferendum.

Si autem ad saeculares vocati fuerint, nunquam sine licentia speciali, et socio ad hoc deputato, est ad eos eundum.

Cum autem sunt cum eis, debent dare operam ut eos aedificent, religiose et mature se habendo, vultus hilaritatem praetendendo, de rumoribus non curando, verba salutaria inserendo, eos si perversi fuerint reprobando, et mala quae fecerint fortiter detestando, et eis de religione vel poenitentia potius persuadendo, et periculum status saecularis ostendendo.

Non autem est immorandum cum eis in quacunque locutione, sed inventa curialiter aliqua occasione recedendum est festine.

XII. De aliis locorum diversitatibus.

Item, docendi sunt quod semper libentius morentur in claustro cum fratribus, quam extra cum saecularibus.

Item, quod libentius in claustro commorentur in locis silentii, ut sunt cella, oratorium; et hujusmodi, quam frequentent locutoria.

Item, quod libentius intersint in locis omnibus cum conventu, quam in locis aliis extra conventum, ut sunt hospitium, infirmitorium, et hujusmodi.

Item, quod libentius declinent ad loca, ubi sunt maturi et religiosi aggregati, quam ubi viderint dissolutos et leves.

Item, quod libentius currant ad loca in quibus audiuntur utilia, ut sunt scholae, et locus collationum, quam ad illa in quibus contingit interdum audiri inutilia, ut sunt hortus, aut plateae curiosorum.

Item, quod libentius veniant ad loca in quibus in aliqua actione (1) salubri occupantur, ut est lotio pedum vel vestium, quam quod inutiliter discurrant per domum.

Item, quod plus diligant loca in quibus exercentur magis utilia, scilicet pertinentia ad religionem et virtutem, ut est capitulum et oratorium, quam illa in quibus minus utilia, scilicet pertinentia ad scientiam, vel corporis necessitatem, ut sunt scholae, infirmitorium, refectorium, et hujusmodi.

XIII. Circa tempus. Item, instruendi sunt circa tempus quod ipsum non solum quando sunt in occupationibus conventualibus, sed etiam totum residuum utiliter expendant.

Et ideo inter duo signa, post dictum officium de beata Virgine, et quandocumque conventus congregatur, vel congregatus aliquid expectat, et intrando lectum, et surgendo, vel cum in lecto jacentes dormire non possunt, vel cum spatiando per hortum, vel claustrum, vel alibi per domum deambulant soli, et in hujusmodi similibus temporibus, debent aliquas orationes dicere, vel aliquid salubre meditari.

Similiter tempus quod est inter gratiarum actiones et dormitionem in aestate post prandium, in oratione, vel lectione, vel aliqua alia actione utili, sub silentio occupare.

Item, tempus quod quandoque conceditur ad loquendum, si in hoc recreari moderate voluerint, reddere sibi utile, recreationes hujusmodi ad finem debitum dirigendo, videlicet ut fortiores ex hoc reddantur ad ordinis actiones, et servitium Creatoris; vel in hujusmodi recreationibus, de repetitionibus (2) lectionum, disputationum, vel sermonum, vel aliis utilibus cum aliis pertractando; vel dum his

(1) Cod. Vien.: occupatione. — (2) Cod. Vien.: repetititione.

vacatur ab aliis, confessioni, vel aliquibus quae sibi agenda sunt, ut si habent aliquid facere in vestiaria, vel similibus tunc intendendo.

Sunt etiam docendi quod in cella nunquam sint otiosi: sed legant, aut scribant, aut orent, aut meditentur utilia.

Item, in juvando fratres in quibuscumque officiis, vel servitiis libenter se occupent.

Quod non de facili otiosi discurrant.

Quod aliqua mechanica quae nesciunt, ut scribere, vel similia interdum addiscant.

Quod ad officium mortuorum extraordinarium libenter remaneant.

Quod in itinere rumores et otiosa declinent: sed de aliquo utili quaerant, vel conferant cum socio, vel cum aliis cum quibus fuerint, sive in domo, sive in via.

Quod aliquem librum ferant, in quo cum non melius fecerint, et vacaverint, semper legant.

XIV. Circa servitia. Item, ipsius est instruere novitios quomodo servire debent in missis privatis, in ministerio altaris, in conventu, et in incensando (1) chorum, in refectorio, et hujusmodi, tam in spiritualibus quam corporalibus servitiis diversis, secundum quod in rubricis, et in descriptione officiorum diversorum continetur; et addat quod minus continetur in illis.

Sunt etiam animandi quod libenter in hujusmodi serviant, vel juvent, vel suppleant vices fratrum, cum fuerint requisiti: et praecipue in magis humilibus, sicut est lotio pedum, mundatio domus, lotio vestium, servire infirmis, parare mortuos, et hujusmodi.

Cavendum est tamen ei ne de facili occupentur in servitiis (2) extra conventum, propter dissolutiones quas facilius videre ibidem possunt.

XV. Circa reverentiam. Item, instruendi sunt quod reverenter se semper habeant, et ubique.

Quod quando transeunt ante imaginem aliquam, vel altare, vel ecclesiam, vel alia sacra, inclinent, et cuputium extrahant aliquantulum.

---

(1) Cod. Vien.: intrando. — (2) Cod. Vien.: in officiis.

Quod in officio divino dicendo etiam extra chorum reverenter se gerant, cum maturitate dicendo, quod dicendum est sollicite praevidendo, in nullo alio se tunc occupando, et humiliationes inclinationum et prostrationes bono modo faciendo.

Quod non solum praelatis suis, immo etiam omnibus honorem exhibeant, et praecipue senibus sacerdotibus, prioribus in ordine, sanctitate famosis, et hujusmodi, prout variae conditiones requirunt.

Fit autem reverentia haec multis modis, scilicet cum transeunti assurgitur, cum ante alium (1) non nimis prope transitur, cum ante aliquem inclinatur aut genuflectitur, cum sedenti decenter assistitur; cum juxta sedentem sedere volens aliquantulum a longe se collocat, vel sedere volenti sedens assurgit vel cedit, vel loqui volens ante alium extrahit caputium, vel in humili servitio ministrat, vel alium in via, vel in omni verbo et actione anteponit, vel cum praeire in aliquo cogitur, cum omni humilitate et reverentia hoc facit, et aliis variis modis: quae secundum plus et minus sunt exhibenda diversis, et praecipue praelatis, non solum ordinis, sed etiam episcopis, quibus secundum consuetudinem regionum sunt interdum manus osculandae, vel genuflexiones faciendae; similiter regibus et magnatibus.

XVI. Circa confessionem

Item, instruere debet eos circa confessionem, quomodo plene et bene confiteri sciant, supplendo, cum nesciunt, per interrogationem de peccatorum generibus et circumstantiis, quot et de quibus circumstantiis debeant confiteri.

Item, quomodo, quando recordantur, vel advertunt in Scripturis aliquod peccatum quod ante nesciebant, vel quod non sunt confessi, vel aliquod de novo occurrerit in cogitationibus, vel omissione alicujus eorum quae sunt de ordine, et similibus, debent cito venire ad confitendum ista.

Item, quomodo possunt scribere confessionem, ut per scriptum melius sciant quando erunt plene et bene confessi,

Item, attendendum est ei quod det eis bona consilia, quomodo expediantur de restitutionibus, de sententiis, de irregularitatibus, de votis, si istis fuerint irretiti.

---

(1) Cod. Vien.: aliquem.

Item, docendi sunt, quod in confessionibus nihil celent, nec de praeteritis, nec de emergentibus, nec de tentationibus quibuscumque, nec de visionibus aut visitationibus sibi accidentibus, nec de singularitatibus, si quas supra alios facere voluerint: et quod super his et similibus semper credant magistro suo, ne forte in aliquo decipiantur.

Item, cum fuerint nimis scrupulosi, quomodo non oporteat eos de aliquibus vel timere, vel confiteri: cum autem fuerint negligentes circa confusionem, quod (1) certo et assignato tempore confiteantur.

Item, quomodo venientes ad confessionem debent facere veniam, et dicere Mea culpa: et erecti, flexis genibus, inclinato capite, et procumbentes, extracto caputio incipere debent, dicendo: Confiteor Deo et beatae Mariae, et omnibus sanctis, et tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione: mea culpa; vel causa brevitatis, dimisso Confiteor, etc. sic dicere: Mea culpa, ego peccavi in hoc, et in hoc, et in fine dicere: Et in multis aliis; mea culpa, precor te orare pro me. Et recepta poenitentia et absolutione, et completa instructione, si in aliquo confessor eum instruere voluerit, surgere debet, caputium reponendo ut primo.

Item, quod nunquam cum conscientia alicujus peccati mortalis (2) ingrediantur lectum de nocte, vel accedant ad sacramentum aliquod, vel ministerium missae, sive in conventu, sive in privatis missis, nisi (3) prius confiteantur.

Item, quod non confiteantur, nisi magistro suo, vel priori, sine licentia speciali.

Item, quod quando per primam confessionem generalem non est eorum conscientiis satisfactum plene, possunt secundo vel pluries confessionem generalem iterare, ut tunc eis plenius satisfiat, cum sciunt melius confiteri.

XVII. Circa orationem.

Item, circa orationem debet eos instruere quod non solum psalmos, vel orationes formatas debent dicere: immo secundum varias necessitates modo pro peccato, vel offensa

---

(1) Cod. Vien.: quomodo. — (2) Cod. Vien.: notabilis. — (3) Cod. Vien.: sed.

tali, vel talibus remittendis, vel cavendis, (1) vel pro talibus defectibus tollendis, vel talibus gratiis aut virtutibus conferendis, et similibus devote supplicare.

Item, quod in oratione ad contritionem, vel compunctionem incitandam potius debent intendere, quam in multis dicendis laborare.

Item, quod non solum suî, sed etiam parentum, et amicorum, et familiarium, et benefactorum, et etiam persecutorum, et infidelium Deum ignorantium, et aliorum qui adhuc longe sunt a Deo, et per diversa detinentur peccata, debent memores esse.

Item, quod tempora otiosa debent in aliqua oratione occupare, et aliquem locum ad hoc idoneum in ecclesia eligere, vel ante altaria singula discurrendo ibidem ad quodlibet aliquam orationem facere specialem, vel in quocumque loco facere idem.

Item, quod in orationibus communibus magis quam in privatis debent confidere, et illis libentius interesse; sive in horis, sive in privatis post completorium et post matutinas, et quod ad haec bene et devote dicenda debent magnam curam adhibere; et quod ante plenam terminationem horarum, vel gratiarum, a choro sine necessitate non recedant, nec etiam ipsis terminatis, nisi prius aliquantulum orent, vel Deo se commendent.

Item, quod cum legendo, vel audiendo intelligunt aliqua in quibus peccaverunt, vel omittendo, vel committendo, vel aliqua bona quae eis desunt, debent in ipsa lectione converti ad orationem pro malis amovendis, vel bonis adipiscendis.

Item, quomodo in perplexitatibus, et dubiis, et tentationibus, et difficultatibus, et in principio novarum actionum debent ad orationem recurrere; et quomodo pro malis quibuscumque, quae vident vel audiunt, tollendis, vel remittendis assuescere supplicare, et pro bonis gratias agere, et in omnibus tam prosperis quam adversis semper Deum laudare.

Item, quomodo laborare debent ut in his quae dicunt orando cor versetur: quod si non semper fecerint, non tamen debent propter

---

(1) Cod. Vien.: pro periculis et peccati offensa cavendis.

hoc desperare quin orationes sint fructuosae; nec propter impugnationes, quas acriores interdum sibi faciunt inimici, debent eis cedere, et orationes dimittere.

Item, quod in orando non debent se super ventrem, vel in cruce extendere, vel caput nimis (1) inclinatum tenere: sed potius stando super genua erecti, vel aliquantulum incurvati orare debent.

XVIII. Circa studium.

Item, instruendi sunt ab ipso circa studium quod saecularibus scientiis neglectis, se totos transferant ad divinas: et inter illas a principio magis vacent utilibus et planis, quam subtilioribus et obscurioribus, et praecipue illis quae utiliores sunt ad informationem, et inflammationem, et corroborationem ipsorum: ut sunt liber Ugonis *De Disciplina,* liber *De Claustro animae, Meditationes* beati Bernardi, *Meditationes* et *Orationes* Anselmi, liber *Confessionum* Augustini, *Abbreviata* et *Florigerus* ejusdem, *Collationes* et *Vitae* et *Dicta Patrum, Passiones* et *Legendae Sanctorum, Epistola ad Fratres de Monte Dei* D. Bernardi, *De gradibus superbiae,* liber *De diligendo Deo,* liber *Balaam, Tractatus de vitiis et virtutibus,* et similia.

Item, quod potius intendant quotidie pauca sapere, et memoriae incorporare, et circa illa se afficere et se informare, quam multa legere.

Item, quod quandocumque aliqua audiunt vel legunt, considerent si potest eis ad aliquid valere, et inde (possunt) aliquam aedificationem trahere.

Item, quod semper libenter audiant, et ad docendum non festinent.

Item, quod quando incipiunt facere collationes, vel sermones, potius studeant circa bonum modum dicendi, et utilem materiam, quam circa multitudinem dicendorum; et quod semper multitudinem caveant, sive in audiendo lectiones plures et nimias, sive in legendo nimis, sive in dicendo multa in collationibus, et in sermonibus, et lectionibus, si quandoque contingat ipsos lectores fieri.

Item, quod nunquam sic sint ardentes circa scientiam, quod

---

(1) Cod. Vien.: nimis piu inclinatum.

propter studium negligant ea quae sunt religionis, vel virtutum, vel charitatis.

Item, quod nunquam de libris et scriptis suis sint avari, sed libenter illa aliis semper communicent; et quod nunquam confidentiam de sciendo aliquid ponant in scriptis, sed potius ingenium et memoriam exercitent (1) ad sciendum cordetenus quidquid possunt.

XIX. Circa meditationes.

Item, circa meditationes instruendi sunt quod tempus interdum expendant, vel cum sunt in via, vel cum per claustrum, vel hortum, vel alibi per domum quasi spatiando deambulant, vel cum sunt in orationibus secretis, vel in cella, vel quando in lecto vigilando quiescunt.

Sunt autem meditationes hujusmodi habendae quandoque circa Dei beneficia generalia, vel particularia; quandoque circa gratiarum actiones, vel ingratitudines humani generis; modo circa opera creationis, modo circa opera redemptionis, ut est incarnatio, passio, et hujusmodi; modo circa praemia bonorum, modo circa poenas malorum; modo circa vindictas jam factas, modo circa misericordias exhibitas; modo circa creaturas, modo circa scripturas; modo circa proprios defectus, modo circa profectus; modo circa fallacias daemonum, modo circa ministeria (2) angelorum; modo circa exempla sanctorum, modo circa perversitates perversorum; modo circa statum suum interiorem, modo circa exteriorem; modo circa facta recogitando, modo circa facienda; modo circa Dei omnipotentiam, modo circa ejus scientiam; modo circa bonitatem, modo circa severitatem; modo circa ejus misericordiam, modo circa justitiam; modo circa ejus judicia manifesta, modo circa occulta.

Sunt autem ex hujusmodi, et similibus, diversae trahendae affectiones, modo spei, modo timoris, modo doloris, modo gemitus de malis, modo suspirii ad bona, modo admirationis, modo exclamationis, modo gratiarum actionis, modo supplicationis, modo verecundiae, modo reverentiae, et hujusmodi, quae per experientiam melius quam per doctrinam addiscuntur.

---

(1) Cod. Vien.: exercitare studeant. — (2) Cod. Vien.: modo circa servitia et ministeria.

XX. Circa alia exercitia multa.

Item, instruendi sunt quod de visionibus videndis, et miraculis faciendis non curent, cum haec parum valeant ad salutem, et interdum in iis hominibus illudatur: sed potius curent de virtutum operibus, in quibus salus consistit.

Item, quod si consolationes divinas, quas audiunt aliquos recipere, non habent, non inde contristentur: sed sciant hoc interdum ex causa subtrahere pium Patrem.

Item, quod si compunctionis vel devotionis gratiam non habent, non ex hoc reputent se non esse in statu bono, dummodo bonam habeant voluntatem, cum ipsam solum respiciat Deus.

Item, circa conscientiam (ita) dirigendi sunt, quod ipsi purgandae (1) curam magnam habeant et apponant, quod non nimis scrupulosam vel audacem habeant, quod contra ipsam nihil faciant, quod erroneam ad consilium deponant.

Item, quod intentionem in omnibus operibus saltem a principio ad Deum erigant, et vanam, si quandocumque advenerit, abjiciant.

Item, quod nullam affectionem carnalem ad aliquam personam habeant, vel suspectam: vel in se diu durare permittant; (2) et quod caveant ne affectiones sanctae in carnales transeant.

Item, quod propriam voluntatem frangere assuescant, sensum singularem prorsus dimittant, privatum amorem ad aliquid nunquam habeant.

Item, quod omnibus obedientiam praeponant, et propter ipsam omnia alia etiam bona dimittant.

Quod tam sibi quam aliis, in melioribus bonis quam minoribus libentius vacent et intendant.

Quod virtutes eorum quos audiunt laudabilius vivere diligenter notent, et imitentur pro posse.

Quae autem supra ipsorum naturam sunt, potius admirentur quam imitentur. (3)

---

(1) Cod. Vien.: ipsam purgandi. — (2) Cod. Vien.: ad aliquam personam, vel suspectam in se durare permittant. — (3) Cod. Vien.: sunt potius admiranda quam imitanda.

Quod super lapsibus aliorum non indignentur, sed compatiantur, et sibi de similibus timeant.

Quod de factis aliorum non cogitent, nec de domus negotiis sint in aliquo solliciti, sed tantummodo de se.

Quod omnia agant cum discretione, quae summe consistit in hoc ut non sensu suo se regant, sed alterius, et maxime magistri sui.

Quod ea quae audiunt in Scripturis de virtutibus et operibus Deo acceptis, studeant exercere; et vitia, seu mala quae quotidie in ipsis Scripturis plus et plus cognoscunt, diligenter cavere.

CAP. VI.

DE OFFICIO MAGISTRI CONVERSORUM

Ad officium magistri conversorum pertinet scire a priore, postquam imposuerit ei istud officium, qualem vult eum habere potestatem super eos, sive novitios, sive professos, sive in confessionibus audiendis, sive in licentiis dandis, sive in corrigendis excessibus.

Item, respicere debet diligenter quae praedicta sunt de officio magistri novitiorum, et illa quae de illis ad conversos, sive novitios, sive professos, pertinere possunt, notare, et circa illos executioni mandare.

Item, debet eisdem exponere de regula et constitutionibus quae ad eos pertinent; et ea quae dicuntur in actis capitulorum generalium, vel provincialium, vel in capitulo conventuali, vel a priore conventuali, vel a priore provinciali, vel a visitatoribus, vel a suppriore, vel a vicariis ipsorum, ad eos pertinentia, sollicite retinere, et iisdem notificare, et observanda imponere; et *Pater noster,* et *Credo in Deum,* et *Ave Maria,* (1) cum nesciunt, docere, non in scriptis, sed cordetenus.

Item, debet eis tenere capitulum tempore et loco ad hoc a

(1) τὸ « et *Ave Maria* » deest in cod. Vien.

priore assignato; et accusationes fratrum clericorum, quas in capitulo suo vel extra de eis faciunt, retinere, et eos super his in suo capitulo proclamare; et fratres clericos, qui interdum ad capitulum eorum propter hoc veniunt, recipere ad accusandum, et excessus majores priori relinquere ad corrigendum.

Ipsum quoque priorem conventualem invitare frequenter ad tenendum eis capitulum; et tam ipsum quam visitatorem, quam etiam priorem provincialem, cum ad domum veniunt, de corrigendis circa ipsos debet instruere.

Item, studium debet apponere ut fiant eis frequenter exhortationes utiles, et ad statum suum pertinentes, sive sermones, sive collationes, sive per alios ad hoc magis idoneos, sive per se: ita tamen quod semper pauca dicantur eis una vice.

Procurare etiam debet quod sit aliquod signum in domo per quod convocentur vel ad suum capitulum, vel ad capitulum clericorum, secundum diversitatem signorum: et cum vocandi fuerint, debet illa signa facere.

Accusationes quoque eorum contra clericos, si quas habent, debet ex parte ipsorum in capitulo clericorum facere, et molestatores eorum accusare, et ab injuriis aliorum, prout potest, defendere; et cum irrationabiliter aliqui insurgunt in eos, in capitulo, vel extra, quantum potest cum bona conscientia, eorum innocentiam ostendere, et in sua justitia semper eos fovere.

Item, debet esse certus quod confiteantur frequenter, vel sibi, vel priori, vel alii de licentia speciali: et si negligentes fuerint, statuere eis certum tempus et locum, in quibus confiteantur.

Item, debet eos in officiis, quae eis imponuntur, interdum instruere quomodo illa faciant sollicite, et plene, et diligenter.

Item, illis qui nesciunt aliquam artem in ordine necessariam debet assignare de illis qui sciunt fratrem aliquem qui eos doceat aliquam artem hujusmodi, et ad discendum eos compellere.

Item, debet eos summe incitare ad laborandum semper et libenter in aliquo opere pro conventu; et propter hoc licentiare eos ab omnibus horis sive de die, sive de nocte: praeterquam a com-

pletorio, a quo non sunt licentiandi, nisi propter servitia quae tunc ex necessitate sunt facienda.

In festis etiam similiter sunt licentiandi propter officia quae tunc oportet fieri; et etiam concedendum est eis quod nunquam teneantur ad missam conventualem, vel horas canonicas, praeter completorium: sed sufficiat eos audire aliquam missam privatam, et dicere horas ubi voluerint, cum aliquibus operibus fuerit eis vacandum.

Illis etiam qui in aestate hora dormitionis de die laborant, poterit indulgeri ne surgant ad matutinas.

Coercendi sunt etiam a multitudine missarum audiendarum, et ab audiendo horas conventuales, cum propter hoc labores omittunt.

Instruendi sunt etiam diligenter ab eo quod quando sunt inter extraneos, honeste se habeant et mature; et quod ad mensas magnorum se non collocent, nisi invitati: et tunc etiam cum quadam difficultate.

Item, debet esse sollicitus pro eis quod in infirmitatibus, et aliis eorum necessitatibus, charitative ministrentur eis necessaria.

Item, cum senserit eos scandalizatos ex aliquibus ordinationibus quae interdum fiunt circa eos per capitula, vel majores, quas reputant fieri in eorum contemptum, pie et prudenter debet eos sedare, ostendendo quomodo non in contemptum eorum haec fiant, sed propter aliquam aliam causam rationabilem; sicut supra priores, et lectores, et alios, interdum fiunt similia, non in contemptum eorum, sed propter aliquam utilitatem ordinis; et etiam ostendendo quomodo in statu honorabili magis (1) sunt apud nos quam alii conversi in aliis ordinibus.

Item, debet eis reducere ad memoriam quomodo faciunt eamdem professionem quam et clerici, ut ex hoc intelligant se ita esse obligatos ad ea quae sunt ordinis ut clericos, et sic non negligant ea quae sunt religionis.

Item, ubi habent dormitorium separatum, debet jacere cum eis; ubi vero non habent separatum, debet saltem jacere prope eos.

Debet quoque de eis sollicitudinem specialem habere, et ubique

(1) Cod. Vien.: in magno statu et honorabili.

notare defectus et offensas eorum, et ipsos charitative corrigere, vel ad partem, (1) vel in capitulo.

Cum autem aliqui fuerint ei indomabiles, quod supra vires suas est debet majoribus referre, ut per eos melius emendentur.

CAP. VII.

DE OFFICIO CORRECTORIS FAMILIAE

Frater cui imponitur quod habeat curam de familia, debet prae caeteris fratribus curare quod non recipiantur in familia nisi tales de quibus sit bona spes quod honeste se habeant inter fratres.

Cum autem recepti fuerint, debet habere curam quod sibi, vel aliis confiteantur frequenter, et de hoc debet esse certus.

Instruendi autem sunt ab eo, cum ei confitentur, vel ab alio cui confitentur, ipso procurante, circa confessionem, quod plene sint confessi, et quod sciant bene confiteri.

Item, informandi sunt ab eo singulariter et insimul de modo habendi se honeste, et cogitandi, et laborandi pro salute sua; et interdum faciendae sunt eis aliquae collationes ab ipso vel ab alio, ipso procurante et ordinante; et faciendi sunt venire ad sermones, qui fiunt ad populum in domo, cum possunt; vel ad sermonem qui fit conversis interdum, si priori visum fuerit.

Item, quod laborent fideliter et diligenter in suis officiis; et quod qui serviunt in coquina, munde faciant omnia, et bono modo praeparent quae habuerint ibi praeparare; et ea quae nesciunt sollicite addiscant vel a fratribus, vel ab aliis de familia qui sciunt.

Item, quod per villam non discurrant, nisi pro necessitatibus domus, et cum licentia; nec pro servitiis fratrum specialibus dimittant communia, nisi de licentia praelati speciali vel generali.

Item, debet priori ostendere, et apud eum procurare, si clausura domus est minus bona, quod sic aptetur quod non possint egredi de nocte, vel hora dormitionis.

---

(1) Scil. in secreto et singulatim. Gall.: *à part.*

Item, debet esse sollicitus quae sit fama de eis, vel intus, vel extra, et considerare facta eorum et vitam; et quod invenerit, vel per aliquos audierit corrigendum in eis, ad partem corrigere, vel interdum in communi, quasi per modum capituli, et possunt eis poenitentiae aliquae, tolerabiles tamen, injungi.

Et est eis dicendum in principio quando veniunt, quod si volunt esse cum fratribus, ipsi ita corrigentur.

Cavendum tamen est omnino ne unquam ipse, vel aliquis frater eos percutiat: non solum ex ira, sed nec ludo, nec etiam causa correctionis.

Fratres quoque qui excedunt in eos, vel indebite eos molestant, vel aliquod malum exemplum ostendunt eis, vel in aliquo reprehensibiliter se habent circa eos, debet proclamare in capitulo; et cum minus rationabiliter loquuntur contra eos, debet eos excusare, prout potest cum bona conscientia, cum non sunt in culpa super illis quae dicuntur.

Item, cum aliquis petit recipi in conversum, debet fidele testimonium perhibere quid super hoc expediat, magis attendendo ordinis utilitatem, quam illius petitionem.

Cum autem aliquis invenitur talis quod non expedit fratribus ut cum eis moretur, debet apponere curam quod sic urbane licentietur, quod non scandalizetur contra fratres: sed cum amore eorum et ordinis recedat, ad quod idem laborandum est circa omnes qui recedunt a fratribus quocumque modo.

Porro circa advenientes garciones debet cavere quod nunquam introducantur alicubi ultra portam, nisi primo constet quod sint apud fratres alios, unde veniunt, intimi et familiares valde, et quasi unus ex eis.

Debet autem instare apud procuratorem, vel priorem quod fiat eis in porta, vel in villa, quoad jacendum, illud quod fuerit faciendum.

Debet etiam laborare quod illis qui gratis serviunt et propter Deum fratribus, vel laudabilius se habuerunt inter eos, fratres sint magis grati et devoti, et in suis necessitatibus ampliorem eis exhibeant charitatem.

Ipsius etiam interest majorem apponere diligentiam quod omnia

quae de ipsis ordinantur in capitulis, vel a majoribus, executioni mandentur: sicut est illud quod divisim jaceant tam illi de domo, quam extranei.

Quod non habeant vestes notabiles in pulchritudine, vel ornatu, vel pretio, vel colore; et rursus quod non habeant vestes similes conversis, nec tondeantur ad modum eorum.

Quod non recipiantur ad secreta et familiaria servitia fratrum, ut est lavare pedes fratrum, servire in hospitio, in refectorio, in infirmaria; quod carnes pro eis non parentur.

Quod nullus frater singulariter habeat garcionem.

Quod quando mittuntur, ita provideatur eis in expensis quod alios fratres non gravent, et similia.

Quae quando non potest ducere ad effectum, debet ad priorem recurrere, et ipsum sollicitare frequenter ut hoc faciat observari.

CAP. VIII.

DE OFFICIO CANTORIS

I. Circa libros et scripta. Officium cantoris est sollicitare priorem ut totum officium bene correctum habeatur in domo; et si negligens fuerit circa hoc, erga majores eum debet accusare, et laborare sollicite quod hoc faciat emendari.

Pertinet etiam ad eum libros ecclesiasticos (1) corrigere diligenter in cantu, et verbis, et punctationibus, et accentibus, et hujusmodi: vel per se, si scit, vel per alios, si nescit, adhibita auctoritate prioris; et illos de choro mundos servare, praeparare, et reparare in camisiis et coopertoriis, et in ligaturis, et male tractantes accusare.

Item, debet respicere diligenter totum officium, et firmare cordetenus, et maxime ea quae ad ipsum pertinent, secundum quod

(1) Cod. Vien.: libros ecclesiae.

notata sunt in diversis locis, et rubricis; et in notula praesenti, quae continet multa, quae alibi minus plene sunt notata.

Item, debet procurare quod aliquod armarium habeatur in choro, vel in sacristia, vel alibi, prout videbitur locus magis idoneus deputatus ad hoc, in quo libri omnes de choro reponantur, praeter libellos processionales; et inde per ipsum, vel per alium, si praelato visum fuerit, deportentur ad chorum tempore officii, prout necessarii fuerint, et postea reportentur.

Ipsius autem est distribuere ipsos libellos per chorum, prout videbitur (1) expedire, sive pro funeribus, sive pro processionibus.

Item, ipsius interest ponere in aliqua cedula, quae affigenda est parieti in sacristia in loco apto, numerum missarum et orationum quae injunguntur in capitulo, vel a majoribus cuilibet fratri, vel conventui, ut fratres sciant ad quid tenentur, et quando solverunt totum; et de missis quae debentur a conventu specialem curam debet habere quod solvantur quam cito commode fieri potest, et facere memoriale de solutis, ut sit certus quando totum fuerit solutum.

Item, quando emanat aliquod mandatum quod fiat aliquod festum, vel memoria alicujus sancti, vel anniversarium alicujus defuncti, vel memoria alicujus animae perpetuo per orationem aliquam in missa, debet hoc inserere per scripturam in libris, in suis locis.

Item, ipsius interest procurare erga praelatum quod aliquae rubricae de officio, quae magis sunt necessariae ad sciendum, legantur in refectorio interdum, maxime quando fratres plures intersunt; et similiter illae quae habent majorem difficultatem, (2) et minus sunt usitatae, ut quae pertinent ad tres dies lamentationum, et similes, legantur instantibus diebus ad quos pertinent.

Item, ad ipsum pertinet formare brevia, quae interdum ad alia loca mittuntur pro suffragiis impetrandis, et procurare erga prelatum per quem mittantur.

Forma autem hujusmodi brevium est talis: Tali die obiit frater talis in tali conventu.

Similiter recipere hujusmodi brevia quando mittuntur aliunde,

---

(1) Cod. Vien.: viderit. — (2) Cod. Vien.: majores difficultates.

et tradere ea ei qui legit kalendas, ut ea recitet in conventu ante illud: Commemoratio fratrum, familiarium etc.

Similiter in rotulis qui mittuntur interdum pro suffragiis scribere. (1) Quod scribi solet hoc modo: Rotulus (2) Fratrum Praedicatorum talis loci. (3) Animae omnium fidelium defunctorum requiescant in pace. Oravimus pro vestris, orate pro nostris. Die tali fuit rotulus apud nos.

Item, debet auscultare fratrem, qui voluerit, qui habet aliquid legere, vel cantare, loco et tempore ad hoc assignato. (4)

Et etiam si fuerint aliqui rudes in his, debet eos per priorem facere corrigi ad hoc.

Interdum etiam cum occurrunt novae historiae, vel aliqua alia ad cantandum difficilia, debet convocare conventum hora qua videbitur priori, ut communiter cantus hujusmodi praevideatur et repetatur.

II. Circa tabulam. Item, ipsius interest facere tabulam semper, nisi forte ad alleviationem ejus alii injungatur a priore.

Debet autem ipso procurante haberi tabula bona, et ad hoc officium apta; et de littera bona scribi per illum, vel per alium sibi ad hoc assignatum; et ita tempestive, quod in sabbato legi possit cum kalendis, post lectionem de constitutionibus vel de evangelio, illa tabula quae est pro septimana; illa vero quae fit pro festis, et aliis diebus, in mensa praecedentis diei.

Debent autem omnes absque acceptione personarum scribi ad officia tempore suo, qui possunt et sciunt ea facere; nisi forte aliquibus ex causa de licentia prioris parcatur quoad aliquod officium: hoc tamen proviso quod in festis et diebus quando plures conveniunt, talis sacerdos ponatur ad officium, qui ipsum laudabiliter sciat dicere, et maxime missam.

---

(1) *Breve* pro singulis defunctis mittebatur, ut plurimum; *rotulus* pro defunctis omnibus alicujus temporis. Qui erat annuus vel perpetuus; dicebaturque *rotulus* quia suspendiculo ligneo versatili, ad voluminis modum, asservabatur; perpetuus autem membranis assutis continuabatur (Cf. Mabil. *De Re diplom.* Lib. I, cap. IX, n. 1). — (2) Codd. et edita habent: titulus. — (3) Hic praemittunt edita sequentibus: Anima ejus et.... — (4) Cod. Vien.: assignando.

Qui autem ex impotentia, (1) vel ignorantia, vel de licentia non faciunt aliqua officia, debent in aliis sic compensare quae possunt facere, et ad illa scribi, ut fiat aequalitas qualiscumque.

Cum autem post tabulam scriptam aliquis de fratribus scriptis in ea debet recedere, vel infirmatur, vel alias habet causam rationabilem, quare non potest facere illud ad quod scriptus est, debet hoc notificare cantori, qui debet tunc alium scribere loco ejus.

Et quotiescunque immutat aliquid circa tabulam post pronunciationem ejus, debet notificare illi qui scribitur, et illi qui deletur.

Porro defectus fratrum qui desunt, nec alios posuerunt loco sui, debet supplere in septimana sua per se, vel per alios, et omnes debent eidem in hoc obedire; et facientes defectus debet tempore suo in capitulo proclamare.

Frater qui per quatuor dies facit officium ad quod scriptus est, et postea impeditus non potest residuum facere, septimanam fecisse reputatur.

Si prior ordinaverit quod aliqui fratres scribantur in tabula per septimanam, vel quindenam, vel mensem, vel amplius, ad aliqua officia quae non pertinent ad ecclesiam, ut est servire infirmis, vel in hospitiis, et hujusmodi, faciendum est secundum modum quem dixerit, et de personis, et de tempore.

Tabula vero scripta collocanda est in sacristia, vel in alio loco idoneo eminenti et aperto, ut possint ibidem legere qui eam non audierint, vel audientes non intellexerint, vel qui audierint et oblivioni tradiderint, et ut sciat quisque quid debet facere, et quem defectum quis faciat.

Et non debet deleri tabula hebdomadalis usque ad tempus quo sequens fuerit scribenda.

III. Circa sedes. Item, ad ipsum pertinet sedere in choro dextro; potest tamen causa officii mutare sedem, et stare modo supra, modo infra; modo in choro majori, modo in choro minori; et quandoque transire ad sinistrum.

In festis vero duplicibus, et totis duplicibus, licet habeat stare

(1) Cod. Vien. ex correct.: imperitia.

in medio chori incipiendo aliquid, tamen potest post incoeptionem discurrere ante fratres sui chori, ad incitandum eos ad cantandum melius; et interdum in choro suo sedere inferius, (1) vel appodiare se in aliqua sede.

Ipsius est etiam collocare novitios, vel alios fratres de novo venientes in choro alterutro, (2) prout viderit expedire; et in suis sedibus secundum tempus quo steterint in ordine collocare: quod a supervenientibus quaerere pertinet ad ipsum.

Cum autem aliqui extranei intrant chorum, vel ponunt se in ostio, pertinet ad ipsum, secundum quod digniores fuerint, (3) eos trahere ad locum honestum.

Si autem abjectae fuerint personae, urbane eas retrahere a sedibus dignioribus, vel a toto choro, si sine scandalo fieri potest.

Ipsius etiam est dare operam ne extranei nimis faciliter intrent chorum, et maxime laici, vel pueri.

Quod si clerici aliqui cantent cum fratribus, ipsius est in pausis et cantu eos rectificare, ut fratribus se conforment, et eos in locis debitis collocare.

Ad ipsum etiam pertinet sic providere cum consilio prioris utrique choro de fratribus qui sciant legere et cantare, quod non sit inaequalitas notabilis.

Cum autem propter absentiam fratrum aliquando chorus alter nimis est vacuus, debet innuere aliquibus de alio choro quod ad alterum se transferant, et illi debent in hoc obedire eidem, vel ad horam, vel ad diem, vel plus secundum quod ipse ordinaverit.

IV. Circa missam.

Ipsius etiam est novos sacerdotes instruere circa missam, et providere eis de adjutore et instructore idoneo in missis primis, quousque sint sufficienter edocti.

Similiter omnes promotos de novo debet in suis officiis instruere diligenter.

Cum autem abbas, vel episcopus, vel alius extraneus celebraturus est in conventu, debet providere quod tales ponantur ad of-

---

(1) Cod. Vien.: et interdum in choro suo inferiore. — (2) Edita ferunt: altero. — (3) Cod. Vien.: secundum quod dignitates eorum fuerint.

ficia qui omnia sciant facere decenter et ordinate; et quod talem sacerdotem sibi assistentem habeant, si viderit expedire, qui eos sciat in omnibus rectificare discrete.

Cum autem tales celebrant in conventu, vel etiam fratres ministrant de quorum ruditate timet, debet accedere versus altare interdum, ut si voluerint aliquid ab eo quaerere, habeant ejus copiam, vel ipsemet eos in aliquibus praeveniat: ut quando debet dici *Credo,* vel non; vel quando debet dici *Flectamus genua,* vel non; vel cujusmodi orationes debent dici, et hujusmodi: maxime quae non habentur semper in memoria a minus providis.

Debet etiam notificare sacerdoti in missa, vel ante, quando aliqua oratio, vel aliquae orationes sunt ex aliqua injunctione dicendae in missa, ut pro infirmis, vel pace, vel hujusmodi.

Item, missas quae non debentur, vel ratione diei, vel ordinis, vel alicujus injunctionis, non habet dicere pro arbitrio suo in conventu, sed cum consilio praelati.

Cum autem missa fuerit celebranda potest interdum inter primum signum et secundum intrare sacristiam ad sollicitandum sacerdotem et ministros super faciendis.

V. Circa officium.

Item, ad officium ejus pertinet inchoare officium, cum hebdomada pertinet ad chorum dextrum; et semper debet ita cito venire ad officium, et maxime in septimana sua, quod in principio inchoationis sit; et ita continue et finaliter ibidem morari, quod ex ejus absentia non sit defectus in aliquo.

Item, debet excitare fratres dormitantes in choro, et torpentes incitare ad cantandum et psallendum; et interdum eos ad librum ducere, vel in unum ad melius cantandum, maxime in festis devotioribus, congregare.

Item, antiphonas in choro (1) suo imponendas debet injungere.

Similiter omnia cantanda, vel legenda, quae ex *Ordinario* vel tabula non sunt determinata a quo debeant dici, debet imponere in hebdomada sua.

Item, antiphonas omnes de choro (2) suo debet reincipere, praeter

---

(1) Cod. Vien.: de choro. — (2) Cod. Vien.: in choro.

antiphonas super *Magnificat* et *Benedictus* in dublicibus, et totis duplicibus. Similiter *Alleluja* de missa in hebdomada sua, cum non (1) cantatur a pluribus.

Item, intonare psalmum ex parte chori sui modo mediocri, et tenere tonum, et exaltare vocem, tam in psalmis quam in aliis, quando nimis demittitur; et facere signa cum manus percussione ad pausas in psalmis, vel hymnis, et aliis hujusmodi faciendas distincte, cum notabiliter confunduntur; et ad illos qui confundunt pausas, personaliter interdum accedere ad corrigendum eos, sine strepitu manuum et ira: sed cum pace et honestate, ne correcti perturbentur, et adstantes offendantur. (2)

Item, de *Collectario* et absconsa providere in hebdomada sua, et quando incipitur officium in choro suo, quod sint in promptu in loco debito quaecumque sunt necessaria sacerdoti, et ipsi sacerdoti in festis praecipuis deferre versiculum quem oportet (3) dicere ante laudes.

Item, quando tarde surgitur ex errore ad matutinas, facere festinari officium, et abbreviari lectiones.

Item, pertinet ad eum in hebdomada sua, in processionibus non solemnibus, in sepulturae officio, in ministratione sacramentorum infirmis, et hujusmodi, providere de ministris, si non sunt scripti in tabula; et si sunt scripti, reducere eis ad memoriam quid facere debeant.

Debet etiam providere quod omnes vadant ordinate, et quod qui facit officium habeat librum sibi necessarium; et juxta eum stare frequenter, et rectificare eum et alios omnes in his quae agenda sunt, vel dicenda.

In processionibus vero solemnibus pertinet ad utrumque, scilicet cantorem et succentorem, de his curam habere.

Item, ipsius interest in hebdomada sua, cum praelatus non vult vel non potest facere officia quae ad eum pertinent, et est praesens, de consilio ejus imponere alicui alii hujusmodi officia.

---

(1) τὸ « non » ex cod. Vien. - De lege ista cf. *Ordinarium*. — (2) τὸ « sine strepitu.... offendantur » deest in cod. Vien. — (3) Cod. Vien.: debet.

Si autem non est praesens, vel ei loqui non potest, debet alicui injungere quod faciat officium : hoc observato quod hujusmodi officia semper injungantur personis senioribus, et quae sciant ipsa facere competenter.

Ipsius etiam est corrigere errores in quocumque erretur, sive ab aliquo, sive a conventu, sive in legendo, sive in cantando, sive in annexis officio, ut sunt inclinationes, prostrationes, genuflexiones, sessiones, stationes, et similia, in quocumque loco, praeterquam in refectorio in lectione, et super hujusmodi facere proclamationes.

Ipsius autem correctionem omnes sequi debent, etiamsi erret, dummodo error non sit intolerabilis, et obedire ei in his quae pertinent ad officium, licet proclamandus sit in capitulo, et corrigendus super iis in quibus erraverit.

CAP. IX.

DE OFFICIO SUCCENTORIS

Officium succentoris est respicere diligenter quae praedicta sunt de officio cantoris, et circa ea quae dicta sunt de libris et scriptis; sollicitare cantorem et juvare eumdem diligenter, et quae ad se pertinent de illo superiori titulo, ut est (1) studere in officio diligenter, et firmare cordetenus, et de distributione librorum in suo choro, executioni mandare.

Item, pertinet ad eum juvare cantorem circa tabulam faciendam, vel ipsam facere pro septimana sua, (2) vel semper, si a priore fuerit ordinatum.

Defectum vero fratrum debet in hebdomada sua supplere secundum modum qui supra dictus est de cantore in sua.

Item, ipsius est stare in choro sinistro, et mutare sedem suam potest ratione officii in choro suo, cum voluerit. In festris duplicibus

(1) Hic addunt edita: memoriter tenere. — (2) Cod. Vien.: per septimanam suam.

et totis duplicibus, post incoeptionem quae fit in missa vel in choro, potest facere quod supra notatum est de discursu, et sessione, et appodiatione cantoris.

Item, de extraneis collocandis vel repellendis, et de clericis qui cantant in choro suo rectificandis debet habere curam, sicut supra dictum est de cantore.

Cum autem chorus suus nimis a fratribus vacuus fuerit, si in alio abundant, potest innuere cantori ut aliquos mittat ad chorum suum.

Ad ipsum etiam pertinet facere in septimana sua circa missam quidquid supra dictum est ab illo loco: « Cum autem tales celebrant in conventu, vel etiam fratres, » etc. usque ad illum locum: « Item, ad officium ejus pertinet facere, » etc.

Item, ipsius interest, cum hebdomada fuerit ex parte sui chori, facere officium, et exequi diligenter ea quae circa officium cantoris supra notata sunt ab illo loco: « Et semper ita cito venire, » etc. usque ad illum locum: « Ipsius autem correctionem, » etc., in quantum pertinent ad chorum et septimanam suam: hoc excepto quod correctiones et directiones in officio non pertinent ad eum super totum conventum, sed solum supra chorum suum, in tempore hebdomadae suae, praeter errores intolerabiles, quos semper potest corrigere, cantore non corrigente. Ad cantorem vero pertinent illa omni tempore, quando sibi videtur expediens.

Item, ad ipsum pertinet acquiescere cantori in dubiis; et etiamsi male corrigat, vel dicat, non debet ei contradicere in choro, sed corrigere debet in capitulo.

Item, quando cantor non est praesens, debet supplere in omnibus vices ejus, et transire in ejus septimana ad chorum ejus; et e converso, quando succentor vel non habetur, vel non est praesens in choro, debet cantor facere pro eo, vel alii committere ut suppleat vices ejus.

Cum autem constituuntur aliqui adiutores cantoris, vel succentoris, vel utriusque, eorum interest supplere vices eorum, cum desunt; et cum praesentes sunt, juvare eos in quibus fuerit de consilio praelati ordinatum.

CAP. X.

DE OFFICIO SACRISTAE

I. Circa loca. Officium sacristae est curam habere de ecclesia saepe scopanda, et ab araneis et hujusmodi purganda, et munda servanda, et de choro magis quam de nave, et de presbyterio tam majoris altaris quam minoris, quam de choro; et ubi est consuetudo, in majoribus festis in aestate herbam virentem vel ramusculos aliquarum arborum, et in hyeme paleas sternere in choro et presbyterio, et ante parva altaria, et in sacristia, et in capitulo; et habere etiam curam de reparanda coopertura ne unquam pluat in ecclesia, et de aliis reparandis in ecclesia, vel sacristia, vel coemeterio, et de seris et clavibus ostiorum omnium.

Et debet haec claudere et aperire tempore suo, sequens ordinationem prioris de horis claudendi et aperiendi ostia ecclesiae de die.

II. Circa pulsationes. Item, ad eum pertinent omnes pulsationes quae fiunt in ecclesia, nisi quando fiunt causa capituli, vel sermonum.

Porro primum signum sic debet fieri quod non sit nimis prolixum, nec nimis breve, sed medie temperatum: hoc tamen magis vel minus pro tempore observetur. (1) Similiter signum quod fit pro collatione, ad quod sufficiunt quasi quinque ictus ex utraque parte campanae. Secundum vero sic debet esse prolixum, quod a principio illius possint convenire fratres de omni loco, in quocumque fuerint in domo, ad ecclesiam: et tunc debet statim terminare, sive convenerint omnes, sive non, non expectato etiam signo praelati.

Spatium vero quod est inter duo signa, sic debet esse temperatum praecise, quod in illo spatio possint esse fratres expediti de horis beatae Virginis, quas habent dicere; et de necessitate camerarum, et de lotione manuum, etiam hora primae.

---

(1) τὸ « hoc tamen.... observetur » deest in cod. Vien.

Ad vesperas vero tali debet hora pulsare quod post secundam mensam tempore binae refectionis, vel post vesperas tempore jejunii, non sit multum de spatio vel tempore usque ad horam completorii.

Ad completorium vero tali debet hora pulsari, quod facto ultimo signo in aestate sit adhuc quasi dies, in hyeme vero quasi nox.

Spatium vero, quod conceditur ad orandum post completorium, nec nimis prolixum sit, nec nimis breve; sed medie temperatum, et tam moderatum, quod fratres communiter sine fastidio possint illud tempus in oratione expendere: quod reputatur posse fieri cum tempus est tantum praecise, quod possint in illo dici psalmi septem, et litania.

Signum vero ultimum sic faciendum est, quod bene possit audiri ubique per totam domum.

Caeterum de modo pulsandi ad missam, et ad funus, potest consuetudo patriae observari.

Consuetudo tamen ordinis magis generalis videtur esse quod pulsatio ad missam fiat per tres interruptiones.

Ad funus vero, et ad processionem, et ad unctionem faciendam, convocantur fratres per signum in campana factum tantum ex una parte.

Ad ipsum etiam pertinet habere curam ut sollicitet priorem et fratres de bonis campanis habendis, et moderatae magnitudinis; et de habendo horologio tali quod non sit notabile curiositate, vel pretiositate: magis autem detur opera quod sit verax et certum.

Et de consilio prioris et fratrum horam surgendi ad matutinas, et primam, et nonam tempore dormitionis diurnae observet.

Debet autem valde esse sollicitus circa pulsationes tempore suo et modo debito faciendas, ne earum inordinatione contingat conventum turbari, vel impediri.

III. Circa luminaria.

Item, ipsius interest curam habere de habendis lampadibus, et oleo, et cera, et candelis, et cereis, et candelabris competentibus, et in ministerio circa altare majus, et in processionibus, et circa funera; et de ministrandis his tempore suo, et de lampadibus, et cereo paschali, et aliis cereis circa majus altare in missa, in vesperis, in matutinis, in completorio accendendis, et extinguendis, et emungendis, et melius inflammandis.

Similiter curam debet habere et providere quod non solum in majori altari, sed etiam in minoribus cerei aliqui competentes secundum varietates dierum et festorum, et candelae sufficientes ibidem et in choro semper sine defectu habeantur in promptu.

Debet etiam providere de candelis in hospitio, in infirmitorio, refectorio, et fratribus itinerantibus, et similibus, vel plus, vel minus, ubi hoc ordinatum fuerit a priore.

Porro expensas ad supradicta debet accipere a procuratore, vel de oblationibus, vel alio modo, secundum ordinationem prioris, et de omnibus computationis tempore computare, (1) beneficia vero collata sacristiae specialiter debet recitare in capitulo.

Debet etiam habere ferrum et lapidem, cum quibus solet ignis educi ad extrahendum ignem, si forte esset necessarium, in casu in quo contingit ignem non inveniri in domo.

IV. Circa missas. Item, debet providere quod hostiae pulchrae cum pyxidibus decentibus, et vinum purum, et sanum, et bonum, et aqua recens, et munda, cum ampullis honestis, calices, vestimenta, libri necessarii pro missis, carbones in patellis tempore magni frigoris, flabella tempore muscarum, thuribulum cum carbonibus, et thus in diebus festivis in majori missa, et crux deferenda in totis duplicibus, cussini, mappulae ad tergendum manus, et aliae ad purgandos nares, candelabra, et instrumenta apta ad candelas tenendas in missis, et omnia alia necessaria pro missis, tam majore quam aliis, semper habeantur in promptu, et in certis et competentibus locis inveniantur et reponantur.

Cavere quoque debet ne hostiae propter loci humectationem, vel alias corrumpantur; et cum minus idoneae fuerint, alias ministrare.

Debet etiam providere quod in sacristia in loco competenti semper inveniatur aqua ad lotionem manuum volentium celebrare, vel ministrare, et mappulae ad extersionem faciendam.

Solent etiam haberi ibidem a quibusdam pectines honesti ad

---

(1) Cod Vien.: de omnibus secundum tempus computare.

capillos componendos, et forpices (1) ad ungues scindendos ab illis qui interdum his indigent, et hoc ibidem volunt facere.

Debet etiam providere quod in sacristia sit piscina, vel pelvis, in quibus recipitur ultima ablutio; et quod munde, et honeste, et (2) sollicite custodiantur in omni munditia; et quod in istis nunquam alia ablutio recipiatur, vel ad alios usus applicetur.

Debet etiam procurare quod aliqua scamna lignea sint circa minora altaria apta ad orandum, in quibus interdum procumbere possint fratres ministrantes vel assistentes.

V. Circa sacramenta et sacramentalia.

Item, accuratius quoque diligentiam debet apponere quod locus honestus et decentis pulchritudinis habeatur super altare, in quo corpus Domini in pyxide honesta sub clavi servetur.

Item, quod oleum infirmorum ad faciendam extremam unctionem semper habeatur in domo, et in honesta ampulla in loco honesto sub clavi conservetur.

Item, si debent fieri ordines in domo, vel confirmationes, vel consecrationes ecclesiae, vel altaris, vel episcoporum, vel benedictio abbatum, vel coemeterii, et similia, debet providere cum consilio capellani episcopi ut secundum *Ordinarium* ejus omnia ad hujusmodi necessaria fiant, et habeantur in promptu.

Si vero fiant aliquae coronae, ejus est assistere episcopo, et ministrare cultellum vel forpices ad capillos incidendos, et ipsos caesos debet recipere et comburere.

Item, si contingat in aliquo casu quod debeant aliqui extranei communicare in domo, vel debeat fieri baptismus, vel benedictio nuptialis, et hujusmodi, ejus interest cum consilio prioris ordinare ubi et quando haec fiant, et necessaria ministrare.

Et cum instat inunctio facienda pro fratre, vel communio infirmi decumbentis, vel etiam ad altare non (3) potentis venire, vel

---

(1) Unde apud Italos hodiernos: *forbici*. Cf. Cangius, *Lexic.*, edit. Henschel, ad voc. *forpex*, (cf. *forfex*) id est, inquit, *cisailles*. — (2) Cod. Vien.:... providere quod piscina seu pelvis in quibus recipitur ultima ablutio sint valde munda et honesta, et.... — (3) τὸ « non » deest in cod. Vien. - « Nota in *Constit.* anno 1507, Venetiis,

etiam extraordinaria communio fratris alicujus ex alia aliqua causa facienda, vel etiam ordinaria communio facienda in conventu, debet de omnibus ad hoc pertinentibus gerere sollicitudinem, et de necessariis providere; et convocandos convocare, vel verbis interdum, vel cum pulsationibus, cum conventus fuerit convocandus.

Item, circa funera ejus officium est providere de fossis faciendis, et de loco fossarum, cum consilio prioris.

Item, de cereis, et candelis, et candelabris, et thure, et thuribulo, et carbonibus pro thuribulo, (1) et de convocandis fratribus suo tempore, et de cruce deferenda, et aqua benedicta, et stola, et libello sacerdoti recepturo funus, et de libellis manualibus et aliis necessariis ministrandis, tam pro fratribus quam pro extraneis defunctis, curam debet habere.

Item, si contingat episcopum, vel abbatem utentem mitra, vel annulo, vel baculo; vel cardinalem, vel legatum, vel alium dignitatis excellentis, apud nos facere officium in missa, vel processione, vel aliter quocunque modo, debet cum consilio capellani sui, vel aliorum sociorum ejus, de necessariis secundum suae dignitatis exigentiam providere, et gerere sollicitudinem quod non sit defectus in aliquo, et quod fiant omnia ordinate.

VI. Circa ornatus, et paramenta, et munditias.

Item, ad officium ejus pertinet apponere curam, quam potest, quod habeantur indumenta pro ministris, et ornamenta pro altaribus honesta, et pulchra, et diversa, secundum diversitates temporum et festorum: ita quod in diebus magis solemnibus solemniora producantur.

Porro ad ornatum altaris cujuslibet, praeter illam tobaliam quae adhaeret lapidi, debet haberi alia desuper, quae tam longa sit quod quasi usque ad terram ex utraque parte descendat; super quam palla alia iterum collocetur, quae sit adeo longa et lata, quod quasi totum altare desuper cooperiat, super quam est corporale collocandum.

---

curante Alberto Castellano impressis deesse etiam « non. » Forsitan hic agit B. Humbertus de infirmis qui, sicut legitur in Vitis SS. faciebant se deferri in ecclesiam, ut ibi in mortis articulo sacra Eucharistia reficerentur. Hoc fecit Raymundus Hunaudi, Provincialis Provinciae, an. 1295. » (P. Vincent Laporte). — (1) Cod. Vien.: tam pro thuribulo quam pro ollis.

Cum autem ista fuerint replicata, debet haberi aliquod grossius coopertorium ad totum cooperiendum altare.

Cogitandum est etiam ei quod habeantur aliquae reliquiae in vasis pulchris et decentibus, vel arcellis; et cruces, et imagines aliquae competentis decoris; et de his aliqua sunt ponenda in festis majoribus super altare ad ornatum.

Debet etiam habere curam quod ampullae, piscinae, pelves, et alia vasa et utensilia, camisiae, albae, pallae et tobaliae altarium, corporalia, et manutergia, et caetera omnia linea in usus altarium vel ministrorum necessaria, sic frequenter laventur, quod semper inveniantur munda et nitida, et praecipue ea quae sunt circa altaria.

Corporalia vero et panniculi pro abstersione calicum et manuum post ultimam ablutionem, lavanda sunt separatim ab aliis, et lotio in piscinam sacram mittenda.

Cum autem consumpta fuerint vetustate, comburenda sunt, et cineres in eamdem piscinam mittendi.

VII. Circa custodiam rerum. Ad ipsum etiam pertinet, cum de novo ponitur in officio, facere memoriale de numero calicum, librorum, paramentorum, et omnium hujusmodi, quae sunt valoris notabilis, et sunt ab eo custodienda.

Et cavere debet ne perdatur aliquod de istis, sed potius secundum ejus industriam augmententur.

Et cum absolvitur, successori per memoriale debet rationem reddere de praedictis.

Debet etiam cavere vestimentis et paramentis a putrefactione et corrosione, interdum ad ventum et calorem exponendo, non in locis humidis, sed siccis et aeri perviis, et a tineis conservando.

Debet etiam curam habere quod dissuta resarciantur, et laesa in aliquo, sive vasa, sive utensilia, et hujusmodi reparentur diligenter. Vetusta et minus utilia, quae possunt vendi, de licentia vendantur, et eorum pretia in aliqua meliora commutentur.

Item, debet oblationes omnes ecclesiae recipere, et diligenter custodire, et eas procuratori integre reddere, vel necessaria pro sacristia de illis procurare, et residuum eidem procuratori, si quid

fuerit, reddere, vel in alios usus expendere, secundum quod prior duxerit ordinandum.

Pro receptione vero et custodia harum solent interdum haberi trunci in ecclesia, vel pyxides clausae desuper cum modicis aperturis, vel alia hujusmodi apta ad securam reservationem.

Sunt etiam habenda aliqua armaria, et arcae fortes et aptae (1) ad custodiam rerum, vel in sacristia, vel extra in loco securiori, vel in utroque.

Et sacristia debet esse fortis in ostiis, et fenestris, et clavibus; in qua etiam propter rerum custodiam jacere potest cum uno socio, vel duobus, cum locus ad haec aptus fuerit: et hoc, si priori videbitur expedire.

VIII. Circa Ordinarium. Ad eumdem pertinet scire bene *Ordinarium* totius officii, ut per eum quandoque fratres certificentur de aliquibus quae requirunt; et ea quae in eodem scripta sunt, praeter supra dicta ad eum pertinentia, ut de cineribus in capite jejunii, et de ramis in die palmarum, et similibus sollicite exequatur.

Debet etiam habere curam quod *Ordinarium* de ministris, et missa majori, et aliis habeatur in sacristia in aliquo propatulo, de grossa et intelligibili littera, ut fratres per hujusmodi scripturam certificari possint, cum de aliquo dubitant de praedictis.

Summas quoque et tractatus magistrorum de officiis ecclesiae debet procurare libenter, cum poterit, ut in sacristia inveniantur.

Postremo, quia in magnis conventibus difficile est omnia supradicta ab uno executioni mandari, cum socius ei datus fuerit de consilio prioris, possunt supradicta sic per eos dividi, ut utroque sciente quid ad se pertineat, nec confidente de alio in his quae ad se pertinent, fiant ordinatius universa.

(1) Cod. Vien.: fortia et apta.

CAP. XI.

DE OFFICIO LECTORIS

I. Circa doctrinam. Officium boni lectoris est conformare se capacitati auditorum; et utilia, et expedientia eis faciliter et intelligibiliter legere; opiniones novas refugere, et antiquas, et securiores tenere; ea quae non bene intelligit nunquam dicere; a fastidiosa prolixitate, quae accidere solet ex nimia repetitione ejusdem, aut ex involutione verborum, vel ex aliis causis, cavere semper.

Dare operam ut ex lectionibus suis proficiant auditores, aut circa veritatem librorum, aut circa quaestionum utilium intelligentiam, aut circa aliqua quae possint ad morum aedificationem esse; litteram tantum legere, (1) relicta multitudine eorum quae dici possunt ad singula; quod auditores sub eo proficiant ad sciendum *Bibliam,* et *Historias,* et *Sententias:* maxime lectiones, aut omnes, aut saltem unam continuare libenter.

Cum vero vacationes fecerit, eligat illas illo tempore facere quo fratres minus solent in domo insimul manere; tempore vero vacationum, et in alio tempore, libenter legere debet aliquid fratribus aliquibus in camera, qui habiles ad proficiendum in studium reputantur.

Dubitantibus vero et interrogantibus de aliquo debet benigne et charitative satisfacere, prout potest et scit.

Cum vero exigente intelligentia et utilitate auditorum, interdum expedit disputare, eligenda est ab eo materia utilis et intelligibilis, maxime si sit (2) disputatio inter minus peritos.

Ut autem melius et fructuosius officium suum exequatur, debet studere diligenter, et praecipue in scriptis quae communi judicio meliora reputantur.

Et ut melius possit vacare studiis, ab aliis occupationibus debet

---

(1) Cod. Vien.:... quae prosint ad morum aedificationem; de littera tantum legere. — (2) Cod. Vien.: cum fit.

sive in domo, sive extra, cum potest, salva obedientia, subtrahere se libenter.

Cavendum est etiam ei a nimiis divisionibus, et rationibus reddendis de sufficientia et numero; et a frivolis expositionibus, et similibus, quae certam veritatem non habent, et cogunt saepe dicere alia quam sanctorum vel glossarum expositiones contineant, quae maxime sunt sectandae.

II. Circa vitam. Item, ad ipsum pertinet ut sicut alios praecellit in scientia divina, ita et in exemplo totius sanctitatis et virtutis, et praecipue humilitatis, patientiae et sobrietatis.

Debet etiam animare alios sermonibus, collationibus fraternis ad omnem religionem, et obedientiam specialiter; et juvare efficaciter praelatos in hoc ipso.

Item, ad praelatos semper pacem habere debet, et reverentiam dignam exhibere, et cavere ne perturbatores, vel dyscoli, vel indisciplinati apud eum refugium inveniant, vel favorem.

In refectorio vel choro debet libenter interesse, cum potest; et a capitulo, vel completorio, nunquam sine magna et evidenti necessitate remanere.

Dispensationes vero in jejuniis et abstinentiis, cum non indiget, aut nunquam, aut raro, et cum difficultate recipere; cum vero recipit, caveat ne in infirmitorio, vel hospitio, occasione ejus fiat aliqua dissolutio, aut in vigiliis, aut superfluitatibus, aut inordinatis locutionibus, et similibus.

Item, nomine magistri, vel lectoris, vel doctoris, quantum in eo est, non debet permittere se vocari: sed solum nomine fratris.

Item, libentius debet carere camera et socio quam habere, si potest aliter suum commode officium exercere.

Cum vero hoc habuerit, debet se ad socium habere non sicut dominus, sed sicut socius et frater; nec permittere debet quod ei faciat servitia quae non solent aliis fratribus fieri, ut est facere lectum suum, discalceare eum, portare libros ad scholas, sicut bedellus, et similia.

Debet etiam cavere ne camera sua sit in occasionem dissolutionis, aut ex vigiliis, aut ex frequentibus ibidem collocutionibus, vel conventiculis, vel clamoribus, vel hujusmodi aliis.

Item, non debet verecundari quin libenter quaerat ab aliis dubitationes suas; immo quandocunque occurrunt, notare debet diligenter; et cum invenerit a quo possit edoceri, quicunque sit ille, quaerere debet humiliter, et audire, et retinere diligenter.

Debet etiam procurare, quantum in eo est, quod habeat aliquem sublectorem, qui legat interdum, cum hoc requirit multitudo, vel utilitas auditorum; et eidem charitative in omnibus assistere debet, juvando in scriptis, et in aliis, prout fuerit opportunum.

Porro monitiones emanantes a capitulis circa lectores debet diligenter retinere in memoria, et servare; licentiis vero generalibus de loquendo, vel remanendo a choro, et similibus, non debet uti propria auctoritate, et ad libitum suum: sed prout priori visum fuerit, et causa rationabilis requisiverit.

Postremo vero, ut Deo, et praelatis, et fratribus sit acceptum ejus obsequium, non debet se reddere difficilem ad legendum; vel quaerere in hoc aliquid quod sapiat vanam gloriam, ut est legere in majoribus conventibus, vel anhelare ad habendam licentiam in solemnibus studiis, vel ferre graviter, si de modo legendi in aliquo corrigatur: sed bono animo debet implere quidquid (1) a suis majoribus fuerit ordinatum, et se corrigere libenter in his quae fuerint sibi dicta corrigenda.

CAP. XII.

DE OFFICIO MAGISTRI STUDENTIUM

I. Circa studium in genere. Officium magistri studentium est habere zelum et curam specialem de studio promovendo modis omnibus quibus potest.

Et ideo debet habere in memoria ea quae scripta sunt in constitutionibus, et ordinationes quae emanaverint, vel emanant assidue

(1) Cod. Vien.: quodcumque.

a capitulis vel generalibus, vel provincialibus, a priori provinciali, vel visitatoribus circa studium; et dare operam ut diligenter serventur.

Ipsius etiam est notare diligenter, et suggerere praelato admonitiones, quas reputat expedire fieri fratribus pro studii promotione in domo.

Debet quoque sollicitare priorem et majores, ut procurentur libri et scripta utilia pro conventu; negligentias vero prioris et fratrum circa studium priori provinciali et visitatoribus referre fideliter, et super his accusare eosdem, vel in domibus propriis, vel mittere accusationes ad capitulum provinciale interdum.

Procurare etiam, et pro posse suo laborare quod necessaria ad studium, scilicet cellae aptae, encaustum, (1) pennae, et pumices, sebum pro tempore ad lumen, et similia, sine defectu habeantur in domo, et fratribus, cum iis indiguerint, ministrentur.

Ipsius etiam est habere sollicitudinem quod habeantur scholae competentes, et aptae (2) in fenestris et sedibus, et contra pluviam bene munitae.

Et ubi veniunt saeculares, debet providere quod recipiantur et collocentur honorabiliter, juxta exigentiam sui status.

II. Circa sermones.

Item, ipsius interest injungere sermones qui solent in capitulo fieri in omni festo novem lectionum, nisi legatur in scholis; et in capite jejunii, et in vigilia natalis Domini, et in aliis casibus emergentibus, sicut est tempore capitulorum provincialium, vel generalium, et quandocumque in casu aliquo sunt faciendi.

Non sunt autem ad hujusmodi sermones passim recipiendi extranei, nisi ubi interesse voluerit competens multitudo, et hoc de licentia et conscientia praelati: et debet dici tunc illi qui facturus est sermonem quod extranei debent adesse; et cavendum est in hoc casu ne injungantur sermones (3) alicui, nisi tali de quo credatur quod sit idoneus ad laudabiliter proponendum.

Porro sermones qui fiunt in generali vel provinciali capitulo,

---

(1) Edit: atramentum. — (2) Cod. Vien.: et sint aptatae. — (3) Cod. Vien.: injungatur sermo.

debet injungere de licentia et conscientia majoris praelati. Extraneis vero non debent hujusmodi sermones injungere, nisi de conscientia et voluntate praelati.

Cum autem contingit pertransire cardinalem, vel legatum, vel episcopum magnae litteraturae, vel magistrum aliquem in theologia, vel alium magnae auctoritatis virum, et in praedicatione exercitatum, vel ministrum Fratrum Minorum generalem, vel provincialem, vel aliquem de ordine nostro priorem, vel lectorem, vel fratrem alium in praedicatione famosum, debet cum praelato conferre si sit horum aliquis invitandus ad praedicandum fratribus in capitulo aliqua die, et fiat quod ei videbitur faciendum.

Hujusmodi vero sermones capituli fieri solent vel post matutinas, cum sunt noctes prolixae; vel post primam, cum hora illa non est in aliis occupata; vel post nonam, tempore dormitionis diurnae; vel alia hora, secundum ordinationem prioris, in qua fratres possunt commodius interesse.

Pertinet vero ad ipsum pulsare hora competenti pro sermone hujusmodi.

Cum autem horam variari contigerit, debet in praecedenti capitulo, si hoc sciverit, praelato dicere ut fratribus praedicetur.

Debent autem hujusmodi sermones fratribus tam tempestive injungi, (1) ut se de modico tempore non valeant excusare. (2)

Cum autem aliquis se excusat, et non habet causam rationabilem, non debet esse facilis ad relaxandum eum, sed omnino urgere, et omnem operam polliceri.

Si autem imminente die praedicationis, appareat ei quod debeat esse defectus sermonis ex causa quacumque, debet rogare praelatum, vel alium ad hoc idoneum, quod suppleat hunc defectum, vel ipsemet

---

(1) Cod. Vien.: debet.... injungi. — (2) Hic addunt nonuulla edita: « Debet etiam dirigere fratres, maxime juniores, indicando in quibus libris invenire possint opportunas materias ad praedicandum, magis utiles ad salutem audientium, et diligentiam adhibere quod tales libri in domo habeantur aut procurentur, quibus fratres magis proficere valeant, et circa hoc frequentius sollicitare priorem aut alios ad quos spectabit providere. »

suppleat; et ille qui defectum hujusmodi facit, suo tempore, vel in ipso die sermonis, in capitulo corrigatur.

Si autem aliqui fratres adeo inepti fuerint, quod non speretur quod unquam possint habere modum praedicandi, non oportet quod sit nimis importunus istis ad recipiendum sermones.

Ipsius etiam est praemonere fratres, quibus injunguntur sermones, ut caveant a prolixitate sermonum, et interdum juxta eos sedere, ut cum nimis prolongant sermones, faciat eis signum.

Cum autem aliquid reprehensibile audierit in sermone, debet ipsa die hora competenti charitative ostendere fratri, ut alias caveat circa illud. (1)

Porro sermones alios ad populum vel in villa, vel extra, debet alii, cui prior injunxerit, imponere; et annexa illi officio exequi, vel ipsemet, ubi propter paucitatem fratrum hoc ei committitur a praelato.

III. Circa collationes.

Item, (2) ad ipsum pertinet convocare fratres aliquo signo (3) ad collationes in loco apto ad hoc, secundum ordinationem prioris: et hoc semel, vel bis in septimana, vel frequentius, ubi, vel quando non sunt lectiones.

Facienda autem est hujusmodi convocatio cum signo ad hoc determinato, vel post nonam, binae refectionis tempore; vel post vesperas, tempore jejunii; vel inter comestionem et completorium in quadragesima; vel alia hora, in qua fratres commodius possint interesse communiter, secundum consilium et voluntatem prioris.

---

(1) Hic addunt nonnulla edita: « Vel si melius videbitur et fructuosius, antequam sermo fiat in conventu, praevidere quid ibi sit dicendum, et blande corrigere, si quid displicuerit, ne forte frater concionaturus animum despondeat. » — (2) Hic praemittunt nonnunquam edita: « Circa collationes quae fieri ejus opera et diligentia inter fratres solent, advertat imprimis quod ad eas non sunt admittendi extranei sive saeculares, sive religiosi alterius ordinis: nisi adeo essent familiares quod in defectibus fratrum, si quos ibi viderent, credatur eos non esse scandalizandos. Tam vero circa collationes privatas, quam circa publicas disputationes, ad eum spectat suggerere priori admonitiones quas in capitulo faciat fratribus, ad hoc ut bene se habeant religiose in omnibus praedictis. » - Quae hic in his capitulis adduntur, Humberto nostro nullatenus tribuenda sunt; sed potius selecta fuere ex capitulis alias ablatis. — (3) τὸ « aliquo signo » deest in cod. Vien.

In hujusmodi autem collationibus solet interdum recitari aliqua quaestio determinata in scholis, ab illo cui fuerit injunctum; vel recitari aliqua ab aliquo qui eam praeviderit, ex injunctione sibi facta; et post recitationes, fratres qui volunt, opponunt recitanti, et ita exercitant se opponendo (1) et respondendo.

Vel solet ab eo quaeri aliquid de lectionibus, vel quaestionibus auditis a fratribus aliquibus, ut videatur de profectu eorum.

Vel solent fieri collationes de moralibus, vel de certa aliqua materia, ut de evangelio, vel de epistola, vel de summa de vitiis et virtutibus, vel de casibus, et similibus: ita quod quilibet frater sciat de quo titulo debeat recitare, vel de quolibet ad voluntatem cujuslibet; et ab illis qui non sunt adhuc sufficientes ad majora, saltem aliqua notabilis auctoritas recitari.

Solet autem interdum ordinari quod unus chorus dicat una vice, et alius alia vice; vel certis fratribus injungi quod faciant collationem alii in una die, alii in alia die; et sic de aliis.

Et de modis istis quis servetur, fiat cum consilio prioris quod melius videbitur.

Fratres autem qui non faciunt quod debuerint, vel in aliquo ibidem offendunt, vel falsum dicendo, vel auctoritatem aliquam non bono modo assignando, vel confuse, vel prolixe loquendo, vel ibidem clamose contendendo, vel alias quoquo modo reprehensibiliter se habendo, debet ibidem verbis corrigere cum humilitate et curialitate, et de excessibus gravioribus suo tempore in capitulo accusare.

Cum vero sunt intermissae aliquando collationes, et debent resumi, debet hoc praedici in capitulo praecedenti, et ordinari quomodo fiant.

Non solent autem ad hujusmodi collationes recipi extranei, nisi essent adeo familiares quod in defectibus fratrum, si quos ibi vident, non scandalizentur.

IV. Circa disputationes.

Ipsius etiam interest instare quod fiant disputationes, cum expedit; vel quod non fiant, vel raro fiant, quando non est ad hoc lector sufficiens, vel non sunt qui conve-

(1) Cod. Vien.: proponendo.

nienter possunt opponere, vel respondere, vel non creditur propter auditorum conditionem quod sequatur inde notabilis utilitas.

Cum autem fiunt, debet conferre cum lectore quod fiant de utili materia, et de qua fratres possint (1) habere convenientia scripta, in quibus inveniant de illa materia. (2)

Debet etiam ante praedicere fratribus tempestive de quo fieri debet disputatio, ut sibi provideant; et docere in quibus scriptis et ubi possint de illa materia invenire.

Debet autem semper injungere alicui ut sibi provideat de respondendo, si necesse fuerit, ne sit in hoc unquam defectus.

Debet etiam injungere fratribus qui sunt ad hoc idonei, quod semper in omni disputatione sint parati opponere in aliquo, et quod sibi in hoc provideant illi qui sine praevisione ad hoc sufficere non putantur.

Non debet autem aliquis incipere opponere, vel respondere in scholis, nisi prius ei hoc impositum fuerit, vel licentiam habuerit.

Extranei vero, quando veniunt ad disputationes, honorandi sunt ab omnibus, (3) ut cedatur eis cum volunt opponere, et invitentur ad respondendum: et si male dicunt, non confundantur, nec contendatur cum eis, et in hujusmodi et similibus caveatur ab eorum offensa.

Porro si quis, vel frater, vel lector in disputando in aliquo reprehensibiliter se habuerit, debet eum super hoc suo tempore in capitulo proclamare.

Debet etiam suggerere priori admonitiones quas faciat in capitulo fratribus, ad habendum se religiose in disputationibus.

Si autem aliquis contentiosus notabiliter in disputatione se habeat, et non speretur de ejus correctione, debet ei imponere silentium extra scholas in aliquo loco charitative, vel suggerere priori quod hoc faciat in capitulo publice; vel privatim, si magis visum fuerit expedire.

V. Circa lectiones. Item, ad ipsum pertinet conferre cum fratribus quae et quot sint lectiones legendae; et ad illud quod ei visum fuerit utilius, inducere lectorem.

---

(1) Cod. Vien.: valeant. — (2) Edit. addunt: necessaria. — (3) Edit.: honorandi sunt ut cedatur eis ab omnibus.

Debet etiam ordinare de libris, et bibliis vel domus, vel fratrum, qui fratres, quos libros habeant in scholis, et quot; et quod magis idoneis ad proficiendum melius provideatur in hoc; et quod portentur ad scholas, et lectionem respiciant fratres in eis diligenter, et repetant.

Ubi vero est studium solemne, vel magna multitudo fratrum, vel aliorum auditorum, debet procurare, si potest, quod habeatur aliquis frater qui legat extraordinarie tempore vacationum; et in diebus etiam quibus non legit lector, vel non disputat.

Item, quod ubi non est lector, saltem sit aliqua lectio levis, vel de historiis, vel de aliqua summa, vel similibus; et si aliqui sunt juvenes habiles ad proficiendum, habeant aliquem lectorem in grammaticalibus, vel logicalibus, et similibus, prius super hoc licentia impetrata.

Item, debet providere quod fiat repetitio lectionum semper, vel per eum, vel per alium, vel per alios; vel modo per istum, vel modo per alium; vel una lectio per unum, (et) alia repetatur per alium, prout ab ipso, vel a priore fuerit ordinatum.

Fratres vero qui possunt, et non sunt multum provecti in scientia, et maxime juniores, sunt compellendi repetitioni hujusmodi interesse.

VI. Circa profectum fratrum in studio.

Item, ad ipsum pertinet gerere sollicitudinem circa fratres omnes et singulos, quomodo se habeant circa studium, vedelicet qui frequentant scholas, collationes, disputationes, repetitiones; vel qui non libenter in cellis resident, vel sunt vagi; qui scribunt, quid scribunt, vel quid faciunt scribere: utrum videlicet utilia vel curiosa; vel utrum de utili, ac legibili littera, vel non; vel qui student, et in quo student; qui habent voluntatem proficiendi in studio, et qui non curant; qui student ordinate, et qui confuse; qui circa utilia, qui circa curiosa; qui libenter audiunt vel interrogant quod nesciunt, et qui non: et quidquid circa hoc et similia invenerit reprehensibile in aliquo, studeat emendare, modo per admonitiones secretas et charitativas, modo per accusationes in capitulo, et modis aliis quibus poterit diligenter.

Cum autem fuerint aliqui in conventu, de quorum profectu in studio multum speretur, et sunt bene morigerati, debet laborare ut

detur eis occasio et adjutorium ad proficiendum in studio, juvando eos ad hoc in quibus potest per se, et innotescendo hoc majoribus, et intercedendo pro eis ut provideatur eis in libris, ut mittantur ad studia meliora, ut parcatur eis ab aliis occupationibus, ut fiant eis aliquae recreationes, si fuerint debiles, ut habeant aliquas licentias ab officio remanendi, et similia, quae possunt ad promotionem valere praedictam.

CAP. XIII.

DE OFFICIO LIBRARII

I. Circa armarium. Officium librarii est habere curam, ut potest quod habeatur bonus locus pro libraria, et securus, et bene aptatus contra pluviam, intemperiem, et copiam habens boni aeris pro libris custodiendis.

Armarium (1) autem, in quo libri reponantur, debet esse de lignea materia, ut melius custodiantur a putrefactione, vel nimia humectatione; et habere multa intermedia et distinctiones, in quibus reponentur libri, et scripta secundum diversas facultates; vel diversi libri, et postillae, et summulae, et hujusmodi ejusdem facultatis separatim, et non confuse, cum signationibus debitis factis per scripturam, quae applicanda est unicuique interstitio, ut sciatur ubi inveniatur quod quaeritur.

Debet autem ipse custodire clavem hujusmodi armarii seu librariae, et aperire et claudere tempore suo; et habere cellam pro studio, si locus est aptus, in ipsa libraria, vel prope, ut citius inveniatur, cum quaeritur pro aliquo negotio ad suum officium pertinente.

---

(1) « Armarium dicitur generaliter locus ubi instrumenta et arma cujuscumque artis reponuntur, quia cujuslibet artis sunt sua arma: ut clericorum arma sunt libri. » Joan. Jan. *Cathol.* voc. *Armarium.*

II. Circa libros. Item, ad ipsum pertinet habere chartam, in qua sint scripti omnes libri et scripta conventus; et cum augmentantur vel minuuntur, scribere, vel abradere in charta illa, sicut fuerit faciendum.

Hujusmodi autem chartam debet tradere successori suo, cum dimittit officium; et accipere a praedecessore, cum assumit officium de novo: ut sic semper possit reddi ratio de libris, cum exigitur a praelato, ne per oblivionem eos deperire contingat.

Ipsius etiam interest habere curam quod per se, vel per alium, secundum ordinationem prioris, corrigantur, reparentur, cooperiantur, et bene ligentur; et signetur in unoquoque volumine in tergo, cujusmodi libri, vel liber sit; vel cujus scriptum, vel scripta contineantur in illo; et in principio cujuslibet ponatur titulus hujusmodi: Iste liber, vel istud volumen continet hoc et hoc, et est talis conventus fratrum praedicatorum. Et si fuerit dignum quod dator libri in memoria habeatur, addatur, et dicatur: Quem dedit talis (1) pro anima sua.

Debet etiam dare operam quod libri communes sub eo augmententur, acquirendo eleemosynas ad hoc aliquas, cum potest; vel a novitiis, cum intrant et habent, libros aliquos acquirendo; vel procurando erga majores quod aliquis scriptor, vel aliqui ad hoc habeantur in domo, vel extra; vel laborando quod de libris fratrum decedentium aliqui ad usus communes applicentur, et modis aliis quibus poterit competenter.

Item, debet apponere curam quod libri qui non habentur in omni genere facultatum, habeantur.

Cum autem habentur aliqui duplices, vel triplices, de quibus fratres non multum indigent, retentis melioribus, alii cum licentia vendantur, et pretium in alios, qui (2) non habentur, convertatur; et idem fiat de veteribus, vel male legibilibus, vel alias parum valentibus.

Item, semel in anno, vel bis, debet omnes recolligere, et ad

(1) Cod. Vien.:... habeatur, dicatur quod dedit talis.... — (2) Edit.: in alios usus librorum qui....

locum idoneum reportare, cum sociis ad hoc sibi deputatis, ad vertendum, et ad videndum ne aliquis perierit, vel ne aliquis a vermibus vel alias destruatur.

Quod si aliquem invenerit deesse, debet diligenter laborare quod reinveniatur.

Si autem aliquis laesus fuerit in aliquo, debet apponere curam quod reparetur, et cavere in antea ab his quae libris invenerit nocuisse.

Cum etiam viderit aliquos libros de armario alicubi otiosos, debet illos ad armarium reportare.

III. Circa usum librorum. Item, ad ipsum pertinet providere quod in aliquo loco silentii et apto, sit aliquis pulpitus magnus, vel plures, in quibus ligentur aliqui libri bene legibiles, quibus frequentius fratres indigent cum habentur, ut est *Biblia* glossata in toto, vel in parte, *Biblia* sine glossis, *Summae de casibus,* et *Gaufredi,* et *De vitiis et virtutibus,* et *De quaestionibus, Concordantiae, Interpretationes, Decreta, Decretales, Distinctiones morales, Sermones varii de festis et dominicis* per totum annum, *Historiae, Sententiae, Chronica, Passiones,* et *Legendae sanctorum, Historia ecclesiastica,* et similia multa, ut communitas fratrum in promptu possit illa habere.

Armarium vero sic debet apertum tenere certo tempore, vel esse juxta ipsum, vel in ipso, ut qui volunt aliquid in transitu videre in aliis libris qui sunt in eo, vel aliquem habere ad horam brevem, possint copiam eorum de facili habere. (1)

Porro cum aliqui fratres volunt habere aliquem librum, vel scriptum aliquod, non ad horam, sed ad portandum ad scholas, vel ad tenendum diu in cella, debet secundum consilium magistri studentium assignare quibus et quos ipse judicaverit expedire, et facere memoriale in scripto qui fratres quos libros habent assignatos hoc modo, et cum reddiderint, memoriale delere.

Fratres vero qui libros deturpaverint, vel in eis aliquid propria auctoritate scripserint vel deleverint, vel in aliquo negligenter seu male tractaverint, aut in aliquo offenderint circa pertinentia ad suum

---

(1) Quae sequuntur, usque de capitulum XV, pessime in editis ablata sunt.

officium, debet suo tempore proclamare, et admonitiones faciendas fratribus circa idem praelato suggerere tempore oportuno.

Item, cum aliqui libri vel scripta petuntur mutuo, debet super hoc memoriale fieri, vel pignus interdum accipi, ne contigat libros hujusmodi deperire.

Qui vero mutuo accipiunt ab aliis, debent per manum ejus accipere, et ipse debet super hoc memorialia facere, et habere curam quod bene custodiantur, et suo tempore sine mora reddantur, et pignus, si datum fuerat, retrahatur.

IV. Circa annexa studio. Item, ipsius interest habere in libraria encaustum pennas, pumices, cretam, plumbos, regulas, cultellinos ad scindendum pennas, sebum vel candelas ad vigilandum de nocte, et omnia hujusmodi ad scribendum, vel studendum, vel vigilandum necessaria, et fratribus sine difficultate cum indiguerint ministrare.

Pargamenum etiam secundum consilium magistri studentium dare debet illis quibus dixerit, maxime ad scribendum ea quae audiunt in lectionibus, vel disputationibus, vel sermonibus, vel in aliis etiam casibus, de praelati licentia speciali.

Expensas vero pro pertinentibus ad officium suum necessarias debet accipere a procuratore, vel de quaestu acquirere, vel aliter, prout prior duxerit ordinandum.

CAP. XIV.

DE OFFICIO GERENTIS CURAM SCRIPTORUM

I. Circa scripta. Officium fratris qui gerit curam de scriptis est sic diligenter et sollicite procurare scripta omnia, tam conventus quam fratrum singulorum, quod ab hujusmodi sollicitudine sint omnes alii expediti.

Ubi vero multa sunt circa hujusmodi facienda, ita quod cella sua ei non sufficit, assignandus est ei locus aliquis alius idoneus ad reservandum vel pargamenum, vel pecunias, vel alia hujusmodi, vel (ad) aliqua opera facienda ad officium suum pertinentia.

Debet autem opponere curam quod omnia quae facit scribi plus sint de legibili littera et durabili, quam formata multum vel pretiosa, et maxime circa conventus libros vel scripta.

Cum autem facit aliquid scribi pro fratre, prius debet ei constare quod frater habeat licentiam, et pecuniam cum licentia quae ad opus illud sufficiat.

Si autem vult frater sibi scribi aliquod opus curiosum, vel minus utile, vel scripturam nimis pretiosam vel curiosam fieri, vel nimis subtilem, non debet in illo opere procedere nisi prius conferat de hoc cum magistro studentium et praelato, ut tunc de approbatione praelati fiat quod fuerit faciendum.

Si autem aliquis frater intromittit se de scriptis suis nimis, vel in aliquo circa hoc ipsum vel scriptores molestat, vel alios offendit, debet hoc indicare priori, vel ipsum proclamare ut corrigatur.

Ad ipsum etiam pertinet emere vel vendere libros et pargamena quae fuerint emenda vel vendenda in domo pro fratribus vel conventu.

Porro pecuniam quae pro hujusmodi opere fuerit commendata, vel in summa, vel per partes, sic debet sagaciter custodire ne pereat; sic distincte, ne confundatur una cum alia; sic expendere prudenter, ut possit semper de omnibus reddere rationem.

II. Circa scriptores. Item, ipsius est habere bonam cautelam circa scriptores, ne eum decipiant, ne sint tales qui nimis mendaciter scribant, ne sint tam infames quod ex eorum familiaritate ad fratres nascatur scandalum, ne aliqui malae vitae evidenter unquam morentur cum fratribus, et similia.

Item, quod si aliqui morantur cum fratribus, vel continue, vel de die, quod in tali loco ponantur quod secreta fratrum non sciant; vel eos, vel facta eorum facile non videant.

Si autem domus debet eis providere in victualibus, super hoc quomodo fiat hora debita, et per quos, debet curam habere.

Item, cum tractat pecuniam occasione officii, vel solvendo scriptores, vel emendo aliqua, et hujusmodi, sic occulte et caute debet hoc facere, quod videntes extranei in ordinem non scandalizentur.

Porro si quis frater scribat aliquid pro domo ex ordinatione prioris, debet ei necessaria quaerere et ministrare.

Debet etiam suggerere priori, vel visitatoribus, vel aliis majoribus, ut ordinent quod fiant aliqua scripta pro domo, vel teneantur scriptores, et hujusmodi, ad augmentationem librorum vel scriptorum, prout viderint facultates domus posse portare.

CAP. XV.

DE OFFICIO EXAMINATORUM

Officium examinatorum est reddere cautos fratres qui aliquem volunt examinari, quod non praesentent aliquem de quo certum sit quod non sit sufficiens, ne fiat ei qui talis est confusio pro nihilo.

Illos etiam de quibus veraciter constat per certos testes, vel facti evidentiam, vel famam publicam, quod sunt bene sufficientes, non oportet examinare, sed referre priori hujusmodi certitudinem.

Cum autem de aliquo propter dubium fuerit examinatio facienda, non expedit quod fiat cum aliqua solemnitate vel acerbe; sed ita urbane quod ipse qui examinatur quod sit examinatus plenarie non advertat: (1) quod fiet quando divisim, vel etiam simul examinatores eundo per hortum, vel alibi, loquuntur latine cum eo, modo de rumoribus mundi, modo de rebus impertinentibus ad scientias, modo de scientia aliqua inquirendo in qua studuit, et quantum, et ubi, et sub quibus magistris: et sic intrando quasi insensibiliter ad inquirendum aliquid de scientia in qua (2) studuit, et modo transferendo se ad alios rumores, modo revertendo ad propositum.

Magis autem attendendum est ad ingenium, ad facundiam, ad aptitudinem ad addiscendum, et ad bonam dispositionem naturalem, quam ad hoc quod multa audierit, et diu.

---

(1) Cod. Vien.: quod ipse qui examinatur quid fiat plenarie non advertat. — (2) Cod. Vien.: in quo.

Possunt etiam examinare illos qui sciunt scribere, impŏnendo eis quod faciant aliquam litteram de aliqua materia, quam dent eis quasi ad videndum quomodo sciunt scribere; et tunc possunt ex modo dictandi aliquid conjicere de sufficientia sua.

Possunt etiam inquirere si sciunt cantare et legere, ut, si in hujusmodi sunt excellentes, possit facilius cum eis in alia insufficientia dispensari.

Potest autem sufficiens quoad scientiam reputari quicumque talis est quod ex bono ingenio, et aliis donis (1) naturalibus, et ex scientia jam acquisita, vel ex aliis quae apparent in eo, potest aestimari quod possit theologiam addiscere, et apud fratres proficere, ad hoc ut possit tantum intelligere de Scripturis, quod possit fieri praedicator, vel confessor securus.

Verumtamen secundum statum et indigentiam provinciarum, vel conventuum, et abundantiam vel penuriam litteratorum in natione, facilius sunt aliqui recipiendi in uno loco quam in alio; et possunt secundum modum patriae alicubi aliqui sufficientes reputari, (2) qui alibi insufficientes reputantur.

Porro inquisitio de moribus sic caute est facienda vel a sociis, vel a notis, quod ipsi non advertant propter quid fiat.

Hujusmodi autem inquisitio fieri debet maxime circa vitia quae sunt quasi naturalia et inseparabilia, ut scilicet innata iracundia, ebriositas; vel a debilitate naturae provenientia, vel a vitiosa consuetudine, ut dispositio ad furiositatem, vel malitiam, vel percussionem, vel hujusmodi perpetranda: et a receptione talium et similium, de quorum correctione spes non habetur, summopere est cavendum.

Si vero post examinationem de scientia et moribus hujusmodi, videatur examinatoribus quod indubitanter recipi debeat examinatus sic a conventu, possunt antequam plus procedatur, inquirere leviter de illis impedimentis recipiendorum, quae in constitutionibus sunt expressa, ne forte in vanum ulterius procedatur, si tale aliquod habeat propter quod nullo modo sit recipiendus.

---

(1) Cod. Vien.: bonis. — (2) Edit.: judicari.

De omnibus autem quae invenerint, debent priori et conventui relationem facere fideliter, nec zelo receptionis vel repulsionis in partem aliquam declinare.

CAP. XVI.

DE OFFICIO CIRCATORIS

Officium circatoris debet imponi tali fratri qui sit zelator religionis, et maturus, et industrius ad cognoscendum ea quae sunt religionis, vel contra; (1) non praeceps in zelo suo.

Hujusmodi ergo officium est circuire per totam domum, et per omnes officinas, et in ecclesia etiam exteriori, et ubi fratres solent confessiones audire, vel loqui, vel morari cum exterioribus; et per omnia alia loca infra ambitum clausurae exterioris, semel vel pluries in die, praecipue cum viderit expedire.

Specialiter vero post prandium tempore dormitionis id facere tenetur, et notare si alicubi invenerit in quocunque loco aliquid fieri ab aliquo fratre, sive majore, sive minore, quod sit contra religionem, vel debitam honestatem.

Praecipue autem debet circuire post ultimum signum, vel cum lumine, cum profunda nox fuerit, vel sine lumine, cum adhuc diescit, per hospitium et infirmitorium, ad videndum si sunt adhuc in locutionibus vel aliis aliquibus dissolutionibus fratres aliqui; et per ostia singula claudenda, ad videndum utrum sint bene clausa. Et tempore matutinarum interdum per dormitorium et cellas, ad videndum si aliqui remanserint in lectis, vel si dicunt matutinas qui remanent de licentia, loco et tempore debito; vel si qui habent licentiam causa studii, vacant studio tunc, vel revertuntur ad lectos.

Verum non est ejus singula circumeundo corrigere, sed notare, et memoriae commendare, et proclamare proclamandos in capitulo,

(1) In cod. Vien. τὸ « maturus » hic reponitur.

et referre graviores dissolutiones et magis inusitata praelatis, ut majus apponant consilium; et tempore visitationis provinciali vel alii visitatori statum domus quoad religionis observantiam (1) plenius indicare.

Potest tamen aliquod leve verbum dicere interdum, vel signum aliquod leve facere in transitu, ad dissolutiones aliquas compescendas, et praecipue post ultimum signum, vel tempore dormitionis diurnae.

Potest facere signa ad imponendum silentium loquentibus extra horam, etiamsi praelatum quemcumque interesse contingat.

Potest etiam et debet interdum, cum fratres aliquos videt deesse de choro, vel lectionibus, vel collationibus et hujusmodi, quibus debent communiter interesse, exire et explorare ubi sunt, et notare si causam habeant aliquam remanendi.

Ad ipsum etiam pertinet diligenter notare si clausura domus sit bona, si bona ostia, si bonae claves ubique; et si quid in iis emendandum fuerit, pro hoc instare apud praelatos frequenter.

De claudendis vero ostiis aliquibus, vel clavibus ostiorum aliquibus custodiendis, et accipiendis, et reddendis, facere debet quod a priore fuerit ordinatum.

Porro si conventus adeo magnus fuerit quod unus circator non sufficiat, debent assignari duo vel plures: et ipsi ita inter se dividere officium per loca et tempora, quod nihil ex mutua confidentia negligatur.

Si autem circatorem deesse (2) contigerit ad breve tempus, debet alicui vices suas committerre; si ad longum tempus, debet ad memoriam reducere praelato quod alicui vices suas imponat usque ad suum regressum.

Item, prior et supprior possunt et debent interdum hujusmodi officium exercere, non obstante quod sit alius circator, cum eis videbitur expedire.

(1) Cod. Vien.: observantias. — (2) Edit.: recedere.

CAP. XVII.

DE OFFICIO CUSTODIS DORMITORII

Custodia dormitorii solet injungi fratribus per septimanas in tabula; vel alicui converso, seu clerico, qui ad alia minus utilis invenitur, potest injungi simpliciter. (1)

Hujusmodi autem officium est claudere et aperire dormitorium suis temporibus.

Cum autem post ultimum signum, vel post secundam mensam, tempore dormitionis fuerit claudendum, debet facere custos aliquod signum modicum cum clavibus parum antequam claudat, ut si qui adhuc extra sunt, intrare festinent.

Verum si fuerint hospites fratres, debet investigare utrum fuerint expediti; et si sic, propter eos non oportet amplius expectare.

Si autem non fuerint adhuc expediti, et intrare debeant dormitorium, potest aliquantulum expectare, et signum eis facere quod festinent.

Ad eum etiam pertinet claudere et aperire fenestras communes dormitorii, et cellarum, et camerarum; et etiam proprias singularum cellarum in absentia fratrum, cum fuerint aperiendae vel claudendae causa aeris, vel pluviae, vel caloris, vel frigoris, vel venti, vel alicujus inquietudinis, et hujusmodi.

Ipsius etiam interest providere ne aliquod ostium vel fenestra faciat inquietudinem tempore ventoso, et ponere repagula in ostiis et fenestris, cum fuerint reponenda.

Cum autem pluvia superinundat, debet cito succurrere in locis in quibus maxime nocere potest, et praecipue circa libros.

Defectus autem circa ostia, et fenestras, et claves, et repagula, et cooperturam dormitorii, cellarum, camerarum, et domorum alia-

---

(1) Cod. Vien. primitus: Custodia dormitorii solet injungi fratribus simplicibus.

rum, et viarum, si quae sunt his annexae, debet significare priori, et instare ut emendentur.

Item, ad ipsum pertinet providere de oleo in lampadibus dormitorii, et cameris, et in viis inter haec; et accendere, et extinguere hujusmodi lumina tempore suo.

Si autem in aliquo casu contingat omnia extingui, ipsius est ad ecclesiam vel coquinam festinare pro igne habendo.

Item, ipsius est, si aliquae immunditiae inveniantur in cameris, quae sint abstergendae, vel dormitorium sit scopandum, vel cellae, hoc per se facere, si potest commode, vel cum aliis adjutoribus sibi datis.

Item, debet habere curam quod sic semper sit aptatum dormitorium, quod si quos intrare contigerit, nihil ibi videant quod eorum offendat aspectum.

Et ideo cum fratres non cooperiunt honeste lectos suos, vel caligas seu vestes alias non reponunt in loco debito, vel urinalia seu vasa alia ad eorum usus, unde oritur corruptio, dimittunt de die in dormitorio, vel bottas vel contisias in propatulo ante lectos, et similia, debet eorum negligentias in hoc supplere, faciendo circa haec quod fieri debet, et ipsos super hujusmodi negligentiis in capitulo proclamare.

Item, si fuerint plura ostia in dormitorio, debet habere locum ad sedendum, vel studendum (1) prope illud per quod communior est ingressus saecularium de die, et alia si fuerint claudenda claudere.

Juxta introitum vero illius ostii debet esse campanula parva, in qua faciant signum illi fratres qui introducunt extraneos, vel ipse si praesciverit ingressum istorum, et illi fratres omiserunt facere signum illud, ut fratres qui sunt in dormitorio vel in cellis, hoc audito, caveant ne apud eos aliquid videant quod eorum offendat aspectum, et in quo male aedificentur.

Ipse etiam debet esse sollicitus ne per illos qui sic intrant, vel etiam occasione aliquorum operum, libros aliquos vel res alias deperire contingat.

---

(1) Cod. Vien.: vel scribendum.

Item, debet providere quod in pulpito, (1) seu in loco in quo fratres remanentes a choro in matutinis vel aliis horis, solent dicere officium in dormitorio, seu in cellis, semper inveniantur libri parati ad dicendum officium, et lumen de nocte, et absconsa et alia hujusmodi necessaria ad officium dicendum.

Debet etiam interdum illos qui extraordinarie veniunt illuc ad officium dicendum juvare, cum indigent adjutorio; praecipue si fuerint infirmi, vel justo impedimento detenti, ut non venirent cum aliis hora sua. (2)

Item, causa servandi dormitorium securum vel salvum potest remanere a matutinis vel aliis horis, vel a prima mensa, cum necesse fuerit, et prior duxerit ordinandum.

Si vero non hoc fuerit visum priori, nihilominus cum vadit ad horas vel ad mensam, debet habere curam quod claudantur quae claudenda fuerint, vel ponatur ad custodiam alius loco sui.

Item, pertinet ad eum, cum sunt aliqui lecti in quibus nulli jacent, sic eos aptare quod non appareant incompositi vel indecentes; cum supersunt aliquae paleae, sic eas removere, quod non sint occasio ignis; cum excrescunt telae aranearum in aliquibus locis, et hujusmodi indecentiae, eas removere frequenter, et ipsum dormitorium in omnibus mundum et honestum servare.

Notare quoque fratres qui aliqua reprehensibilia habent vel faciunt circa lectos et cellas suas, et ipsos in capitulo proclamare.

Fratribus vero, qui circa se sunt indigentes aut in coopertoriis, aut in cussinis, aut in lecti commoditate aliqua, et similibus, compati debet, et procurare quod eis melius provideatur.

CAP. XVIII.

DE OFFICIO PORTARII

I. Circa statum portarii.

Custodia portae debet injungi tali fratri converso, vel clerico, si potest haberi, qui sit aetate provectus, reli-

(1) Nota istam vocabuli hujus acceptionem. De qua vide Du Cange, voc. *pulpitrum* et *pulpitum*. — (2) Cod. Vien.: quod non dixerunt cum aliis horam suam.

giosus, aspectu gratiosus, et in actibus securus contra omne vitium, discretus in sensu, prudens in responsis, dulcis in affatu; qui nullum multiplicatis interrogationibus vel dilationibus fatiget, nullum dura responsione, aut injuriosa, vel rusticana collocutione commoveat; qui scandalizatos sciat placare, et omnes cum eo moram aliquam contrahentes, vel eidem se applicantes, verbis et factis aedificare sufficiat.

Hic debet habere locum aliquem aptum juxta portam intrinsecus, in quo cum non habeat aliam operationem, operetur aliquid, si est conversus; vel legat, vel scribat, vel aliquid honestum faciat, si est clericus.

Non autem debet esse vagus, sed ibi continue residere, nisi forte ex causa rationabili interdum declinet; (1) et alium tunc, vel socium, si habet, loco sui relinquat.

Cum autem alibi eum declinare oportet, et nullus ibidem remanet, sic debet ostium firmare quod nullus ante suum regressum possit intrare.

In hoc quoque loco, cum socium non habuerit, poterit tempore dormitionis diurnae remanere propter advenientes, vel vigilare, vel paululum dormitare, et in nocte a matutinis remanere: nisi per priorem aliter fuerit ordinatum, videlicet ut de die dormiat, et aliquis sit in illo loco illa hora pro eo; et hoc idem servetur de remanendo a prima mensa, et collatione, hoc addito quod cum comedit in secunda mensa, ordinetur qui tunc portam custodiat loco ejus.

Si autem socium habuerit fratrem, tunc per septimanas possunt dividere quis de die lectum intret, et in prima mensa comedat, et intersit collationi communi.

Si vero fuerit saecularis socius, tunc secundum ordinationem prioris fiat de dormiendo de die, et comendendo in prima mensa, et de conveniendo ad collationem communem, ita quod socius semper portam custodiat, cum ipse fuerit absens.

Porro ab horis diurnis et missa semper remanere potest, si fuerit conversus, et de loco portae missam audire; vel in mane aliquam privatam, antequam in suo officio eum oporteat occupari.

---

(1) Cod. Vien.: nisi forte cum ex causa rationabili alibi interdum declinat.

Si autem fuerit clericus, eodem modo ab horis potest remanere, nisi ubi propter paucitatem fratrum sit ejus praesentia interdum necessaria, et quod semper missam audiat conventualem, vel privatam: proviso tamen quod in his casibus aliquis sit in porta loco sui.

Si vero fuerint duo fratres ad portam, tunc si sunt ambo clerici, vel unus, semper clericus unus sit in officio, si potest alius competenter supplere quae tunc circa portae custodiam sunt agenda.

II. Circa multa officia ejus.

Item, ad eum pertinet habere curam de portis per quas est ingressus ad curiam exteriorem et ad claustrum, claudendis et aperiendis suo tempore; et claves vel servare, vel tradere illi servandas de quo prior ordinaverit.

Si autem aliqui de nocte pulsaverint ad intrandum, vel exire voluerint, debet investigare causas, et cum difficultate, et non sine licentia speciali tunc alicui aperire.

Item, cum aliqui pauperes petunt eleemosynam aliquam, debet eis pie respondere, et si viderit eos dignos miseratione, procurare eis quod poterit bono modo.

Similiter cum aliqui pauperes clerici, vel religiosi, vel peregrini transeuntes petunt hospitium, vel comestionem, debet vel urbane negare ostendendo paupertatem domus, vel consuetudinem contrariam; vel procurare quod petunt erga illos ad quos pertinet, si fuerint personae dignae, vel de scandalo, si non fiat, timeatur.

Cum autem aliquae personae recipiuntur ad comedendum ad portam intus vel extra, debet gerere curam de ministrando eis charitative et munde quod fuerit ministrandum, et curialiter licentiare cum fuerint expeditae.

Item, ipsius est cum omnibus qui cum eo resident, vel moram contrahunt, aliquid loqui de Deo, et cavere ne quis scandalizatus recedat ab eo.

Item, cum videt aliquos per domum discurrentes ad loca, vel officinas ad quas ire non debent, debet eos pacifice et curialiter ad loca alia revocare. (1)

---

(1) Cod. Flor.:... discurrentes ad loca inconsueta, debet eos mansuete ad loca alia revocare.

Eos vero qui quandoque intrant sine licentia, et sunt tales personae quae non consueverint licentiari ad intrandum, debet similiter pacifice et mansuete educere et inducere, ad egressum.

Item, cum pulsatur ad portam, cito debet adesse, et per fenestram (1) parvam aliquam, quae semper debet esse in ostio, antequam ostium aperiat, respicere personam pulsantis; et si fuerint tales personae quas non oportet introduci, ut mulieres, ribaldi, (2) et viles personae, debet eis satisfacere sicut poterit in his quae petunt, sine introductione.

Cum autem introducendi fuerint, si sunt personae excellentes, ducat eos ad capitulum, et advocet ibi ad illos fratres qui fuerint advocandi.

Si fuerint personae mediocres, remaneant prope portam, et ibi advocentur ad eos qui fuerint advocandi.

Si vero fuerint praelati, vel religiosi, primo ducantur ad ecclesiam ad orandum, quam ad capitulum.

Si vero fuerint fratres extranei, ducantur ad ecclesiam, et quaeratur qui det eis benedictionem, et post ad hospitium ducantur, et significetur statim hospitum receptori.

Si vero persona fuerit excellens, ut episcopus, vel abbas, vel vir nobilis, magnus amicus fratrum, vel similis domina venerit ad domum fratrum, debet hoc indicare praelatis, etiamsi non petantur ab eis.

Item, in recipiendo advenientes, debet habere modos diversos secundum differentiam personarum: omnes quidem in primo occursu debet affabiliter recipere et jucunde.

Si vero fuerint religiosi, cum humili inclinatione et reverentia.

Si episcopi, vel abbates excellentes, vel majores, cum majori humiliatione, vel osculando manus, vel flectendo genua, et hujusmodi similia secundum morem patriae.

Si Fratres Minores, vel nostri extranei, vel magni famigliares, cum summo gaudio et charitate magna.

---

(1) Cod. Vien.: fenestrulam. — (2) Ribaldi, gall.: *ribauds*. De his multa habes apud Ducange.

Si fuerint principes vel sublimes in statu saeculari, cum magno honore, tam per se quam per alios fratres ad hoc idem per ipsum invitatos.

Debet etiam habere magnam sollicitudinem de cognoscendis familiaribus fratrum, ut cum venerint nullus defectus fiat circa eorum receptionem; et debet fratribus qui non cognoscunt eos, eorum notitiam dare; et praelatos incitare ad ostendendum eis omnem familiaritatem et humanitatem in hospitio, et in aliis quibuscunque.

Porro cum mulierculis, (1) quae frequentant domum, pauca et magis dura quam mollia verba debet habere, et maxime cum mulieribus modicae auctoritatis, quae solent quaerere nimis fratres et detinere; quas etiam debet interdum repellere verbis asperis, et de nimia mora quam in domo faciunt increpare.

Item, in vocando fratres ad portam, debet servare modum qui a praelato fuerit ordinatus.

Ordinant autem praelati quandoque ex causa quod aliqui fratres nunquam vadant ad portam, aut nunquam ad mulieres, aut nunquam ad talem vel tales personas, aut nunquam, nisi prius dicatur eis: Talis aut talis vocatur a tali.

Quandoque autem dant licentiam aliquibus, ut confessoribus, vel aliis, qui possint ire, quandocumque vocantur; de aliis volunt ut non vadant sine licentia speciali primo quaesita a portario, non a fratre; vel e converso ab ipso, non a portario.

In his ergo et similibus observare debet domus consuetudinem et ordinationem prioris.

Item, ipsius interest notare fratres qui in aliquo excedunt circa portam, aut nimis loquendo cum mulieribus, aut frequenter, aut nimis frequenter et leviter veniendo, et morando in porta, aut qui duros se exhibent ad veniendum ad confessiones, et similia, et referre praelatis, vel proclamare interdum, vel facere proclamari eosdem.

Si quis etiam fuerit defectus in seris, in portis, in clavibus et repagulis, pertinentibus ad suum officium, debet hoc indicare priori, et instare quod emendetur.

---

(1) Cod. Vien.: mulieribus.

Porro si duo, vel plures fuerint portarii, debent onera et officia ita inter se dividere, quod in spe alterius alter defectum non faciat, sed fiant omnia plene et ordinate.

CAP. XIX.

DE OFFICIO DEPOSITARIORUM

Custodia depositorum solet imponi duobus vel tribus fratribus discretis et securis, quorum quilibet debet habere clavem unam de loco depositi, nec alii committere, sed apud se diligenter custodire.

Isti autem debent habere curam quod locus depositorum sit ita firmus et securus in omnem eventum, (1) quod nec ab interioribus nec ab exterioribus possit aliquatenus temeraria manus ad depositum aliquod unquam extendi.

Porro in recipiendo deposita, cavere debent ne unquam recipiant aliquod depositum sine licentia speciali, vel generali; nec deposita recipiant quae secundum constitutiones nostras recipi non debent, nisi forte ex dispensatione praelati expresse facta super hoc interdum ex causa.

Item, circa deponentem, si sit ignota persona, et possit haberi suspicio probabiliter ne forte aliquid fraudis sit in eo, procedendum est caute, ut ante receptionem depositi, inquiratur, sicut fieri poterit, de persona; et quod videatur quid deponere velit, si forte timeretur ne plumbum pro argento in sacco vel scrinio signato, vel similia vellet deponere.

Item, securius est quod semper illud quod recipitur, recipiatur signatum vel clausum quam aliter, quia in rebus quae sunt in pondere, numero et mensura, si aliter repeterentur, (2) videretur secundum jura quod transiret damnum, (3) apud depositarium, et non apud deponentem remaneret: et ideo si periret, posset agi contra depositarium, sicut de commodato.

---

(1) Cod. Vien.: in omni eventu. — (2) Edit.: reciperentur. — (3) Edit.: periculum.

Item, debet in aliquo memoriali superscribi cujus sit depositum, et quid inde deponens ordinaverit de reddendo sibi vel alii; vel quid inde esset faciendum, si contingeret non repeti, vel deponentem mori.

Item, solet interdum per chyrographum, cujus una pars sit apud deponentem, alia apud depositarium, ordinari de deposito secundum voluntatem deponentis de modo reddendi, licet istud secundum jura non reputetur multum efficax ad aliquod probandum.

Item, cavendum est depositariis ne unquam aliquid accipiant (1) de deposito, nec etiam pro mutuo, sine voluntate deponentis, nec frater depositarius tenetur super hoc in contrarium obedire praelato.

Item, depositum semper reddi debet secundum formam traditam a deponente, nisi in casibus quatuor exceptis a jure.

Primus est, cum quis gladium deponit, et furens repetit.

Secundus, cum deponens fuerit deportatus: nam bona ejus tunc in publicum deferuntur.

Tertius est, cum fur deponit et repetit, sed repetitio veri domini cum fure concurrit.

Quartus, cum fur rem furtivam deponit apud illum a quo subripuit.

Et sciendum quia si res deponitur praesente praelato et capitulo, tenetur ecclesia illa de deposito: aliter non nisi solus ille vel illi apud quos deponitur, ut est sacrista, thesaurarius, et hujusmodi.

Cum autem redditur depositum, semper sub bono testimonio reddi debet propter calumnias evitandas, quae nasci possent, si aliter fieret.

CAP. XX.

DE OFFICIO PROCURATORIS

I. Qualis debet esse procurator.

Procurator licet versetur circa temporalia, tamen quantae virtutis debeat esse debet considerari (2) ex verbis beati Benedicti de statu cellerarii, qui apud nos procurator vocatur, sic loquentis:

(1) Cod. Vien.: accipiatur. — (2) Cod Vien.: considerare.

« Cellerarius monasterii eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus : sed timens Deum, qui in congregatione sicut pater (1) curam gerat de omnibus; sine jussione patris nihil faciat; quae jubentur, custodiat; fratres non contristet.

« Si quis frater ab eo forte irrationabiliter aliqua postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget; animam suam custodiat, memor semper illius apostolici praecepti: Qui bene ministrat, gradum bonum sibi acquirit. 1 *Tim. 3.*

« Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio quod pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est.

« Omnia vasa monasterii, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum; nec avaritiae studeat, nec prodigus sit, aut dissipator substantiae monasterii, sed omnia mensurate faciat, et secundum jussionem abbatis sui.

« Humilitatem autem super omnia habeat, et cum ex substantia non est quod tribuatur, sermo bonus responsionis porrigatur, ut scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. *Eccli. 18.*

« Omnia quae ei injunxerit abbas ipse habeat cub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non praesumat.

« Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho (2) vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor eloquii divini quid mereatur: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Matth. 18.*

« Si congregatio fuerit magna, dentur ei solatia a quibus adjutus et ipse aequo animo adimpleat officium suum.

« Horis competentibus dentur quae danda sunt, et petantur quae petenda sunt, ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Domini. » (3)

---

(1) Cod. Vien.: qui omni congregationi sit sicut pater. — (2) Typhus, idem quod *superbia*. Cf. Ducange, voc. *Typus*. — (3) Hunc textum Regulae B. Benedicti ex codicibus nostris exhibemus; neque immutandum esse ad edi-

II. Circa actus multiplices. Ad hujus officium pertinet recipere omnia quae dantur domui, vel procurantur, vel obveniunt quoquo modo, nisi forte prior in aliquo aliter interdum duxerit ordinandum.

Item, facere et solvere omnes expensas quae fiunt in domo, nisi forte circa sacristiam, vel opera, vel alia hujusmodi, cum prior aliter ordinaverit faciendum.

Item, recitare fideliter beneficia omnium in capitulo.

Item, computare de omnibus coram priore et suppriore et fratribus consiliariis, quoties ipsis visum fuerit; et debet habere proprium registrum (1) in quo recepta et expensa sollicite scribat (2) quotidie, ne per oblivionem aliquid omittatur; (3) in quo etiam statum domus quoad ea quae debet et quae debentur eidem diligenter conscribat. (4)

Item, ipsius interest emere omnia quae emenda sunt tempore suo, ut ligna, oleum, corium, et similia, quae solent emi.

Similiter vendere, si qua vendenda fuerint, de his quae sub manu ejus sunt, ut bladum interdum, vel vinum superfluum, et hujusmodi. Quod cum fit, cum magna cautela et discretione, et occulte per familiares est faciendum.

Item, cum instat tempus ad procurandum in aliquo, vel quaerendum, debet suggerere praelatis tempestive quod ordinent de fratribus ad hoc mittendis.

Cum autem aliqua quaesita fuerint, et fratres non faciunt apportari, (5) debet habere curam qualiter apportentur, et apportata qualiter in locis debitis reponantur, et diligenter conserventur.

Item, debet habere sollicitudinem generalem ne aliquae res ex mala custodia depereant, vel male tractentur; ne fiant superfluitates in hospitio, vel infirmitorio, vel alibi, et ea quae remanent diligenter

---

tionum recentiorum normam consuimus, sicut et immutatas dimisimus omnes ubique, etiam Scripturam, auctoritates. De Regula B. Benedicti, Cf. D. Guignard, *Monuments primitifs de la Règle Cistercienne,* p. 30, ubi capitulum a V. Humberto relatum occurrit. — (1) Cod. Flor et edit.: scriptum. — (2) Cod. Vien.: scribatur. — (3) Cod. Vien.: praetermittatur. — (4) Edit. quandoque: diligenter et per singula describat. — (5) Cod. Vien.: apportare.

recolligantur; quod officiales particulares, ut servitor hospitum, servitor infirmorum, coquinarius, refectorarius et similes, officia sua diligenter faciant; et ad haec videnda (1) interdum discurrere debet per officinas, supplere defectus eorum, et super hujusmodi facere proclamationes in capitulo.

Item, ipsius est habere specialem curam quotidie de conventu et hospitibus, si fuerint procurandi, et de pictantiis secundum possibilitatem domus et prioris ordinationem faciendis.

Et super omnia cavere debet ne res corruptae vel putridae, quae sunt in periculum sanitatis, fratribus unquam dentur.

Cum autem panis fit in villa de bonis fratrum, vel pastilla, (2) vel alia hujusmodi, debet providere quod sic caute fiant quod ex his scandalum non sequatur.

Circa horam vero prandii debet semper visitare coquinam, et si res non sunt paratae, facere differri pulsationem cymbali, et cum viderit expedire, vel causa hospitum vel conventus, ut juvet in coquina ut melius fiant omnia, potest a prima mensa remanere.

Ad ipsum etiam pertinet tempore minutionis generalis vel particularis, tempore rasurae, tempore lotionis pedum vel capitum conventus, tempore ignis faciendi propter frigus pro conventu, cogitare, et providere de necessariis ad hoc, et pro ministris ad hoc necessariis requirere praelatum ut eos assignet, vel in tabula pronuncientur.

Item, fratribus extraneis, cum indigent aliqua pecunia, aut ratione nauli (3) solvendi, aut hujusmodi necessitatum, liberaliter dare; et cum recedunt, similia devote offerre.

Item, debet habere curam de cognoscendis amicis fratrum et familiaribus, et cum ad domum veniunt, eos honorifice et devote recipere et tractare.

Licet autem sine licentia generali vel speciali nihil dare debeat, tamen debet considerare quibus expediat aliquando aliqua servitia

---

(1) Cod. Vien.: ad hoc videndum. — (2) Pastilla, alia *pastilli,* scil. panificium aliquo edulio fartum. Gall.: *pâté.* — (3) Naulum est transvectio per flumen aliquod, vel etiam pro illa stipendium. De quo vide Ducange.

fieri, vel de fructibus horti, vel de mittenda aliqua pictantia, vel faciendo aliquam remunerationem pro servitiis exhibitis, vel in domo a garcionibus, vel extra ab aliquibus pauperibus, licet gratis, et similia; et suggerere priori quod bonum videbitur in hac parte, et cum licentia ejus facere quod fuerit faciendum.

Circa garciones vero debet habere diligentiam ut videat qui(d) valent: (1) qui utiles, qui inutiles; qui fideles, qui infideles; qui necessarii, qui superflui; qui religiosi, qui irreligiosi; qui suspecti, qui securi sunt: et quod ei videbitur bonum de abjiciendis, de retinendis, de recipiendis de novo, suggerere priori, et cum consilio et licentia ejus facere quod fuerit faciendum.

Si autem fuerit ei injuncta cura de correctione eorum, debet exequi sollicite quod scriptum est supra in capitulo *De officio correctoris familiae.*

Item, ad ipsum pertinet juxta posse suum (2) procurare per se et per alios utilitatem domus in testamentis, et aliis modis quibus poterit, juxta modum qui fuerit consuetus in domo.

CAP. XXI.

DE OFFICIO CONSILIARIORUM

Quaedam modica frequenter oriuntur in religione, quae praelatus potest sine consilio (3) aliorum expedire; quaedam vero sunt adeo magna, quod nullo modo debent sine consilio conventus expediri; quaedam vero media, ad quae expedienda solent assignari fratres aliqui a conventu, de quorum consilio quae hujusmodi sunt expediantur, ne vel conventus in hujusmodi nimis fatigetur, vel praelatus pro suo libitu faciens ista minus sapienter procedat.

Debent ergo ad hoc assignari, si possibile sit, fratres, qui bonae sint discretionis, exercitati in agendis, amatores boni, in sensu suo

(1) Cod. Vien.: ad quid valeant. — (2) Cod. Vien.: juxta nomen suum. — (3) Cod. Flor.: consensu.

non nimis abundantes, auctoritatis competentis, et qui Dei spiritum habere credantur.

Porro ad horum officium pertinet audire cum priore, suppriore et procuratore computationem, et scire statum domus in his quae debentur, et quae debet domus.

Item, dare consilium circa aedificia, circa officiales creandos, vel absolvendos, et mutandos; circa fratres ad ordines, vel praedicationes, vel audientiam confessionum promovendos; circa missionem fratrum et combinationem, vel causa praedicationis, vel quaestus; circa familiam recipiendam, vel abjicendam, vel sustinendam; circa provisiones in necessariis emendis, vel procurandis; circa distributionem librorum fratrum defunctorum, et similia, in quibus necessario non requiritur de jure consensus conventus.

Porro in apponendo sigillum conventus in aliqua littera vel charta, in alienatione vel emptione rerum immobilium et mobilium in magna summa, in receptione fratrum, et similium, (1) in quibus requiritur de jure consensus capituli, cavere debent ne dent consilium sine licentia et conscientia conventus, nisi forte super his commissionem habeant a conventu: sed referre debent talia ad conventum.

CAP. XXII.

DE OFFICIO ELEEMOSYNARII

1. Circa petitionem eleemosynae.

Eleemosynarius dicitur qui vel habet petere eleemosynam, vel dare.

Porro ad primum officium debet poni talis frater conversus qui sit securus contra omne peccatum, affabilis in verbis, amabilis et honestae conversationis inter homines, qui sufficiat aliqua verba aedificatoria simplicia interdum dicere; prudens in observando quid et quando, qualiter et e quibus petere debeat; non importunus

(1) Cod. Vien.: fratrum ad consilium.

notabiliter in petendo, nec taediosum se reddens hominibus, nec de fructu sui laboris et industriae superbiens inter fratres.

Ad hujusmodi officium pertinet esse sollicitum qualiter caute et religiose melius possit procurare eleemosynas pro fratribus, sive in pane, sive in pictantiis pro conventu, sive pro hospitibus, sive pro infirmis, sive in denariis, sive in aliis rebus, secundum morem patriae et ordinationem prioris.

Quod autem in pecunia acquiritur debet secundum ordinationem prioris, vel in pane, vel in aliis necessariis expendere, vel procuratori dare.

Debet autem sibi familiares acquirere qui eum et domum juvent, et dirigant interdum in procurando aliquas eleemosynas de testamentis, vel aliis eleemosynis.

Item, eundo (1) per villam, non se debet a socio separare, maxime cum aliquam domum intrat; et cavere debet ne unquam cum mulieribus longas collocutiones habeat, vel frequentes, et sedeat cum eisdem.

Ubi autem est consuetudo quod petitur eleemosyna panis clamando, pro fratribus, debet sub nomine Praedicatorum, et non alio, petere.

Ad magnates autem, cum transeunt, non debet pro eleemosyna accedere, nisi prius habita collatione cum praelato.

Et cum accedit, debet explorare modum curiae illorum virorum, videlicet utrum in propria persona soleat ab eis peti eleemosyna, vel ab eleemosynariis suis, vel aliis de curia sua, et consuetudinem curiae illorum servare.

Item, cum fratres habent aliquid mandare, vel exp'orare, vel aliqua quae per eum (2) expediri possunt et procurari in villa, debet hoc libenter expedire, ne discursus per alios oporteat multiplicari.

II. Circa largitionem eleemosynarum.

Porro ad largiendam eleemosynam communem secundum possibilitatem domus, solet frater aliquis assignari, vel idem qui habet petere eleemosynas, aut alius qui sit pius in compatiendo, mansuetus in tolerando improbitates et mo-

(1) Cod. Vien.: In eundo autem. — (2) Codd.: eos.

lestias petentium, discretus in distribuendo, sollicitus in congregando quae fuerint largienda.

Ad hujus officium pertinet recolligere debito tempore in refectorio, in procuratione, (1) in hospitio, in infirmitorio, in coquina tam conventus quam infirmariae, in domo familiae, et ubicumque solet in domo comedi, ea quae remanent ad eleemosynam pertinentia, et servare munde et honeste in vasis propriis ad hoc deputatis, in loco certo et honesto usque ad tempus distributionis.

Praeter reliquias vero communes, non debet alia cum eis reponere sine licentia speciali.

Ea vero quae in infirmitorio colliguntur, in quibus aliquid de carnibus vel brodio (2) carnium potest inveniri, sic debet separatim custodire, et dare alicubi in villa, non in porta, secundum consilium prioris, ita quod nunquam aliquid mixtum de istis inveniatur cum eleemosyna communi.

Eleemosyna vero communis, secundum morem patriae et ordinationem praelati, debet vel certis personis dari, vel communiter ad eleemosynam venientibus ad portam, certis diebus et horis et locis ad hoc assignatis.

Cum autem datur ad portam, cavere debet ne ingerentes se improbe vel tumultum facientes percutiat, vel asperis verbis conturbet: sed cum omni patientia eos ordinate et pacifice faciens residere, ministret charitative quod habet, et de verbis dulcibus consoletur eos.

Si qui vero inter istos veniunt qui videntur magis reverendae et verecundae personae, ad partem eos segregans ministret eis honorabilius quod poterit, et a verecundia ipsis caveat, prout potest.

Prudenter quoque cavere debet ne trutani (3) vel ribaldi ipsum decipientes, reportent ab eo plus quam deceat statum suum.

Infirmis vero et magis miserabilibus abundantius, prout potest, aliquid debet dare.

Cum autem non datur eleemosyna diebus singulis, debet sic

---

(1) Cod. Vien.: in procuratorio. — (2) Brodium ital.: *brodo;* gall. *brouet.* Intellige carnium elixarum jus. — (3) Trutani, gall.: *truands.* De quo cf. Ducange.

caute servare quotidianas reliquias quod non putrefiant, et tempore distributionis calefacere et parare pulmenta et brodia, prout melius poterit, ad consolationem pauperum, et utilitatem ipsorum.

Item, debet sollicite curare ne ea quae debent in eleemosynam dari, per negligentiam pereant, vel per garciones, vel alio modo in usus alios transferantur.

Diligenter etiam debet considerare si sit aliquid in domo, sive bladum corruptum, sive vinum, sive legumina, sive herbae in horto, sive alia quaecunque, quae non sint necessaria fratribus, et instare apud praelatum quod hujusmodi in eleemosynam largiantur.

Tempore vero caristiae (1) plus et plus ipsum et fratres incitare debet ad opera pietatis in omnibus quantum possunt.

CAP. XXIII.

DE OFFICIO REFECTORARII

I. Circa mensam conventualem ordinariam.

Ad officium refectorarii peragendum ponendus est talis frater clericus vel conversus, qui sit industrius et diligens ad faciendum honeste quae hujusmodi requirit officium.

Porro ad ipsum pertinet praeparare mensas tempestive ante comestionem, decenter et munde; et sic plene in eis singula ponenda collocare, quod servitores non habeant ponere nisi pulmenta, salsas et pictantias.

Proinde debet a principio aptare mappas, ponere panem et vinum, ubi usus est vini, vel in singulis vasis pro singulis fratribus, vel in vase uno pro multis, secundum consuetudinem, et scyphos.

Item, sal et aquam in tot vasculis quod competenter possint habere qui voluerint.

Item, cochlearia, cum fuerint apponenda aliqua, ad quae sunt necessaria.

(1) Caristia scil. annonae caritas. Ital. *carestia*, gall. *cherté*.

Item, candelas cum decentibus candelabris, cum coenatur, vel fit collatio tarde, tot quod sufficienter illuminent unumquemque.

Item, fructus seu cepas et hujusmodi, cum debent haberi.

Sic autem aptandae sunt mappae, quod a parte anteriori (1) remaneat tantum de mensa nudum, quod vasa pro vino, pro sale, pro aqua, pro candelabris, et ossa (2) fructuum, et paraturae pomorum, et hujusmodi inutilia remanentia ibidem valeant collocari, ne mappas deturpent.

Alia vero praedicta quae super mappam collocantur, debent cooperiri de parte mappae dependente, super illa replicata honeste, quousque fratres collocati ad sedendum partem illam replicent versus genua sua; et cavendum ab omnibus ne vel digitorum extersione, vel effusione alicujus liquidi, vel appositione scutellae, vel vasis immundi inferius, vel aliis modis mappa umquam deturpetur notabiliter.

Debet etiam habere curam quod tempore magni frigoris, quando prior dederit licentiam, stufa (3) refectorii tempore debito calefiat, ubi est usus stufarum; vel ubi non est usus hujusmodi, carbones accensi habeantur in refectorio in patellis congruis, deferendis per servitores; in aliquo vase, vel in aliquibus aqua calida, vel vinum calidum, pro illis qui voluerint vinum suum calefacere.

Debet etiam expedite in solo parvo caputio et frequenter circuire per mensas, ad videndum si deest aliquid alicui de communi; vel si quis aliquid dimittit, de quo non curet, ut illud reportet, vel det alii, si quis fuerit qui non habuerit.

Si qui vero fuerint fratres qui propter infirmitatem, vel alia de causa, de licentia utantur aliquibus aliis quam communibus, vel aliter paratis, debet esse sollicitus circa illos ut fiat eis sine defectu, prout prior duxerit ordinandum.

Et debet circumeundo coram praelato se praesentare frequenter, ad videndum si quid dixerit ei faciendum.

Cum autem aliquis frater tarde venit, et non audet intrare sine licentia, ipsius est petere pro eo licentiam, et providere de loco, si

(1) Cod. Flor. et edit.: interiori. — (2) Hic nota dictionem « *ossa fructuum,* » unde postea vocabulum *ossa* separatim positum recte intelligas. — (3) Stufa, tal.: *stuffa.*

forte sedes omnes fuerint occupatae, et ministranda eidem ministrare, vel servitoribus hoc suggerere.

Si autem aliquos extraneos contingat in refectorio comedere, tunc magis debet esse sollicitus ne ibi videant aliquid quod eos minus aedificet, vel offendat; et secundum eorum statum magis curare de eis, et priori reducere ad memoriam si vult eis mittere aliquid, vel vult eis aliquid melius ministrari, in pane meliori, vel aliis quibuscunque.

Summopere cavendum est ei ne vinum nimis forte vel pretiosum tunc ministret, et maxime quando solet multitudo magna communium personarum interesse, ut in festis nostris et in die Coenae ad collationem, et (1) hujusmodi: in quo casu debet caute providere in ingressu ne viles personae occupent loca dignioribus assignanda.

Cum vero aliquis intrare vult ad aliquod enxenium (2) deferendum, ipsius est illum primo recognoscere cujus sit nuntius; deinde ducere eum ante illum cui fuerit enxenium praesentandum, et dare ei notitiam breviter mittentis, si forte non cognoscat eum; deinde docere ubi sit deponendum quod defert.

Et si fuerit consuetudo patriae quod talibus offeratur ad bibendum, debet providere quod habeatur vinum bene temperatum quod ei offeratur, si forte fratres habuerint vinum notabiliter bonum; vel de proprio vino, si forte vinum apportaverit.

Deinde si debet reportare vasa, vel canistra, vel hujusmodi, in quibus est aliquid apportatum, debet illa expedire, et postea ipsum educere, illis traditis ipsi.

De enxeniis vero missis facere debet secundum ordinationem prioris.

Porro ea quae remanent, et recolliguntur de mensa, quae non deferuntur ad coquinam, ipsius est servare; et sequestratim ponere ea quae pertinent ad eleemosynam, et illa quae possunt iterum fratribus dari; et illa quae magis competunt familiae, vel operariis, quando sunt tales quibus provideatur in cibo; vel in hujusmodi usus alios reservare.

---

(1) τὸ « et in die Coenae et collationem » ex cod. Vien. — (2) Exenium, gr.: ξένιον. scil. munus, donum.

Caeterum cum fratres conveniunt solum causa collationis, vel in die Parasceves ad refectorium, non sunt mappae ante ponendae, nec alia, nisi solum ea quae pertinent ad horam illam et diem.

II. Circa mensam extraordinariam.

Item, ipsius interest servire novitiis et illis cum quibus dispensatur, ut bis comedant tempore jejunii in refectorio, et certo tempore ad hoc facere signum aliquod, et praeparare ea quae fuerint praeparanda sine defectu, et ministrare illis, prout a priore fuerit ordinatum.

Si autem aliquos fratres cum licentia contingat praeoccupare horam comestionis causa egrediendi, vel post utramque mensam venire, et comedere in refectorio, debet istis servire, et adstare ipsis, et ea quae conventus sunt eisdem ministrare.

Si autem aliquis extraneus ibi de licentia comedat, debet eidem servire et ministrare, secundum statum personae suae, et familiaritatem ad fratres, plus vel minus.

Item, cum aliquis extra mensam habet licentiam bibendi, debet ei potum quaerere, et ministrare.

Circa eos quoque qui pro poenitentia sedent ad terram, debet habere sollicitudinem, ut fiant quae sunt facienda.

Debet autem cum tanta disciplina et religione se habere in omnibus, ne occasione officii frangat silentium cum aliquibus, nec clamet alte pro aliquo negotio, nec ad fenestram coquinae tumultuose, nec multum nisi de necessariis loquatur.

Benigne autem et mansuete se habeat ad omnes, et charitative et hilariter serviat, et faciat quae fuerint facienda.

Caveat tamen sollicite ne alicui vel in mensa ordinaria, vel extra, ministret, nisi quae secundum ordinem fuerint, ministranda, nec ministrari permittat.

Et licet ab acceptione personarum sit ei cavendum, tamen novitiis et magis indigentibus debet ostendere ampliora viscera charitatis.

III. Circa domum procura-

Item, ipsius est habere domunculam juxta refectorium, quae dicitur procuratio, vel canava; (1) quam debet

(1) Canava, gall.: *cave*. Hic edita habent *dispensa*, atque vocabulum *canava* interpretantur. « In libro *Buoni usi* Ven. Gertrudis Salandri agitur de *canava*-

tionis, sive canavam.

mundam servare, et sic aptare modis diversis in fenestris, in perticis, et in armariis, et in arcis, et similibus, quod commode possint ibi servari et collocari quae sunt ibi servanda vel reponenda.

In hac vero debet servare panem et ministrare per totam domum, ubicumque fuerit ministrandus: hoc servato moderamine, quod in infirmitorio meliorem pro infirmis ministret, ubi varietas panis habetur.

In hac etiam debet servare caseum, fructus et cepas, et hujusmodi, quae sibi traduntur a procuratore, vel quotidie, vel certis diebus, secundum ejus ordinationem ministranda.

In hac etiam debet servare mappas, canistra, utensilia, et omnia hujusmodi necessaria ad suum officium, nisi forte eorum aliqua in refectorio reponantur in aliquo loco apto.

Tempore quoque comestionis vel collationis instante, debet de cellario vinum apportare ad hanc; et si temperandum fuerit temperare, et inde in refectorio ministrare, vel tradere servitoribus ministrandum.

Ibi etiam debent in certo loco reservari ea quae pertinent ad eleemosynam, quae de refectorio colliguntur, ut eleemosynarius inde accipiat tempore opportuno.

IV. Circa lavatorium, et munditias, et alia quaedam.

Item, ad ipsum pertinet providere de aqua in lavatorio, et ipsum lavatorium frequenter mutare, (1) et mundum servare.

Item, de manutergiis in claustro providere, et illa frequenter mutare et mundare, et interdum alicubi removere certa hora, propter advenientes ea deturpantes.

Circa quae cavendum est ab omnibus ne ea deturpent, vel dentium, vel fluxus narium, vel sanguinis extersione, vel aliis modis.

Item, debet providere quod mappae de refectorio laventur et

---

riabus, quae debent apponere potum in refectorio. In statutis vero monialium Ord. Erem. S. Augustini, Lucae an. 1851, impressis, est § *De canavara,* quae habet curam de pane et farina. » (P. Vinc. Laporte) Multa iterum habes apud Ducange. — (1) Edit.: mundare.

mundentur tempore congruo, et quod justae (1) et lagenae, et scyphi, et vasa pro sale et aqua, et utensilia, et caetera omnia quae ad refectorium pertinent, laventur, tergantur, et munda serventur; et refectorium, et procurationis domus scopentur, et ab araneis, muribus, et hujusmodi immunditiis laventur vel purgentur saepe et diligenter, prout requirit necessitas.

Cum autem magnates comedunt in refectorio, debet providere (2) quod semper pulchras mappas, et honestos scyphos et scutellas, et cochlearia, et hujusmodi, habeant in mensa sua; et insuper pulchra manutergia debet habere quae ante eos ponantur cum comedunt, et alia similia quae eis apponantur in manuum lotione.

Debet quoque sollicitare coquinarios ut sic tempestive parent omnia, quod facto signo in ecclesia omnia sint parata; et ipso audito, et inquisito utrum sint omnia parata, sine mora debet cymbalum pulsare, si omnia sunt parata, ne fratres otiosi expectent. Et hujusmodi mora similiter cavenda est in pulsando cymbalum ad collationem, post signum factum in ecclesia.

Ad ipsum etiam pertinet habere curam quod sedes aptae habeantur in claustro, in quibus sedeant fratres post manuum lotionem; et in refectorio necessariae pro sedentibus super terram, ut videlicet pro sedentibus ibi pro graviori culpa habeatur aliquis asser juxta terram immediate, in quo ponantur cibaria, et ipsi sedeant super nudam terram. Pro aliis vero qui sedent pro silentio, vel aliis poenis injunctis in capitulo, habeantur asseres super quos sedeant, et aliqua mensa vel forma lignea, super quam comedant. Et ista sint in promptu, cum necesse fuerit, et in certis locis reponantur, et talibus quod non sint impedimento in refectorio.

Cum autem aliquid aptandum fuerit in refectorio vel extra, vel aliqua emendanda, vel reficienda, circa ea quae pertinent ad officium suum, debet pro his instare sollicite erga procuratorem, vel praelatum, si negligens fuerit procurator.

Cum autem scit aliquos extraneos debere comedere in refectorio, vel debere enxenia deferre, vel alias intraturos, debet priorem cautum

(1) Justa, mensurae liquidorum species. — (2) Cod. Vien.: curare.

reddere ne aliquos sedere super terram permittat; et si aliqui jam sederint, et alii debeant supervenire, debet hoc priori dicere antequam aliquos intrare contingat.

Debet quoque semper, vel certis horis, sic adstare in refectorio, vel circa, quod cum necesse fuerit, possit facile reperiri, praecipue ubi magnus est conventus, et multae occupationes circa refectorium occurrunt.

Ubi vero propter paucitatem fratrum modica sunt agenda, debet, cum circa refectorium non est occupatus, in aliis necessariis occupari libenter.

Ipsius est claudere et aperire refectorium, et domum procurationis tempore suo, et claves custodire, et si quas dissolutiones ibidem ab aliquo fieri viderit, indicare praelato, vel super hoc proclamare.

CAP. XXIV.

DE OFFICIO SERVITORIS MENSAE

1. Circa primam mensam. Servitor, seu servitores primae mensae, audito signo post horas in ecclesia facto, debent festine ad refectorium ire, et remota cappa in caputio solo remanentes, juvare refectorarium in faciendis quae ad eum pertinent circa illam horam, si forte illa non complevit.

Pulsato vero cymbalo debent incipere ponere scutellas, incipiendo a mensa prioris, praecipue ubi est magnus conventus, nisi forte propter magnum frigus vel muscas interdum dimittant; et si necesse fuerit, aliquos de fratribus qui manus jam laverunt, ad juvandum se in hoc advocare.

Facta autem benedictione, et residentibus fratribus, scutellas quae positae non fuerint ponent; vel si nullae positae fuerint, festine et mature easdem apportare debent, incipiendo tunc ab inferioribus.

Collocatis vero primis scutellis, sine mora longa apportare debent quidquid est iterum apportandum ante remotionem primarum scutellarum, ita quod si salsa fuerit apportanda separatim ab aliquo

ferculo, cum ferculo illo vel ante apportetur; et idem est observandum in tertio vel ultimo ferculo, si fuerint apportanda, in comparatione ad praecedens.

Cum autem communiter videntur fratres expediti de pulmento, vel alio ferculo, tunc primo debent illud communiter removere, caventes ne removeant aliquid a conspectu fratris qui illud non elongaverit a se, et amplius non videatur curare de illo.

Ipsorum etiam est circuire, cum aliud non habent facere, ad videndum si deest aliquid, vel aliquis aliquid dicere velit; et officium refectorarii supra dictum scire bene, et ipsum in omnibus quae ad eum pertinent usque ad finem primae mensae juvare diligenter, vel supplere quod ipse non potest facere, vel non facit.

Appropinquante autem fine mensae, cum omnia in quibus apportaverint aliquid reportaverint ad coquinam, debent fructus, si qui superfuerint, in canistris vel aliis vasis decentibus, et ossa et paraturas fructuum, et testas ovorum et nucum, vel hujusmodi inutilia in aliis vasis decentibus recolligere separatim, et ad procurationem deferre, et tandem cum fratres communiter cessant comedere, in sportis vel aliis vasis honestis recolligere panes, et panis petias (1) quae possunt ante fratres reponi.

Cavendum autem est eis in omnibus quod disciplinate et honeste se habeant, et mature incedant, nec in frangendo silentium, vel clamando, vel tumultuando ad fenestram coquinae, vel contendendo cum aliquo, vel frangendo, vel effundendo aliquid, aliquem scandalizent; et praecipue cum extraneos contigerit interesse, circa quos magis debent esse solliciti, et tanto plus quanto fuerint honestiores vel excellentiores personae.

Cum autem tales apud nos comedunt, vel magna multitudo extraneorum, et non sunt sibi conscii quod sciant competenter servire, debent alios ponere magis idoneos pro se, vel ad hoc faciendum rogare praelatum.

Ipsorum etiam est tempore comestionis primae mensae curam

---

(1) Petia, seu *pecia* ital.: *pezzo* e gall. *pièce*. Intellige fragmentum.

habere de ostiis et fenestris claudendis et aperiendis, prout fuerit opportunum, et de cattis, (1) et de hujusmodi animalibus excludendis.

Cum autem magna multitudo debet comedere in domo, ut tempore capituli, et in similibus casibus, debet suggerere praelato ut tot scribantur ad serviendum vel dentur eis in adjutorium, et apti ad serviendum, quod omnia possint fieri competenter; et in tali casu expedit interdum quod ipsi servitores, praeter illud quod faciunt communiter, inter se curam de diversis dividant, ut videlicet unus de vino, alter de pane, alter de aqua et hujusmodi curam habeat, ut sic nihil omitti contingat.

Cum autem plures sunt servitores et scripti, et propter paucitatem fratrum unus tantum sufficit, debent inter se ordinare quod unus interdum comedat, et alter serviat vicissim.

II. Circa secundam mensam.

Porro ad servitores secundae mensae pertinet quod egresso conventu de refectorio, ipsi remaneant, et ibidem gratiis redditis, remotis cappis parent mensam in qua debent comedere qui comesturi sunt in secunda mensa; et ipsis serviant portando et reportando, et alia faciendo quae dicta sunt supra de servitoribus primae mensae.

Dum autem habent tempus quo non oporteat eos in eorum servitio occupari, debent colligere reliquias quae ad eleemosynam pertinent, ita caute cum replicatione mapparum quod non supereffluant, in canistris seu vasis aliis ad hoc deputatis, et in loco debito reponere separatim.

Si autem aliqua superfuerint in mensa quae non pertinent ad eleemosynam, si possunt iterum dari fratribus, illa debent colligere, et reponere separatim; quae omnia facienda sunt post secundam mensam, si forte illa durante non habuerint ad hoc tempus.

Si autem istis factis adhuc durante mensa, tempus superfuerit, debent in scyphis tergendis, vel in aliis ad adjutorium (2) refectorarii pertinentibus occupari; vel si fratres voluerint, et eis vacaverit, aliquid eis legere submisse.

---

(1) Cattus, id est felis. Gall.: *chat;* ital.: *gatto.* — (2) Cod. Vien.: ad officium.

Finita vero secunda mensa, debent facere de remanentibus in illa sicut supra dictum est de remanentibus in prima.

Tempore vero jejunii debent mappas et omnia, praeter scyphos, removere de mensis in prandio, et in suis locis reponere; similiter semper in coena.

Cum vero bis comeditur, debent mappas post prandium in mensis dimittere usque ad coenam replicatas decenter.

Cavendum est autem ipsis ne loquendo, vel modis aliis, dent occasionem comedentibus frangendi silentium, et ne aliud ministrent quam in prima mensa fuerit ministratum, vel aliquam dissolutionem faciant, vel si viderint fieri, non omittant quin super hoc proclamationes faciant tempore opportuno.

III. Circa collationem. Ad servitores vero primae mensae pertinet, audito signo in ecclesia pro collatione, convenire ad refectorium, et juvare refectorarium in his quae ad collationem pertinent, et servire in collatione.

Servitores vero secundae mensae, servire debent illis qui post conventus recessum a collatione immediate habent bibere; et juvare, si necesse fuerit, refectorarium in his quae tunc habet facere, si potest breviter absque completorii amissione. (1)

De scribendo vero servitore uno vel pluribus in mensa, debet fieri prout prior, considerata paucitate vel multitudine fratrum, duxerit ordinandum.

CAP. XXV.

DE OFFICIO LECTORIS MENSAE

Ad lectorem mensae pertinet praevidere diligenter lectionem, non solum quoad punctationem et modum accentuandi, sed etiam quoad sententiam, ut sciat sensum eorum quae dicuntur, et ut sic etiam ibi proficiat in addiscendo.

(1) Cod. Vien.: omissione.

Cum autem de aliquo dubitat sive quoad sensum, sive quoad modum legendi, debet recurrere ad glossas et postillas, vel ad fratres per quos possit instrui, et maxime ad correctorem mensae.

Cum autem accipit benedictionem in prandio vel coena, debet accipere de medio refectorii; in collatione vero de sede in qua legit, facto signo a praelato vel hebdomadario, si praelatus non affuerit praesens. (1)

In prandio vero et coena, debet expectare quod omnes resideant pacifice, antequam incipiat legere.

In collatione vero postquam aliqui licet pauci convenerint, potest incipere ad signum praedictum; vel sine signo illo, cum desunt illi ad quos pertinet illud facere.

Oportet autem se sic disponere in sede in qua legit, quod pro magna parte habeat vultum versum ad conventum, si loci dispositio hoc permittat.

Porro in legendo debet cavere ne nimis demisse vel clamose legat, nec nimis cursim; sed morose valde, et distincte, et sonore, et pausas faciat interdum competentes.

Debet autem aurem apponere ad intelligendum si in aliquo corrigitur; et correctionem quae fit a correctore, etiamsi minus bene dicat, humiliter suscipere et exequi, dummodo manifestum errorem non dicat.

Cum autem legit de Biblia, debet sic incipere: « Talis libri capitulum tale, » ubi incipitur lectio in principio capituli; si autem incipit infra capitulum, debet sic incipere: « Talis libri capitulo tali. »

Cum incipit in principio alicujus libri, sic debet incipere: Incipit liber talis.

Cum autem incipit in aliquo prologo, si sit unicus prologus in libro illo, debet sic incipere: « Incipit prologus in talem librum; » si vero multi, debet in primo sic incipere: « Incipit primus prologus in librum talem; » in secundo vero sic: « Prologus secundus in librum talem, » et sic deinceps.

In epistolis vero divi Pauli debet si incipere: « Incipit argumen-

(1) Cod. Vien.: si praelatus non interfuerit.

tum etc.; » postea legere argumentum; deinde dicere: « Incipit epistola talis. »

Cum autem legit homiliam, praemisso textu sancti Evangelii, et praemisso: (1) « In illo tempore, » etc., et: Et reliqua; et: « Lectio sancti Evangelii, » etc., debet sic incipere: « Homilia talis. »

Cum autem legit Evangelia, et venit ad passionem, debet transire usque ad resurrectionem.

Ubi autem est consuetudo quod legatur tabula in mensa in festis majoribus, debet eam praevidere, et legere circa finem mensae.

Cum vero finitur liber, debet sic terminare: « Explicit liber talis. »

In legendo autem talem vel talem librum, sive in comestione, sive in collatione, non debet aliquid propria auctoritate facere, sed quod ei dictum fuerit a correctore in mensa.

Regulam vero debet legere prima die post dominicam, si non contingerit extraneos interesse in refectorio.

Ad ipsum etiam pertinet habere curam de libro in quo legitur custodiendo, et portando in refectorium, et reportando.

Cum autem aliquas falsitates manifestas, vel defectus, vel errores invenit in libris in quibus praevidet lectiones, si fuerint libri de domo, debet hujusmodi falsitates ostendere librario, si sunt libri de communi; vel fratribus quibus sunt assignati, (2) si non fuerint de communi.

In terminatione vero lectionis debet aliquod signum tunc facere cum plumbo, vel cera, vel speram (3) superponere, ut sciat ubi debeat reincipere, vel ostendere successori, sive alii qui legerit loco sui.

---

(1) Cod. Vien.: dimisso. — (2) De hujusmodi librorum assignatione haec mihi notanda scripsit eruditus P. Franc. Balme: « Humbert traite des livres laissés de droit à chacun. Or à Barcellone il y avait dans le couvent, du temps de S. Raymond, un registre ouvert, intitulé *Assignationes librorum,* où chaque religieux consignait les ouvrages qui étaient à lui, et qui devaient revenir ensuite à son couvent d'origine ou à sa province. Il va jusqu'à l'invention de l'imprimerie, depuis l'année 1260. » Quod factum ex tota historia nostra, nec non et legibus nostris confirmatur, prout latius patebit ex doctrina Humberti nostri in *Indice analytico* referenda. — (3) Spera hic videtur pondus aliquod rotundum quod libri aperti paginae superponebatur, ubi dimissa erat lectio.

Cum autem debent extranei interesse, et non est talis lector qui consueverit bene legere, debet alii magis idoneo ad legendum committere lectionem, vel rogare praelatum ut hoc faciat, praecipue cum illi extranei litterati et intelligentes reputantur.

CAP. XXVI.

DE OFFICIO CORRECTORIS IN MENSA

Officium correctoris in mensa est ordinare cum praelato quid, quo tempore, sive in prandio, sive in coena, sive in collatione legatur; et mutuo accipere libros aliquos ad hoc utiles, cum licentia ejusdem, cum in domo non habentur; et de ipsis custodiendis et reddendis curam habere, et dare operam erga praelatos quod illi libri de domo, in quibus oportet legere, corrigantur bene, et punctentur, et versiculentur.

Ipsius etiam interest cum consilio praelati observare quando fratres melius sunt in domo, et tunc facere legere frequenter in anno acta capitulorum generalium et provincialium, litteras magistri et constitutiones, et notas aliquas de rubricis magis utiles et frequentius necessarias, secundum judicium cantoris.

In collatione vero et in coena debet providere quod legantur libri aliqui bonae aedificationis, et frequentius historias quae retineri valeant continentes, ut sunt *Vitae Patrum,* libri *Collationum,* et similes.

In prandio vero, etsi frequentius Biblia sit legenda, tamen possunt interdum legi libri aliqui multum utiles, ut sunt originalia (1) multum utilia, et similia.

In festis vero et vigiliis, et in diebus privilegiatis, ut sunt dies Rogationum, et hujusmodi, possunt legi passiones, vel homiliae, vel sermones sanctorum aedificatorii, cum habentur; et in die Parasceves solent legi Threni Hieremiae, vel sermones devoti de passione.

(1) Originalia dicebantur imprimis opera integra alicujus doctoris.

Porro ad eum pertinet providere diligenter lectionem, et studium suum circa illam maxime applicare, et lectorem instruere cum petierit; vel etiamsi ipse non petierit, praevenire eum in hoc: maxime cum in lectione occurrerit aliquid difficile vel dubium in accentuando, vel pronunciando, vel littera dubbia, et hujusmodi.

Cum autem sedes sua nimis distat a loco lectionis, vel non est bene disposita ad intelligendum lectorem, potest de licentia eligere locum alium ad sedendum in refectorio, propinquum lectori ante faciem constituto.

Cavendum est autem ei ne correctionibus nimis curiosis, seu inusitatis, vel minus utilibus molestet lectorem vel auditores.

Si autem contingat quod extranei litterati debeant interesse, et lector non reputetur multum idoneus ad legendum, providendum est ei quod ipse vel alius legat tunc loco ipsius, et super hoc praelatum adeat, et si fuerit necesse, ut ad hoc aliquis compellatur.

Cum vero aliquem lectorem viderit frequenter circa aliqua deficere, debet his observatis eum ad aliquem locum tempore congruo advocare, et ipsum circa defectus et ignorantias suas instruere charitative.

Ut autem quae ad istud officium pertinent melius fieri possint, debet procurare (1) quod habeantur in domo aliquae summae de modo accentuandi, et pronunciandi, et ad grammaticam pertinentes, et correctiones Bibliae, et hujusmodi, per quae fratres possint dirigi in legendo, et corrector in corrigendo; et hoc debet corrector, prout poterit, procurare.

CAP. XXVII.

DE OFFICIO INFIRMARII

I. Circa conditiones infirmarii.

Infirmarius dicitur qui habet curam generalem infirmorum et infirmitorii.

Debet autem ad hujusmodi officium poni frater

(1) Cod. Vien.: procurari.

qui sciat esse patiens ad molestias infirmorum, et compatiens infirmitatibus et necessitatibus eorum; qui sit dulcis eloquio, verbis consolatoriis affluens, et providus et discretus in procurandis, servandis, et ministrandis necessariis; nec tenax in dispensando necessaria, nec prodigus in consumendo aliqua sine causa.

Ad hujusmodi igitur officium pertinet habere curam de omnibus quae ad infirmitorium vel infirmos pertinent generaliter, vel in casibus variis et emergentibus pro aliquibus haberi oportet vel fieri; et providere de his (1) quod habeantur vel fiant sine defectu tempore opportuno.

II. Circa res habendas.

Proinde debet sollicitudinem habere erga majores, quantum potest, (2) quod habeatur infirmitorium sanum et bonum, et bene dispositum in officinis commode aptatis et sufficientibus, et commoditate camerarum, et horto seu prato, vel virgulto ad recreationem infirmorum; in quo etiam sint aliqua loca, seu domunculae, et arcae, vel armaria apta ad repositionem rerum omnium quas ibidem conservare oportet; et quod hujusmodi domus frequenter purgetur, et munda servetur; et reparetur et reficiatur, cum necesse fuerit, diligenter.

Debet etiam providere quod habeantur ibidem competentia vasa, vel utensilia, mappae, scyphi, scutellae, mensae communes et singulares pro comedentibus in lecto, instrumenta, et omnia hujusmodi necessaria abundanter circa coquinam, circa lectos, circa comestionem, circa medicinalia, circa balnea vel stufas, circa mutationes, circa rasuras, circa lotiones pedum et capitum, circa potionandos; urinalia quoque et sellae pro impotentibus surgere et ire ad cameras communes; feretrum quoque et coopertoria propria, et alia necesnecessaria pro mortuis; et loca apta ad lavandum mortuos; et lavatorium commune pro manibus; et receptacula aquarum quae effunduntur interdum.

Libri etiam pro officio divino dicendo, et ad legendum interdum pro consolatione et aedificatione infirmorum, ut sunt *Vitae Patrum,*

---

(1) Cod. Vien.: de eis quae. — (2) Cod. Vien.: apponere sollicitudinem quam potest.

et similes libri; candelae quoque, et oleum pro lampade, et servitores secundum exigentiam multitudinis, et secundum conditiones infirmorum et infirmitatum, pro quo recurrendum est ad praelatum.

Cavendum est autem ne extranei serviant infirmis, sed fratres invicem, ubi hoc potest commode observari.

Ubi ergo extraneos advocari compellit necessitas, cavendum est ne aliqui ad hujusmodi recipiantur servitia, nisi adeo honesti et familiares sint quod fratrum secreta possint eis revelari secure.

Ipsius est etiam per se, si novit medicinam, (1) vel per alios medicos fratres, vel extraneos, adhibere consilium medicinae circa infirmos, et procurare quod fiat quod faciendum fuerit pro salute; ordinare etiam et providere quid quotidie comedatur, sive ab illis qui veniunt ad mensam communem, sive qui decumbunt; et habere sollicitudinem quod tam hoc quam medicinalia tempestive et suo tempore ministrentur, sicut requirit conditio et necessitas infirmorum.

Necessaria vero pro expensis debet a procuratore recipere, vel aliter, si prior duxerit ordinandum, et omnia computare, et de iis computationis tempore computare, et in capitulo recitare, si qua specialia beneficia notabilia fuerint collata infirmis.

Ipsius etiam interest frequenter visitare infirmos, et discurrere per coquinam et officinas alias, ad videndum si fiant omnia quae fieri debent; et si quid negligentiae invenerit, corrigere debet; et cum commode potest, apponere manum ad adjuvandum.

Debet etiam habere curam ne res aliquae, sive reliquiae, sive aliae, pereant, vel inutiliter expendantur; et quae reservanda sunt, diligenter custodiantur; (2) et si aliqua utensilia, vel alia hujusmodi, accepta fuerint interdum de infirmitorio pro rasura, vel etiam minutione, vel aliis de causis, quod reddantur, et in suis locis reponantur.

Notare etiam si aliqua fiat dissolutio vel inordinatio ibidem, et illud interdum charitative corrigere, et interdum etiam praelatis referre, interdum etiam in capitulo super hujusmodi proclamare.

Si qua vero dicta fuerint in capitulo quae ad infirmos perti-

---

(1) Cod. Vien.: si novit in medicina. — (2) Cod. Vien.: et quod reservanda diligenter custodiantur.

neant, debet illa infirmis referre; et cum eorum infirmitates aggravantur, praelato in capitulo dicere ut faciat (1) orare pro eis.

Mortuos quoque de novo ipsi praelato in capitulo ad memoriam reducere, ut fratribus recommendentur, et habere curam quod per domos alias cito significetur.

III. Circa infirmos. Porro cum aliquis de novo mittitur ad infirmitorium, debet eum cum omni charitate recipere, et dulciter consolari, et secundum suam necessitatem de eo sollicite cogitare, sive in assignando locum et lectum, si expedit eum jacere in infirmitorio, sive de speciali servitore, si indiget, et aliis hujuusmodi, quibus ejus infirmitas noscetur indigere.

Si autem commissum fuerit ei a priore quod curam habeat de ponendo fratres in infirmitorio, debet esse sollicitus de his quibus indigent, cum ei dicitur, vel advertit, ut eos praeveniat, antequam petere illud cogantur.

Cum vero aliquis abutitur infirmitorio, sine causa rationabili ibi nimis morando, debet hoc caute suggerere praelato, ut ipse faciat quod circa hoc fuerit faciendum.

Circa vero illos qui ex nimia humilitate vel religione petunt licentiam recedendi antequam expediat eorum statui, debet etiam praelatum cautum reddere, vel ipsemet debet esse cautus, si data est ei potestas in hujusmodi licentiis concedendis, ne cedat eis sua religio in corporis notabile detrimentum.

Cum vero nullus infirmus fuerit, debet habere curam de domo infirmitorii claudenda et custodienda.

CAP. XXVIII.

DE OFFICIO SERVITORIS INFIRMORUM

I. Circa conditiones servitoris. Servitor infirmorum dicitur qui deputatus est ad serviendum infirmis, vel in communi, quoad illos qui ve-

(1) Cod. Vien.: praelatis.... ut faciant.

niunt ad mensam communem; vel singulariter alicui, vel aliquibus, cum decumbunt.

Hujus autem officium est sollicitum esse ut fiant omnia facienda ratione officii diligenter et suo tempore; et pium esse ad infirmorum necessitates, patientem ad eorum molestias; consolationes charitativas verbis et factis impendere eis, et omnia quae ad studium, vel alias occupationes, quae non sunt de necessitate salutis vel ordinis, postponere propter hujusmodi pietates.

II. Circa communem servitorem.

Porro qui deputati sunt ad serviendum communiter omnibus, sive ad serviendum in domo in qua comeduntur carnes, sive ad serviendum in domo recreationis, debent scire diligenter illud quod supra notatum est circa officia refectorarii et servitorum primae mensae, vel secundae; circa mensas parandas, et servitium ibidem faciendum, et removenda, et recolligenda in fine, et munditias faciendas, et utensilia, et hujusmodi custodienda et lavanda, et lavatorium, et similia, et illa omnia quae ex illis ad suum pertinere possunt officium, exequi diligenter.

Debet autem in infirmitorio esse domus aliqua pro procuratione, (1) vel duae pro duabus praedictis domibus, (2) in loco vel in locis idoneis, quarum vel cujus custodiam debet, vel debent habere qui est, vel qui sunt principales servitores.

Cum autem comestionis hora appropinquat, debet hujusmodi servitor facere signum in campana quae ad hoc debet apta haberi in infirmitorio in loco idoneo, ad convocandum fratres in infirmitorio comesturos.

Cum vero convenisse potuerint, (3) debet aliud modicum signum facere ad manuum lotionem; quo facto, sine aliqua expectatione eorum qui non venerunt, debet fieri benedictio.

Si vero aliquid mittatur infirmis, debet cavere ne deferens introducatur, quousque primo provideatur quod nihil ibi videri possit quod ipsum valeat scandalizare.

---

(1) Cod. Flor.: procuratore. — (2) Hoc intelligendum videtur de ipsa infirmaria et de domo adjacenti servandis infirmariae rebus destinata, de qua supra dictum est cap. XXVII, II. — (3) Cod. Vien.: Cum vero convenisse eos cognoverit.

Debet etiam providere quod liber aliquis aedificatorius habeatur semper in promptu, in quo vel ipse, cum non est in aliis occupatus, vel aliquis frater alius de comedentibus legere possit interdum in mensa, si velit.

Si vero mensae fuerint mobiles, debet eas in fine reponere in loco suo.

Expeditis vero omnibus quae ad comestionem pertinent, debet habere curam de claudenda domo in qua comeditur, si ibi lecti non fuerint in quibus aliqui jaceant, tempore et hora a priore determinatis.

Illos vero qui tarde veniunt, vel tarde recedunt, vel silentium tempore debito vel loco non servant, vel aliquas dissolutiones ibidem faciunt, vel aliqua alia reprehensibilia, debet suo tempore in capitulo proclamare.

Debet quoque cum infirmario conferre in sero praecedenti de his quae paranda sunt pro infirmis, et innotescere ei de multitudine infirmorum et conditionibus eorum, et cum multiplicantur vel minuuntur, ut sciat melius quid et quantum sit in crastino (1) praeparandum.

Ipsius etiam est accipere et apportare panem et vinum de refectorio et cellario, prout fuerit ordinatum, et cavere ne superflue apportentur, et ne ea quae remanent pereant, (2) vel inutiliter consumantur: sed pro eleemosyna, vel ad alios usus, sicut ordinatum fuerit, diligenter servetur.

Debet etiam saepe, cum necesse fuerit, visitare coquinam, sollicitare coquinarios, et eos juvare cum potest et ipsi indigent, ut melius et citius omnia expediantur.

Cum vero non sunt tot infirmi, vel tot facienda, quod opporteat eum morari multum in infirmitorio, debet cavere multum ne otiose ibidem commorans, effundat se in dissolutionibus, (3) et omittat ea quae ad studium pertinent, et ad religionem et conventum; et committere potest aliqua modica facienda ipsis infirmis qui possunt

---

(1) Cod. Vien.: in crastino prandio. — (2) Cod. Vien.: neque remaneant aut pereant. — (3) Cod. Vien.: offendat in dissolutionibus.

illa facere, ut est completio alicujus modici servitii, vel quod unus qui non comedit serviat alii, vel quod removeant mappas vel mensas, cum comederint aliqui, et hujusmodi, ut possit ipse cum aliis interesse conventui. (1)

Cum autem expeditus fuerit de conventu, redire debet ad videndum si quae commisit facta fuerint, et si quid deest, est supplendum ab eo.

Debet etiam curam habere de faciendis lectis infirmorum qui non habent proprios servitores, cum ipsi voluerint.

III. Circa servitorem specialem.

Porro ad servitorem deputatum alicui, vel aliquibus decumbentibus, pertinet ejus coopertoria, et vestes, et hujusmodi, de dormitorio apportare, si ipse voluerit vel indiguerit, facere lectum infirmi, procurare (2) ei urinale, vel alia vasa, seu sellam, et hujusmodi quae fuerint necessaria; reservare urinam ad ostendendum; assistere eidem de die et nocte, cum fuerit necesse; juvare eum in discalceando, in surgendo, in intrando lectum, et similibus.

Jacere in infirmitorio, vigilare coram eo, cum fuerit necesse, servare eum in calore, coram eo stare ne se discooperiat.

Quaerere consilium diligenter cum infirmario de infirmitate ejus a medico, et quae medicus mandaverit exequi diligenter, sive in medicinalibus, sive in cibis, sive in aliis quibuscumque.

Habere etiam curam specialem de iis quae paranda sunt in coquina pro eo quotidie hora debita, et in hoc faciendo juvare vel totum facere, si fuerit necesse, et de aptando mensam circa eum commode, et omnibus ad mensam pertinentibus ministrandis, et recolligendis, et reponendis in locis suis, et de calefaciendo aquam, vel vinum, et brodium, et similia.

Vestes etiam ejus et coopertoria et alia lavanda lavare, et purgare locum ubi jacet.

Procurare etiam omnia quae sunt in casu necessaria, vel causa balnei, vel minutionis, vel lotionis pedum, vel capitis, vel cocturae

---

(1) Cod. Vien.: in conventu. — (2) Cod. Vien.: facere lectum et in infirmitorio procurare.

alicujus, et similium, dummodo in aliquod periculum mortis non sint, vel gravis mutilationis; et in his assistere et juvare, vel totum facere, cum potest commode et honeste.

Panem vero et vinum et hujusmodi communia debet accipere a communi servitore; alia vero quae non habentur communiter, quae tamen sunt necessaria interdum, debet quaerere ab infirmario.

Ipsius etiam interest providere de lumine et libris pro officio dicendo cum eo, vel coram eo, cum ipse non potest; in quo etiam non est omittendum quin dicatur coram eo officium de missa, cum ad missam ire non potest.

Cum vero potest, sed debilis est, eum juvare debet in eundo et redeundo.

Debet etiam aliquem librum consolatorium et aedificatorium habere in promptu, in quo aliquid legatur coram eo interdum ad ejus consolationem; et etiam tam per se quam per alios fratres ad hoc idoneos, quos interdum debet ad hoc inducere, intendere consolationi et aedificationi ejusdem.

Si quid vero petierit, vel facere voluerit, quod suae contrarium sanitati sit, caute debet eum avertere.

Si autem non sit contrarium, debet ei obtemperare, cum commode fieri potest.

Deinde quidquid potest excogitare quod ei prodesse possit, sive quoad corpus sive quoad animam, debet totum sive per se sive per alios facere, vel procurare diligenter.

IV. Circa sacramenta suscipienda.

Porro circa confessionem, et inunctionem, et communionem petendam, si fuerit negligens, debet eum caute sollicitare; et cum haec facienda fuerint, significare illis ad quos pertinet, et necessaria ex parte infirmi sollicite praeparare; et ingravescente infirmitate, reducere ad memoriam priori in capitulo ut faciat orare (1) pro eo, si infirmarius hoc non fecerit.

Cum vero morti appropinquaverit, debet facere signum in tabula ad convocandum fratres ad Commendationem faciendam; cineres, et locum praeparare, cum super eos fuerit deponendus; et pertinentia

(1) Cod. Vien.: orari.

ad hoc et similia circa statum illum dirigere et facere, sociis ad hoc, cum indiguerit, advocatis, vel a praelato petitis.

Cum vero mortuus fuerit, debet habere curam de aqua calefacienda pro abluendo corpore ejus, (1) et involvendo, et coopertorio ad hoc deputato apponendo; ipso vero sepulto, feretrum et coopertorium reportare ad sua loca.

Deinde vestes ejus, et coopertoria in quibus jacuit, si apportata fuerint de dormitorio, debet tradere vestiario, ut, ipsis lotis et mundatis per eum diligenter, de illis postea fiat quod fuerit faciendum.

Si vero coopertoria praedicta erant de infirmitorio, ipsa, et capitegia, et hujusmodi, quae circa eum fuerant, debet tradere infirmario, ut illa faciat diligenter mundari et aptari, antequam in usus fratrum iterum assumantur; sotulares vero et bottas, et contisias debet reddere in sutoria.

Debet quoque infirmario reducere ad memoriam quod habeat curam quod in primo sequenti capitulo recommendetur anima defuncti fratribus, et quod cito denuncietur per alios conventus, et ipsius in hoc supplere negligentiam, si forte ipse negligens extiterit.

V. Circa utrosque servitores.

Est notandum quod in magnis conventibus, et ubi est multitudo infirmorum, multiplicandi sunt servitores tam communes quam speciales, secundum exigentiam multitudinis infirmorum; ubi vero sunt pauci, pauciores sunt ponendi, sufficientes tamen.

Si vero adeo pauci fuerint quod communis servitor sufficiat, vel servitores, vel etiam solus infirmarius, tunc ille vel illi debet vel debent exequi, quantum necesse fuerit, omnia supradicta.

Utrum autem ad hujusmodi officium ponendi sint fratres clerici vel laici, vel etiam familiares et honesti famuli, et aliqui de istis vel aliqui de illis; et utrum per septimanas, vel ad tempus prolixius, providentiae prioris est ordinare, hoc proviso quod unus principalis habeat alios adjutores.

Ipsius etiam prioris est ordinare quod postquam prima mensa comestionem finierit in refectorio, aliqui fratres vadant ad infirmi-

---

(1) Cod. Vien.: pro ablutione, et de abluendo corpus ejus.

torium, qui suppleant servitorum vices, cum nondum completa fuerint omnia, ut ipsi servitores comedant in mensa secunda, et tertiam (1) fieri non oporteat.

Qui postquam comederint, debent redire ad infirmitorium, ad videndum si illi qui eorum vice servierunt, bene omnia compleverint; et si quid defuerit, debent illud supplere.

Si vero aliquem de familia, vel aliquem extraneum in domo aliquo casu contigerit aegrotare, ad infirmarium pertinebit ut secundum voluntatem praelati ordinet ubi ponatur, et qualiter et per quos serviatur eidem tam charitative et sollicite, secundum exigentiam personae, quod in hoc nunquam negligentia committatur.

CAP. XXIX.

DE OFFICIO RECEPTORIS HOSPITUM

I. Circa conditiones receptoris hospitum.

Ad receptionem hospitum talis frater clericus vel laicus est ponendus, qui sit industrius in agendis, hilaris vultu, verbis affabilis, charitativus in necessitatibus, promptus in omni obsequio, disciplinatus in moribus, in expendendo mediocris, honestis solatiis non carens, non tardus in labore, competenter potens, aedificatorius in verbo, et qui sciat moribus aliorum et diversitatibus variis prudenter et religiose se conformare, et gratum cunctis servitium exhibere.

II. Circa curam quam debet habere circa habenda.

Ad hujusmodi officium pertinet habere curam de domo, vel de domibus hospitum, si sunt plures, custodiendis, claudendis, aperiendis tempore suo, mundandis, et honeste et commode aptandis in formis, in sedibus, in mensis, et hujusmodi; et quod habeatur lavatorium pro manibus intus vel extra in vicino, et receptacula aquarum quae effunduntur, ut domus non madefiat; et mensae, et sedes, sive sedilia sufficientia; et quod habeatur ibidem aliqua domuncula pro procuratione, et arcae vel ar-

(1) Cod. Vien.: ita quod tertiam.

maria, seu fenestrae, et perticae, et hujusmodi, ad repositionem et conservationem rerum, quas ibidem oportet servari interdum. Et quod habeantur ibidem etiam scyphi et vasa propria (1) et cochlearia, et vascula pro sale, et hujusmodi vasa seu utensilia, prout necesse fuerit, sive ad pedum lotionem, sive ad alios usus: quae debet mundare frequenter et diligenter, et in locis debitis custodire.

Debet etiam curam habere de lectis horum parandis honeste et munde, ubicunque fuerint; et habere aliquas caligas et tunicas, et caputia munda, et bottas sub aliqua clavi, quas possit indigentibus tradere pro tempore ad mutandum sua; candelas etiam pro necessitatibus hospitum, sive in domo sive in via cum recedunt; campanulam etiam aliquam in qua fiat signum, cum fuerit communis hora comedendi pro hospitibus, nisi consuetum sit in illo conventu quod fiat in cymbalo cum ictibus paucis.

Porro panem a refectorario, vinum vero a custode cellarii debet accipere, quale per procuratorem fuerit ordinatum.

Quae vero pertinent ad sotulares, vel vestes, a vestiario si modica fuerint, vel a praelato, si fuerint magna, quaerere debet et accipere.

Ea vero quae ad cibum pertinent, vel alia quaecumque, debet ministrare procurator, et pro eis est recurrendum ad eum.

Si qua vero mittuntur eis, ut pisces, vel alia pertinentia ad cibum, praeter panem et vinum, vel etiam ista in magna quantitate, debet hoc indicare (2) procuratori, et secundum ejus ordinationem dispensare. Et si venerit deferens hora comestionis, debet providere quod non ingrediatur, quousque provideatur quod in eis quae visurus est circa mensam non possit in aliquo male aedificari.

III. Circa fratres hospites. Cum igitur intellexerit frater hospitarius adventum fratrum aliquorum qui non sunt de conventu suo, vel etiam de conventu qui diu steterunt extra domum, statim ad eos debet festinare, et occurrere laeto vultu; et si non sunt auctoritatis magnae, debet dare osculum pacis: si vero sunt grandis auctoritatis, non debet se ingerere ad osculum pacis, nisi primo invitetur ab eis.

(1) Cod. Vien.: vel vitra propria. — (2) Cod. Vien.: insinuare.

Deinde ducere eos ad benedictionem, si non receperunt; et quaerere sacerdotem, si ipse non est sacerdos, qui eam faciat; et ipsa recepta acceptis baculis, et libris, et aliis, si qua gerunt quae sunt ab eo custodienda, ducere eos ad hospitium, et significare praelatis adventus eorum.

Si vero fuerit magister ordinis, vel alius recipiendus a conventu, sua interest pulsare campanam capituli ad congregandos fratres hora competenti ad benedictionem; et ipsa recepta iterum pulsare ad capitulum, cum debuerit intrare capitulum, primo super hoc ejus inquisita voluntate.

Cum ergo resederint in hospitio, si tali venerint hora quod jam comederint, debent invitari ad potum; deinde ad requiescendum in lectis, si voluerint, et hora hoc requisierit; et de loco camerarum edoceri.

Et si non est talis dies in quo eos oporteat jejunare, inquisito de qualitate refectionis quam illa die habuerint, debet hoc significari procuratori, ut secundum exigentiam necessitatis debito modo paretur quod poterit haberi.

Si vero nondum comederint, nec audierint missam, debet de missa audienda, vel celebranda, cum ipsi voluerint, et de ministris habendis providere.

Si vero fuerint fatigati, et quiescere voluerint, fiat de hoc quod voluerint ante missam, vel post; et interim sollicitet procuratorem de providendo quae fuerint necessaria ad refectionem; et ipse sollicite adjuvet in praeparando, et ordinet, si necesse fuerit, per praelatum, quod aliquis vel aliqui interim sint cum hospitibus, qui eos associent et dirigant, si aliqua voluerint fieri.

Cum ergo fuerint omnia praeparata, si fuerit hora consueta comedendi pro hospitibus, faciendum est signum praedictum, aliter non.

Quod etiam observandum est omni tempore circa hospitum comestionem; et deinde ablutis manibus benedictio est facienda, (1) et collocatis fratribus ab eodem, secundum quod status eorum requirit, prosequenda sunt caetera quae ad mensam pertinent.

---

(1) Cod. Vien.: factá benedictione.

Porro in parandis mensis, et serviendo, et removendis mensis, et colligendis reliquiis, et reponendis tam illis quam scyphis, et aliis hujusmodi, observanda sunt ea quae supra dicta sunt circa refectorarium, et servitores primae mensae et secundae, et servitores infirmorum, prout et quantum competere possunt in hospitio.

Habendus est etiam aliquis liber in hospitio aedificatorius in promptu, in quo, dum comeditur, legi possit interdum aliquid ab aliquo, si visum fuerit expedire.

Ablutis vero manibus post refectionem, offerendus non est potus, nisi aliqui petierint vel indiguerint, et sit in patria talis usus.

Ordinandum vero est a praelatis quod cum comedunt hospites hora comestionis conventus, nec sunt expediti finita prima mensa conventus, aliquis, vel aliqui de fratribus qui comederunt, veniant ad hospitium, ad supplendum vices receptoris hospitum, ut ipse comedere possit in secunda mensa; et facta comestione, redire debet ad videndum si sunt omnia bene facta, et supplendum quod factum fuerit minus.

De lotione vero pedum, et ministratione potus, et prandio et coena tempestive faciendis, debet providere quod hora tali fiant quod eorum occasione non protrahantur vigiliae post signum dormitionis, nisi forte propter tardum adventum hospitum hoc observari non possit: in quo casu, si fieri non possunt omnia consueta, fiat quod secundum horam fieri poterit bono modo, sive in procuratione eorum, sive in aliis.

Cum autem ad lectos duncuntur, providendum est eis de urinalibus, vel aliis vasis idoneis ad urinam, et edocendi sunt de loco camerarum, si usque tunc nescierunt; et offerendae sunt eis tunicae, et caligae, et caputium ad mutandum, et bottae sive sotulares, ut sui reficiantur, si aliquo indigent, et ungantur; et si nox fuerit, dandae sunt eis aliquae candelae cum quibus vadant ad cameras vel alibi, et cum quibus dicant officium; et de libro pro officio, si non habent, est eis providendum.

Si vero vestes eorum indigent lotione, cum eorum licentia debet procurare quod laventur.

Si vero habeant magnam indigentiam in sotularibus, vel aliqua

veste, vel fecerint aliquas rationabiles expensas in via nondum solutas, ut de naulo, et hujusmodi, debet hoc ostendere priori, ut antequam petant, cum ejus licentia, illud quod indigent offeratur eisdem.

Quanto autem sunt magis extranei, vel de nationibus remotioribus, vel de majori labore veniunt, vel sunt majoris auctoritatis ratione status saeculi, vel ratione majoris status in ordine, vel si sunt novitii, tanto in omnibus sunt magis charitative tractandi.

Quod si fuerint consueti vagationi et discursui, vel de minori religione notati, tanto disciplina religionis et austeritatis circa eos magis est observanda, et exclusi cito de hospitio mittendi sunt ad conventum, et ad capitulum suo tempore vocandi.

Qui ergo digni sunt secundum modum praedictum officio charitatis, cum recedere voluerint, invitandi sunt ad manendum et morandum secure, et ad hoc quodammodo sunt cogendi.

Cum vero omnino recedere voluerint, invitandi sunt ad dicendum si aliquo indigent quod possit pro eis fieri, et faciendum est charitative quidquid pro eis potest fieri bono modo. Et si vias nesciunt, docendi sunt de illis et de hospitiis, et interdum conducendi per fratres vel familiam, si necesse fuerit, et status eorum hoc requirit, secundum quod sunt in majori reverentia habendi, ut sunt diffinitores, et priores, et fratres alii magnae auctoritatis vel famae, et debet poni magna cura ab ipso hospitario quod consolati et aedificati recedant.

Ad benedictionem vero vocandi sunt ab ipso aliqui de fratribus antiquis, et praecipue praelati, et cum osculo, et recommendatione sui orationibus eorum et aliorum fratrum, sunt per eos licentiandi, et usque ad portam vel plus, secundum quod praelato visum fuerit, per aliquos conducendi.

Porro in communibus et quotidianis servitiis, receptor hospitum debet esse sollicitus tempestive parare omnia diligenter, et conferre cum procuratore tempestive, ut provideat de necessariis hora competenti, (1) secundum multitudinem et conditiones hospitum; et ser-

(1) Cod. Vien.: de necessariis competenter.

vientes in coquina pro hospitibus sollicite juvare, (1) cum necesse fuerit. Diligenter cavere quoque, quantum in eo est, ne fiant aliquae dissolutiones in hospitio, et facientes suo tempore proclamare. Et si aliqua dicantur in capitulo quae pertineant ad hospites, ipsis referre, cum in capitulo non fuerint.

Quod si aliqui in hospitio nimis morari voluerint, vel nimis cito recedere, debet praelato suggerere quod viderit expedire; similiter de eis ad capitulum vel chorum convocandis interdum, cum circa haec acidiosi videntur.

Cum vero Fratres Minores apud nos contigerit comedere, vel hospitari de nocte, in omnibus devotius et hilarius debet eis assistere et ministrare quam fratribus nostris.

IV. Circa hospites extraneos.

Cum autem aliquos alios extraneos sive religiosos sive saeculares hospitari contigerit apud nos, pertinet ad eum habere curam diligentem secundum consuetudinem domus, vel ordinationem praelati, ubi et quid comedant, ubi jaceant, et quomodo per officinas ducere eos debeat, cum illas voluerint visitare; ducere quoque eos ad refectorium, lotis prius manibus, cum ibi debent comedere, et in locis debitis collocare, et finita mensa cum eis remanere, et ducere eos ad ecclesiam ad gratias, vel dicere extra cum eis, et dicere cum eis officium, si fuerint magnae personae; et postea ipsos ad loca debita ducere; reddere etiam cautos servitores mensae quod eis diligenter serviatur secundum statum eorum.

Si autem capitulum, vel chorum, vel ecclesiam ad officium intrare debuerint, debent eos ducere et in locis debitis collocare secundum statum eorum; et cum exire debuerint, eos iterum ad debitum locum ducere.

Si autem fuerint tales quod horas dicere habeant, et libros non habent, debet eis providere de libris, et juvare si volunt; si vero laici fuerint, debet eos instruere quando et ubi missam vel aliud officium, si voluerint, possint audire.

Si autem habent aliqua negotia extra domum, debet eos dirigere et juvare, prout commode potest, in his quae decent ordi-

(1) Cod. Vien.: sollicitare et juvare.

nem, petita licentia prius, si talia sunt quae sine licentia fieri non debent.

Licet autem omnes sic tractare debeat quod consolati et aedificati recedant, tamen secundum exigentiam status eorum et familiaritatem majorem vel necessitatem, plus vel minus est circa eos aliquid faciendum.

Pro nullis vero parandae sunt carnes, vel linteamina in lectis ponenda, nisi illa apportaverint secum.

Utrum autem cum fratribus in hospitio comedere debeant vel alibi; et utrum illi (1) soli, vel aliqui fratres cum eis, ad praelati discretionem pertinet ordinare.

Si autem fuerint adeo familiares quod quasi fratres habentur, non oportet omnem sollicitudinem supradictam circa eos haberi.

Si vero aliquae dominae vel mulieres religiosae advenerint, quibus oporteat et deceat in aliquo ministrari, ad praelati provisionem pertinebit ordinare ut in aliqua domo vicina et honesta ministretur eis quod fuerit ministrandum, sicut viderint expedire.

Super omnia vero cavere debet frater hospitarius ne extranei aliquid videant inter fratres sive in superfluitatibus, sive in vanis locutionibus, et similibus, unde male possint aedificari; et e contrario dare operam per se et per alios, loquendo cum eis de Deo et de utilibus, et virtutum exempla monstrando, et munde et honeste licet tenuiter ministrando, devote et humiliter in omnibus obsequendo, quod fratres vere reputent servos dei.

Ubi vero frater unus ad omnia non sufficit propter hospitum multitudinem, expedit duos fratres poni ad illud officium, unum scilicet propter fratres, et alium propter extraneos; vel illi qui principalis est dare adjutores; et quos, et quot, sive clericos sive laicos, et utrum scribi per septimanas aliquos, vel ad tempus prolixius assignari, ad praelati providentiam pertinet ordinare cum tanta cura et sollicitudine, quod de hospitalitatis gratia conventus suus semper habeat bonam famam.

(1) Cod. Vien.: ibi.

CAP. XXX.

DE OFFICIO COQUINARII.

I. Circa conditiones coquinarii.

Coquinarius dicitur frater qui habet curam de coquina et de pertinentibus ad coquinam.

Ad quod debet assignari frater laicus, qui habeat industriam in parandis eis quae ad cibos pertinent, competenter, honeste et munde.

Qui etiam sit discretus in dispensando, et prudens in providendo et custodiendo, et in occupationibus non turbulentus, patiens et pacificus cum omnibus qui secum habent aliquid agere, et non impotens ad officii hujus labores.

Ad officium ergo hujusmodi pertinet habere curam, quantum (1) potest, circa domum coquinae, quod sit bene aptata, et extraneis non pervia, et quod munda servetur, et suo tempore claudatur. (2)

Item, quod habeantur ibidem scutellae et vasa, et hujusmodi utensilia necessaria et sufficientia, et quod diligenter custodiantur et frequenter mundentur.

Item, quod provideatur per procuratorem tempore debito quod habeantur ibidem in promptu semper ligna, sal, oleum, allia, cepae, et hujusmodi, quae quotidie vel frequenter sunt necessaria; et in loco debito illa custodiantur diligenter, et moderate consumantur, vel expendantur.

Item, procurare debet aquam, et ignem, et herbas de horto necessarias ad salsam, et similia, ut habeantur cum fuerit necesse; et propter casus in quibus contingat ignem extingui sic penitus quod non invenitur in domo, debet habere lapidem et ferrum cum quibus extrahatur ignis, cum fuerit necesse.

Item, quod habeantur sub ejus custodia legumina, quae solent comedi, in competenti quantitate.

---

(1) Cod. Vien.: quam. — (2) Cod. Vien.: purgetur.

II. Circa conventum et hospites et alios extraneos.

Item, interest ipsius quod legumina, vel herbas de horto secundum dies in quibus haec vel illa solent comedi, vel alia pulmenta faciat tempestive et diligenter mundari et parari, apponendo magnam curam quod pulmenta bona semper habeantur in conventu.

Scire etiam debet a procuratore tempestive quid praeter pulmenta debeat praeparari, et utrum unum pulmentum, vel plura; et habere diligentiam magnam quod fratribus nunquam dentur ova, vel pisces, vel alia, putrida, vel minus cocta.

Cum autem appropinquaverit hora comedendi, nunquam debet dicere quod pulsetur cymbalum, quousque omnia, sive pictantiae sive salsae, sive alia, sint ita plene vel fere parata, quod ministrando omnia continue, nullam moram oporteat facere.

Ipsius etiam est facere scutellas, et dividere, et dispensare pictantias et alia hujusmodi bona fide, et omnia ad fenestram ministrare servitoribus, nisi forte procurator aliquando hoc sibi assumere velit, vel ipsemet aliqua de istis committere velit pueris vel aliis qui cum eo serviunt in coquina.

Si autem praelatus ordinaverit quod alicui vel aliquibus paretur aliquid aliud quam (1) communiter paratur, propter aliquam infirmitatem vel aliam causam, vel ad tempus vel semper, debet providere quod circa hoc non fiat defectus.

Similiter debet habere diligentiam debitam circa ea quae parantur pro hospitibus, sive operariis, sive aliis quibuscunque, (2) quod omnia fiant tempestive, et ordinate, et bene; et quod omnia quae de mensis remanent, recolligantur diligenter, et reserventur sive ad eleemosynam sive ad alios usus, prout eorum qualitas requirit.

III. Circa adjutores.

Circa pueros vero, seu familiam quae quandoque (3) servit in coquina, debet habere curam ut indoctos charitative instruat in agendis, minus disciplinatos vel morigeratos, prout poterit bono modo, ad honestatem inducat, et corrigenda circa eos

---

(1) Cod. Vien.: aliud quod non. — (2) Cod. Vien.: aliis quibus oportet. — (3) Cod. Vien.: quaecumque servit.

eorum indicet correctori, et caveat ne res domus distrahant, vel prodige pro se vel pro aliis expendant.

Et si viderit eos ineptos omnino ad officium coquinae, vel inhonestae vitae, vel alias inutiles, vel indignos societate fratrum, non debet hoc celare procuratori et praelatis.

Summe vero cavere debet ut nunquam (1) eos percutiat, vel conviciis aut maledictionibus, vel hujusmodi verbis inordinatis conturbet, vel aliquid faciat, vel dicat coram eis, unde possint habere occasionem detrahendi ordini post recessum.

Debet etiam providere eis de cibo et potu, et de numero et horis comestionis eorum ordinare, et distribuere eisdem quid in pictantiis vel aliis fuerit dividendum, et carnes quae infirmis remanent eis interdum dare et dividere, si praelato visum fuerit expedire.

Debet etiam caute providere ut cum eis vel servitoribus hospitum vel infirmorum, vel aliis accedentibus numquam litiget vel clamose contendat: sed in spiritu patientiae et mansuetudine (2) omnibus satisfaciat, prout potest.

Cavendum est etiam ei diligenter ne unquam extranei intrent coquinam, nisi forte aliqui coqui magnatum, cum apud nos comedunt, et conventum procurant: et tunc valde cavendum est ne videant aliquid in coquina, vel in accedentibus, vel servientibus ibidem, quod eos possit offendere; in quo casu cavendum est etiam ne coquina infirmorum cum carnibus unquam paretur in communi coquina conventus, sed alibi.

Ut autem omnia fiant diligenter, debet se extrahere ab aliis occupationibus, et mane brevem missam audire, et evigilare servientes in coquina, cum nimis dormiunt; et non solum dicendo, sed manum apponendo dare operam ad omnia peragenda.

Cum autem comedere habet in secunda mensa, debet ordinare quod aliquis de servientibus in coquina interim suppleat vices suas, et dicere quid sit ei faciendum.

IV. Circa infirmos.

Ubi autem in magnis conventibus coquina infirmorum separata est a coquina conventus, debet ibidem esse

(1) Cod. Vien. ex correct.: ne unquam. — (2) Cod. Vien.: mansuetudinis.

proprius coquinarius, qui secundum modum praenotatum, omnia peragat quae ad coquinam infirmorum poterunt pertinere.

Cujus est etiam habere curam quod plumae, vel animalium pelles, si quae superfuerint, ad usus aliquos reserventur.

Si vero coquina infirmorum non sit alia a communi, sed in communi coquina praeparatur pro eis, debet ibidem esse proprius serviens pro infirmis, si communes servientes non sufficiant, qui diligenter ibidem praeparet quae pro eis fuerint praeparanda, sequestratim ab aliis et distincte.

De multitudine vero famulorum seu fratrum servientium in communi coquina, vel infirmorum, debet praelatus ordinare, prout multitudo fratrum et negotiorum requirit.

Si vero contingat quod nullus frater ponatur in coquina pro coquinario, sed famulus aliquis saecularis, debet procurator supplere quae praedicta sunt de coquinario per se vel per aliquem de famulis ad hoc aptiorem, si potest et si viderit expedire.

CAP. XXXI.

DE OFFICIO CUSTODIS CELLARII

Custos cellarii dicitur frater qui habet curam de custodia vini, et omnium quae ad potum pertinent.

Ad quod officium ponendus est frater aliquis qui sciat de his quae pertinent ad custodiam vini. Et si nescit, circa hoc instruendus est diligenter, et ipsemet, quantum potest, inquirere debet ab illis qui dicuntur scire de arte hujusmodi, et exequi quae ad hoc pertinent, ne vinum depereat aliquo modo, aut per ejus negligentiam destruatur.

Porro ad hoc officium debet habere cellarium secundum modum terrae in bono loco, et bene aptatum; habens unum ostium ex parte interiori ad intrandum illuc secreto, cum fuerit necesse.

Debet autem, si fieri potest, sic esse dispositum quod habeat fenestras ad aquilonem.

Bonum etiam est quod sint ibi duae distinctiones, in quarum secunda plus reservetur de vino, ne forte saeculares interdum intrantes a casu primo intuitu videant omnia.

Cavendum etiam est ne unquam illuc intrent extranei, nisi valde familiares et secretarii (1) fratrum sint. Et ideo expedit aliquam domunculam vel appendicium fieri ante cellarium extra, in quo reponatur vinum a saecularibus, postea introducendum per fratres, vel familiam, vel alios magis familiares, sive per canales, sive alio modo.

In regionibus vero in quibus solent vina custodiri in diversis locis in hyeme et aestate, solent etiam haberi duo genera cellariorum: unum super terram pro hyeme, et aliud sub terra pro aestate.

Pertinet etiam ad istum officialem appropinquantibus vindemiis habere curam de doliis diligenter parandis, et habere utensilia in loco debito, vel instrumenta, et similia, quae possunt esse necessaria ad succurrendum, cum timetur de vini effusione, vel ad reparationem aliquam faciendam, vel ad alios usus.

Debet etiam cum candela frequenter die et nocte circuire per dolia, ad videndum ne aliquod periculum immineat de effusione.

Cum autem dolia evacuata fuerint, debet ea diligenter mundare, et reponere in loco apto custodiae eorum, ne putrescant, vel deteriorentur, hoc proviso ne locus ille sit adeo patulus, quod frequenter vel facile ab exterioribus videatur.

Ipsius quoque interest frequenter tentare vina, ne corrumpantur, et transferre de vase in vas, et miscere ad invicem, cum fuerit faciendum; et scire quae melius servari possint; secundum ordinationem procuratoris vel praelati, habita cum eisdem primum collatione, primo ministrare quae ipsi primo dixerint ministranda; et secundum ordinationem eorum scire quod vinum conventui, quod hospitibus, quod infirmis, quod familiae, quod operariis, quod advenientibus diversis, et hujusmodi, dare debeat; et utrum temperatum, et qualiter, vel purum, et utrum in mensura, et in quali mensura, et quod ipsi ordinaverint exequatur diligenter.

Post comestionem vero debet per omnes officinas in quibus

(1) Intellige *secretorum participes.*

fuerit vinum, discurrere, et recolligere, si quid superfuerit in loco quocunque, et ponere (1) in certo loco, ut detur postmodum quibus secundum ordinationem prioris vel procuratoris visum fuerit expedire.

Solet autem ad custodiam hujusmodi reliquiarum vini, vel depurationem, haberi dolium salviatum (2) vel de raspeto, (3) in quo omnes hujusmodi reliquiae reponantur, ut melius conserventur.

Debet etiam providere quod horis debitis inveniatur circa cellarium, cum vinum fuerit ministrandum; nec debet tradere nisi illis solis ad quos pertinet ex officio accipere: et nec illis in aliis horis, vel extra mensuram taxatam, nisi de licentia speciali.

Cum autem aliquod vinum contingit corrumpi graviter, nunquam postmodum dandum est fratribus, nec miscendum cum alio vino bono, sed secundum voluntatem praelati fiat de eo quod ipse dixerit faciendum.

Cum autem tempus fuerit procurandi vel emendi vinum, ubi emitur, vel ex toto, vel ex parte, debet hoc ita tempestive praelato et procuratori ad memoriam reducere, quod valeant in tempore congruo providere.

In claudendis vero fenestris et aperiendis sive de die sive de nocte; sive in calore, sive in frigore; sive in temperie, sive in inquieto tempore; sive in vento australi, sive aquilonari; et in claudendo cellarium, et custodiendo clavem diligenter, tantam debet habere sollicitudinem ne ex omissione aliqua contingat laedi vinum, vel per manum temerariam in aliquo deperire.

Porro ubi non est usus vini, sed cervisiae, vel alterius potus, sic facere debet circa illud genus potus omnia supradicta quae competunt circa illud, et alia quae requirit conditio potus illius, sicut fuerit faciendum.

Et caveat, ne cum aliqua pitharia (4) de vino datur procuratori pro fratribus vel infirmis vel hospitibus, vel in conventu, sic fiat incaute quod cedat in scandalum aliorum.

(1) Cod. Vien.: in loco commode reponere. — (2) Dolium salviatum fuisse videtur dolium salvia (gall. *sauge*) imbibitum. — (3) Dolium de raspeto vocabatur dolium quo vinum *recentatum* asservabatur. — (4) Cod. Vien.: pictanti.a

CAP. XXXII.

DE OFFICIO VESTIARII

Vestiarius dicitur non frater qui facit vestes, sed qui est constitutus tam super eos qui faciunt vestes, quam super illos qui faciunt sotulares.

Ad officium ejus pertinet habere curam de omnibus quae pertinent ad indumenta et calceamenta et annexa istis, ut sunt cappae, caputia, tunicae, pellicea, et capelli, cinguli, cinctoria, vaginae cultellorum, sotulares, contisiae, corrigiae sotularium, bottae, brachalia, sive cordae, et ligaturae ad caligas, et unctum ad sotulares, caligae, socci, et similia.

Item, lecti et coopertoria pro lectis, et cussini, et cervicalia, stramina, paleae, fiscones et culcitrae, et capitegia pro infirmis, et linteamina pro balneis.

Item, forelli (1) et carta pro libris.

Item, panni pro lotione pedum et capitum, et pro rasura pectines et rasoria, et bendelli (2) pro minutione, et forfices ad ungues scindendos, et si qua sunt similia.

Ad horum autem conservationem et repositionem debet habere domum aliquam idoneam, et in loco aptam, praeter illam vel illas in quibus operantur sutor et sartor, qui debent habere duas, vel unam in duas distinctam, in quibus ipsi famuli saeculares, si qui fuerint necessarii, operari debent; et omnes simul sub cura vestiarii et ejus obedientia debent esse.

Interest etiam ipsius curam habere de omnibus praedictis procurandis, reparandis, reficiendis, ministrandis, recolligendis et conservandis, et expensis pro hujusmodi factis computandis, quas recipere debet vel a procuratore, vel aliunde, vel ipsemet, vel alii quaerere, secundum ordinationem praelati et consuetudinem domus.

Cum autem hyemale tempus appropinquaverit, debet apponere curam quod id quod dandum est fratribus pro vestibus sic tempes-

---

(1) Sc. vaginae; gall.: *fourreaux*. — (2) Scil. fasciae; gall.: *bandeaux*.

tive procuretur, quod antequam frigore fratres laedantur, omnia habenda habeantur.

In distributione vero interest ipsius videre quid quisque habeat, ut melius sciatur indigentia cujuscunque.

Debet autem scire a praelato quae liceat eum dare sine licentia ipsius, et quae non, et quod jusserit observare.

Cum autem frater aliquid petierit de praedictis, et indiguerit, debet ei charitative sine difficultate ministrare quod petit, si potest sine licentia, vel licentiam procurare.

Si autem non indiguerit, debet eum charitative monere ut supersedeat a superfluitate quam petit.

Quod si noluerit, (1) debet hoc ipsum indicare praelato, et facere quod jusserit faciendum.

Nihilominus debet inspicere fratrum necessitates, vel intelligere, cum ab aliis ei significantur.

Et licet frater indigens nihil petat, debet ei tanto magis sollicite providere quanto humilitas sua dignior est favore.

Cum autem novum aliquid datur fratri, debet vetus reddere, nisi de licentia, si indiguerit, illud eum retinere contingat.

Cum autem emenda fuerint aliqua de praedictis, sive de bonis conventus, sive ex pecunia specialiter ad hoc alicui data, debent omnia emi per manum ejus.

Et cum oritur aliqua dubitatio de aliquo panno utrum sit notabilis in pretio, vel in colore, vel alio quocumque modo, non debet inde aliquid facere, quousque per examinatores, si sunt in domo, vel per praelatum, si non sunt, fuerit judicatum utrum sit secundum ordinem vel non.

Nunquam autem sine licentia ejus debet aliquis sibi facere scindi vestes, vel sotulares, vel hujusmodi, aut in domo aut extra, nisi forte sit in itinere constitutus.

Ejus etiam est recipere sive pannos, sive vestes, sive denarios qui dantur pro hujusmodi vel conventui, vel etiam fratri cuicumque, et custodire, et facere quod de his fuerit faciendum.

---

(1) Cod. Vien.: voluerit.

Ad ipsum quoque pertinet novitiorum vestes praeparare, cum fuerint induendi, et in capitulum portare, et vestes eorum saeculares servare, nec sine eorum voluntate aliquid facere de eisdem.

Debet etiam providere receptori hospitum de vestibus pro hospitibus ad mutandum, et familiae de competentibus vestibus et calceamentis, secundum ordinationem praelati, cum domus ipsis ad ista teneatur; et advertere ne vestes deferant lascivas, seu minus honestas.

Servitoribus etiam infirmorum et hospitum ministrare debet illa quibus indigent pro illis quibus serviunt, sive pro lectis, sive pro aliis quibuscumque ad suum officium pertinentibus.

Cum autem in dormitorio fit aliquis lectus de novo, vel aliquis est qui non habet necessaria, ipsius est in hujusmodi sive ibi sive alibi providere in tota domo, quandocunque necesse fuerit.

Tempore vero capituli, aut supervenientis multitudinis fratrum, cum non sufficiunt lecti, aut supellectilia domus, ipsius est procurare deforis quod deest, et signare cujus sit unumquodque, et habere curam de reddendo tempore suo, proviso quod si aliquid deturpatum fuerit, vel in aliquo laesum, primo reparetur et mundetur.

Et cavendum est in iis casibus ne coopertoria de serico vel aliter pretiosa et notabilia mutuentur, sed humilia, ubi hoc poterit observari.

Item, ad ipsum pertinet habere aliqua grossa (1) scapularia pro conversis quae eis tradat cum serviunt in coquina, vel caemento, vel aliis hujusmodi operibus, quae solent vestes deturpare.

Similiter pro fratribus vel famulis qui serviunt in coquina, vel pro fratribus qui raduntur et illis qui radunt aliquas camisias, quibus tunc utantur desuper ad munditiam conservandam.

Porro cum lotio communis vestium fuerit facienda, debet de omnibus ad hoc pertinentibus sive lixivio sive ministris et similibus curam habere, et hoc in capitulo praedicere, ut certa hora et certo loco deferant fratres quae fuerint lavanda, et cum signis appositis vestibus tradere singula ipso praesente.

De quibus custodiendis et reddendis singulis ad curam ipsius pertinet.

---

(1) Cod. Vien.: grisea.

Et idem in unctione communi sotularium observetur.

De particularibus vero lotionibus et unctionibus sotularium, cum frater ad eum recurrit, debet procurare quod fiat cum licentia quod secundum indigentiam fuerit faciendum.

Cum autem aliqua viderit circa lectos vel alibi, sive coopertoria, sive alia ad suum officium pertinentia otiosa vel derelicta, debet ipsa recolligere sollicite, et bottas omnes et pellicea omnia tempore certo ad vestiariam deferre, et dare operam circa omnia quae sunt in vestiaria sic custodienda et excutienda, vel ad solem projicienda, vel ad aerem pro tempore exponenda, quod vel a tineis, vel a muribus, vel muciditate, vel alias non laedantur.

Bottas autem et pellicea et vestes, et alia quaecumque remanserunt quae possunt aptari ad usus fratrum, debet facere sic in tempore reparari aliter otioso, quod suis temporibus omnia parata sint ad fratrum necessitates; quae vero non possunt bono modo in usus fratrum vel familiae redire, debet sollicite ad eleemosynam reservare, et cum consilio praelati distribuere tempore opportuno.

Cum autem frater indiget aliqua reparatione vestis, ut cum manicis aliis indiget, vel soleis, et similibus, super his debet providere quod fiant.

Cum autem indiget aliquibus saecularibus ad hujusmodi opera peragenda, nunquam debet eos introducere ad loca fratrum secreta, nisi sint valde honesti et familiares; sed in loco a secretis fratrum remoto in domo alicubi sunt ponendi, vel in villa ad eos vel ad domos proprias interdum hujusmodi opera sunt mittenda, dummodo sint talia quae possint a saecularibus sine scandalo videri.

Cum autem aliqui saeculares domum frequentant, cavere debet ne remaneant aliquando in loco tali (1) quod per manum temerariam aliquid deperire contingat, et super hoc fratres cautos reddere.

Quod si frater aliquis circa custodiam hujusmodi negligens fuerit, vel etiam vestes suas male tractaverit, vel in aliquo circa ea quae ad suum officium pertinent offenderit, pertinet ad ipsum illum in capitulo proclamare, et suggerere praelato de admonitionibus quas vi-

(1) Cod. Vien.: in aliquo loco tali.

derit faciendas circa ea quae ad suum officium pertinent quoquo modo.

Cum autem perpenderit quod aliqui fratres aliquas superfluitates habeant in vestibus, vel coopertoriis, et hujusmodi, debet instare apud praelatum quod injungat in capitulo quod quicumque habet aliquid extra numerum taxatum a constitutionibus, vel aliter superflua, sic vel sic reddat (1) infra certum tempus vestiario.

Tempore vero scrutinii, (2) cum invenitur aliquid superfluum de his quae ad ipsum pertinent, debent omnia talia sibi tradi.

Si vero aliquis frater aliunde asportaverit aliquam vestem vel nimis longam, vel in aliquo notabilem, seu etiam sotulares, pertinet ad ipsum hujusmodi vestem corrigere, vel praelato suggerere quod auferatur ei, si secundum ordinem tolerari non debet. Et cum a multis exceditur in longitudine scapularium, vel capparum, vel in pileolis pretiosis, et similibus, debet erga priorem instare quod hujusmodi corrigantur.

Ubi autem pro vestibus faciunt fieri fratres pannos de lana, vel empta, vel alias data, debet sic hoc fieri (3) caute quod apud extraneos inde verba facile non possint exoriri.

CAP. XXXIII.

DE OFFICIO SARTORIS

Sartor dicitur frater conversus qui scit artem scindendi et suendi in pannis et in pellibus, et cognoscendi pannos; et si quid minus plene scit, in istis debet addiscere diligenter.

1. Circa res habendas. Ad hujusmodi officium pertinet habere secretam aliquam domum bene fenestratam ad habendum multum de lumine, in qua sit aliquod incisorium, scilicet locus aliquis de asseribus complanatis, collocatus in alto, et aptus ad scindendum;

(1) Cod. Vien.: quicumque habent... reddant. — (2) Quod fuit visitationis genus. — (3) Cod. Vien.: procurare.

insuper perticae, et arcae, et armaria, et hujusmodi, ad repositionem et custodiam rerum quae apud eum ponuntur.

Ad istum etiam pertinet habere forbices, acus, fila, et similia, ad artem suam necessaria, in locis certis, pro se et pro suis adjutoribus abundanter, secundum quod requirit multitudo eorum quos oportet interdum ad suum adjutorium convocari.

Eos vero qui ei adjunguntur in adjutorium debet docere in his quae minus sciunt, et in omnibus dirigere; et ipsi secundum quod ipse dixerit operari, et in omnibus ei obedire.

Non debent autem aliqui famuli recipi ad manendum in domo continue sine licentia praelati, nec ad horam etiam sine licentia vestiarii.

Debet autem illis qui debent in domo comedere secundum ordinationem procuratoris et quid, et quando, et ubi comedant providere, et de lectis, si jacent in domo, secundum ordinationem vestiarii, super hoc cum praelato collationem habentis.

Si vero pro pretio stant cum fratribus, pertinet ad vestiarium solvere, et ipsius est ad hoc eum instigare.

Si vero adverterit in eorum aliquo aliquid propter quod non expediat vel deceat eum in domo commorari, utpote quia distrahit bona domus, vel est malae vitae in aliquo, vel similia, debet hoc vestiario sine mora vel praelato significare.

Debet autem tam honeste coram eis se habere, quamdiu sunt apud nos, et eos in his quae ad salutem pertinent dirigere et instruere, quod non se ingerant super fratres, vel ad loca ubi non debent, et similiter quod et ipsi ex conversatione inter fratres meliores fiant, et fratres ab eorum societate non molestentur in aliquo vel turbentur.

II. Circa actus ejus. Porro in operando sic debet esse sollicitus quod non solum de die, verum etiam de nocte, tempore quo fratres vigilare solent, operetur ad lumen, orationibus pro matutinis suis breviter et expedite consummatis.

Similiter in aestate, dum fratres dormiunt in meridie, si potest commode sustinere; et licentiam obtinere, quae de facili dari debet; et propter hoc indulgeri ut possit a matutinis remanere, et dormire tunc, ut possit hujusmodi vigiliam de die melius sustinere.

Potest etiam, petita licentia a praelato, operari in omnibus festis quae non sunt ab Ecclesia, vel consuetudine generali patriae introducta.

Propter opus etiam potest ab horis omnibus, praeter quam e completorio, remanere, et sufficit unicam missam privatam breviter et expedite audire.

Sic autem debet subjacere vestiario quod in omnibus praeferat ea quae ipse dixerit, nec sine ejus licentia debet aliquid dare fratribus, licet etiam modicum, ut capellum, vel soccos, et hujusmodi; nec magnum quid pro eis facere, ut est scindere cappam vel tunicam, ponere novas manicas, ut similia.

Modica tamen, ut est suere aliquid in tunica, vel apponere modicam petiam in veste, et hujusmodi, potest facere sine licentia speciali.

In scindendis vero vestibus fratrum debet diligenter curare quod religiose et non saeculariter fiant; vel cum aliqua lascivia parentur, sed uniformiter: et ideo debet habere formas aliquas, sive exemplaria de pergameno vel ligno pro caputiis, pro capellis, pro manicis, et similibus, ut uniformiter et modo religioso ad illa exemplaria faciat universa; et fiant in competenti mensura, cum non fiant vestes in incertum, sed pro fratre aliquo, vel aliquibus certis; qui debent advocari, ut secundum eorum staturam coaptentur.

Cum autem aliquis pannus ei apportatur a quocumque, etiam a vestiario, et videtur reprehensibilis in pretiositate, vel colore, vel alias, nunquam debet ipsum incidere, quousque praelato ostenderit, ut ipso examinato ab eo jubeat quod voluerit super illo.

Cum autem non habuerit certum opus, debet circa illa quae reparanda sunt, vel paranda pro futuris temporibus, sic vacare, quod tempore necessitatis majoris illa expedita sint, et tunc possit melius se impendere necessitatibus instantibus.

Si vero non sufficiat per se ad omnia facienda, debet instare apud vestiarium quod sic tempestive provideat eidem de adjutorio, quod tempore opportuno sint omnia competenter expedita.

Denique in iis quae pertinent ad officium vestiarii supra notatum, et respiciunt officium suum, debet eum sollicitare et dirigere

et juvare, et ejus negligentias vel ignorantias, seu etiam offensas circa suum officium, praelato ostendere diligenter, ut vel corrigat vel mutet. (1)

CAP. XXXIV.

DE OFFICIO SUTORIS

Sutor dicitur frater laicus qui scit artem faciendi sotulares et suendi in corio.

Cum autem hujusmodi officium imponitur ipsi, pertinent ad eum omnia circa hujusmodi materiam quae dicta sunt de sartore circa pannos, et cavendum est ei diligenter ne faciat sotulares qui in forma, vel strictura, vel in aliqua alia nota aliquid sapiant saeculare, sed potius humilitatem et religionem; nec sint in altitudine nimia reprehensibiles.

Cum autem contingit eum cum sartore habere aliquam domum communem, debent sic in illa secundum aliquam distinctionem operari, quod eorum opera (2) non commisceantur confuse.

Cum autem habet uterque famulos, possunt in ministrando eis cibum sic officium per septimanas dividere, ne uterque insimul occupetur in eo quod potest per alterum fieri competenter.

Cum autem officinae hujusmodi operariorum sunt ita extra clausuram claustri quod de nocte non possunt ire ad illas ad operandum, debent aliqua apportare ad dormitorium, vel ad locum aliquem intra clausuram praedictam, tempore hyemali, in quibus operentur de nocte, caventes a tumultu.

Cum autem indiget unus altero in aliquo, ut sutor sartore in juvando ad unctionem, sartor sutore ad lotionem vestium, et similibus, debent libenter mutuo se juvare.

Porro cum non est aliquis in domo frater ad artes hujusmodi,

---

(1) Cod. Vien.: ut vel corrigatur vel mutetur. — (2) Cod. Vien.: quod res eorum.

vel earum alteram exercendam, sed famulus aliquis saecularis, pertinet ad vestiarium hujusmodi famulo committere omnia quae ad officialem pertinent praedictum, vel aliqua; et ordinare de eo et circa eum hoc et alia, prout viderit expedire.

Si vero nec frater, nec famulus sit in domo ad ista facienda, quod valde cavendum est, providendum est a vestiario quod sic caute per familiares fiant hujusmodi, quod exinde non possint oriri scandala, (1) vel domus etiam in bonis hujusmodi damnificari.

CAP. XXXV.

DE OFFICIO PRAEFECTI OPERUM

Praefectus operum dicitur frater qui constituitur ad exequendum circa opera illud quod praelatus de consilio operariorum, si magnum quid fuerit, vel etiam alias sine consilio, dummodo non sint magna, duxerit ordinandum.

Debet autem ad hujusmodi officium haberi, si possit, frater qui circa hujusmodi habeat prudentiam bonam, qui inter operarios et alios saeculares sciat honeste et pacifice conversari; qui etiam circa agenda soleat gerere sollicitudinem competentem, et qui a majori bono propter hujusmodi occupationem non avellatur.

Cum autem secundum modum praedictum instant aliqua opera facienda de novo, vel complenda, vel reparanda, ipsius est cogitare et providere de materia habenda, et ad domum portanda, ut sunt ligna, lapides, tegulae, arena, calx, et similia.

Si autem aliqua de istis possunt procurari per fratrum studium et laborem, debet super hoc sollicitare praelatum ut fiat cum debita diligentia tempore opportuno.

Si autem oporteat ista emi, debet cum bonis viris qui circa hoc habeant peritiam, (2) conferre, qualiter bona materia, et cum meliori

---

(1) Cod. Vien.: non possit oriri scandalum. — (2) Edit.: experientiam.

foro, et quo tempore, et ubi possit haberi, et qualiter deferri, et exequi quod ipsi consuluerint faciendum.

Et si statim non ponatur hujusmodi materia in opus, cum fuerit ad domum asportata, vel extra etiam acquisita, suum est providere quomodo custodiatur diligenter, ne pereat, vel deterioretur.

Porro circa opera quae fiunt, debet attendere diligenter ne fiat aliquid quod superfluitatem aut superbiam praetendat; et ad hoc operam dare quod fiant opera durabilia et humilia, et quae paupertati et religioni consona videantur.

Ad ipsum etiam pertinet conducere operarios, et servare, et sollicitare eosdem, et cum sunt in expensis domus, in cibo et potu debito providere eisdem, loco et tempore opportuno; et si debent aliqui aliqua occasione jacere in domo, de loco et lectis, secundum dispositionem praelati, ordinare.

Debet autem attendere quod illi quos assumit sint operarii boni in arte sua, et fideles, et honestae conversationis, et famae; et si contrarium in eis invenerit, sunt ab eo quam citius licentiandi cum tali cautela quod scandalizati non recedant.

Pro eis vero non sunt carnes in domo parandae unquam, nec linteamina ad jacendum, nisi ipsi sua apportent; et hoc debet eis in conventione (1) praedici, cum ad cibum et lectos fratrum conducuntur.

Sic autem se debet habere et dare operam, quod fratres illi sic se habeant coram eis et cum eis, quod non videant apud fratres aliquid quod eis cedat in scandalum vel offensam, sed magis apud fratres proficiant in his quae pertinent ad salutem.

Solvere quoque eis mercedem ita tempestive et fideliter quod occasionem non habeant contra fratres murmurandi.

Item, ipsius interest notare et videre quae sunt in domo reparanda, vel melioranda, sive in tectis, sive in clausuris, sive in his quae ruinam minantur, et in aliis quibuscumque, et ostendere praelato, et secundum dispositionem et licentiam ejus dare operam ad hujusmodi facienda.

---

(1) Cod. Vien.: conductione

Debet etiam diligenter computare quantum recipit, et unde, et quantum, et in quibus expendit; et de hoc suo tempore reddere rationem, et procurare quod poterit pro operibus, si ei imponatur; et quod datum fuerit pro operibus specialiter, si non ad manus alias, sed ad suas, secundum ordinationem praelati, deveniat, in capitulo recitare.

Si vero frater aliquis fuerit in domo qui sciat in istis operibus operari, si ponatur ad operandum, hujusmodi officiali obedire debet, et eum adjuvare in quibus dixerit ei, nisi forte ipsi istud officium imponatur.

CAP. XXXVI.

DE OFFICIO HORTULANI

Hortulanus dicitur frater qui habet curam universalem de horto procurando.

Ad quod officium ponendus est frater qui habeat experientiam circa hujusmodi, vel sciat saltem habere sollicitudinem ad inquirendum ab aliis qui sciunt, et exequendum quod fuerit circa hoc faciendum secundum consilium aliorum.

I. Circa virgultum. Ad hujusmodi officium pertinet dare operam ad arbores, vites, arbusta, et omnia ad virgultum pertinentia, plantanda, inserenda, riganda, purganda, seu putanda, appodianda, liganda, suffodienda, et similia facienda, prout eorum et terrae conditio requirit.

Et cavendum est et circa hujusmodi ne arbores, vel arbusta, vel alia hujusmodi inutilia habeantur, sed ea quae fructus utiles et abunde secundum modum terrae producere solent, et varios secundum temporum varietates; (1) et praecipue tales qui infirmis prosint, vel saltem non sint infirmitatum facile generativi.

Porro providere debet ne arbores altae sint juxta clausuram, per quas possit ascensus fieri vel descensus.

(1) Edit. et cod. Flor.: secundum tempus et varietates.

Item, quod non ponantur nimis spissae, praecipue ubi terra sub arboribus non solum reservatur ad pratum, sed ad aliquid seminandum, et quod in decenti ordine et distantia collocentur, ut non solum ex fructibus, sed etiam recreationem faciant ex decore.

Item, quod nunquam sit tanta spissitudo arborum vel vitium, vel lignorum, vel obumbratio, quin omnes deambulantes, vel residentes in loco quocumque possint competenter videri.

Porro in plantandis arbustis debet attendere quod sint talia quae possint in aliquo valere, ut vimina ad ligandum, rosae ad aquam rosaceam, altarium ornamentum, et similia; et quod haec in talibus locis collocentur quod non impediant utilitatem majorem.

Sine licentia vero praelati non debet magnum quid novum facere, ut arborem aliquam eradicare vel plantare in loco qui solet ad alios usus haberi, et similia quae possunt fieri.

II. Circa terrae nascentia.

Pertinet etiam ad eum dare operam quod habeantur prata, sive pro infirmis, sive pro hospitibus, sive pro conventu in locis opportunis, secundum dispositionem praelati, competentia pro recreatione, et honesta, et munda; et quae hujusmodi opus exigit facere diligenter.

Item, opponere curam magnam quod habeantur in horto semper et abundanter herbae pro tempore competentes ad faciendum olus.

Item, aliqua legumina quae recentia in conventu solent dari, ut fabae et pisa nova.

Item, porri, cepae, allia, cucurbitae, cucumeres, pepones, et similia, prout gignere potest humus nationis illis.

Item, salvia, petroselinum, et hujusmodi herbae vel flores pro salsis tam sollicite cultiventur, quod quocumque tempore de ipsis reperiatur copia pro salsamentis optimis faciendis, ne deperire videantur solemnia fercula pulmentorum, (1) pro condimento pulmenti, pro pulveribus, pro medicinis idonea.

Item, radices, et pastinacea, (2) et similia; semina feniculi, et

---

(1) τὸ « tam sollicite.... fercula pulmentorum » deest in cod. Vien. — (2) Haec sunt, ut videtur, legumina quae apud Gallos *pastenades*, vel *pastenailles*, vel melius *panais*; apud doctos hodiernos *pastinaca sativa*.

anisi, (1) et similia, quae in varias utilitates et usus cedere possunt, sive pro conventu, sive pro medicinis, sive certo tempore consumenda, sive in tempus longius conservanda.

Debet autem in ipso horto tales distinctiones et vias facere quod omnia sint distincta, et locis debitis sic collocata quod non contingat ea pedibus transeuntium conculcari.

Ubi vero solent multi convenire causa habendi salviam, vel petroselinum, et hujusmodi modica, faciendus est aliquis hortulus prope portam, ubi fieri poterit, in quo sint hujusmodi de quibus extraneis sufficiat, (2) ne ad interiora eos frequenter oporteat intrare.

III. Circa utraque. Item, pertinet ad ejus officium procurare diligenter bonos surculos aliunde ad inserendum bona semina, et hujusmodi, praecipue quae non habentur in domo; et tempora observare apta ad singula facienda.

Item, ut melius terra fructificet debet habere curam de ipsa fimanda et riganda, si haberi valeat ad hoc aqua, et de fodienda, et eligendis lapidibus, et eradicandis herbis et arbustis malis, suis temporibus singulis istis et similibus faciendis.

Item, ostendere servientibus in coquina sive pro conventu, sive pro infirmis, quae herbae et in qua parte horti sint pro tempore colligendae.

Scire etiam debet quo tempore, qui fructus, quae semina, quae radices et similia sunt colligenda; quae et quomodo debeant et valeant conservari; et ubi et apud quem, secundum dispositionem praelati; et dare operam ut fiat circa hoc certo tempore quod fuerit faciendum.

Si vero hujusmodi hortulanus sit conversus, debet propriis manibus laborare in praedictis; et alia quae circa laborem diurnum dicta sunt superius de sartore, possunt ad ipsum etiam pertinere.

Si vero sit clericus, potest idem licet non tantum laborare, si sciat.

Si vero sit hortulanus aliquis extraneus saecularis et familiaris, pertinet ad procuratorem ipsi praeesse, et secundum supradicta ordinare de ipso.

---

(1) Quod Galli dicunt *anis*, ex graeco ἄνισον. — (2) Cod. Vien.: satisfiat.

Cum autem hortulanus, quicumque sit, indiget adjutoribus pro variis necessitatibus, debet ad procuratorem super iis recurrere; et si negligens fuerit, ad praelatum.

Ipsorum autem qui ad hoc sunt necessarii debet hortulanus curam habere in conducendo, in ministrando, si debent de bonis domus comedere, et in aliis, prout supra dictum est de praefecto operum circa operarios: hoc excepto quod a procuratore debet expensas recipere ad eorum solutionem, et alias quascumque fecerit ad hortum pertinentes, nisi forte ordinatum fuerit a praelato quod de aliquibus bonis de horto venditis fiant expensae quae pro horto fuerint faciendae: in quo casu de venditis et de expensis debet reddere rationem, et computare procuratori vel alii, prout praelatus duxerit ordinandum.

Cum autem aliqua de horto vendenda fuerint, sic caute fieri debet quod inde verba inter homines vel scandalum non sequantur. (1)

Ipsius etiam est custodire clavem horti, et claudere et aperire tempore oportuno, et cavere ne aliqui extranei indiscrete ingredientes dissipent horti bona.

Si vero fuerint personae reverendae, nullatenus debet eos pro hujusmodi molestare.

Dare quoque non debet aliquid de horto extraneis, sine licentia generali vel speciali.

CAP. XXXVII.

DE QUIBUSDAM COMMUNIBUS AD OFFICIALES MULTOS SPECTANTIBUS

Deinde circa officiales sunt quaedam notanda quae ad multos pertinere videntur.

Debet siquidem omnis officialis, dum imponitur sibi officium aliquod, si videtur sibi quod non habeat gratiam vel vires ad illud faciendum, humiliter excusare se apud imponentem, et ostendere sine falsa humilitate vel fictione quacumque defectus suos circa illud officium.

(1) Cod. Vien.: scandala non sequantur.

Quod si non audierit illum imponens officium, debet in confidentia de bono obedientiae suscipere devote quod fuerit imperatum.

Item, recepto officio debet considerare cujusmodi licentiae generales sunt sibi necessariae ad officium exequendum, pro quibus difficile nimis est recurrere ad praelatum assidue, et de illis cum praelato conferre, quas debet praelatus libenter ei concedere.

Quod si nolit, debet nihilominus facere quod potest bono modo, et pro licentiis hujusmodi recurrere ad ipsum, quantumcumque (1) grave et difficile videatur.

Item, cum aliqui excedunt circa aliqua de pertinentibus ad officium suum, debet super his proclamare, et praelatis suggerere quod faciant admonitiones utiles aliquas circa illa de pertinentibus ad officium suum, de quibus eidem videbitur expedire.

Item, cum non sufficit solus peragere ea quae sunt officii sui, potest erga praelatum pro adjutore instare; et cum adjutore vel adjutoribus sibi datis ita sociabiliter et amabiliter (debet) se habere, quod inveniantur facile qui in ejus adjutorium sustineant assignari.

Item, cum contingit eum recedere de domo, vel infirmitate vel alia impotentia ab officio praepediri, debet vel officium suum committere, vel pro committendo ad alios officiales qui in hoc habent posse, ad praelatum recurrere: et sic diligenter advertere quod ex ejus absentia defectus non fiat.

Item, debet diligenter advertere si aliqua scripta sunt in constitutionibus vel *Ordinario,* vel emanant ab admonitionibus, vel ordinationibus capitulorum generalium, vel provincialium, vel quotidianorum, quae ad suum pertineant officium, et illa sollicite custodire.

Item, cum imponitur sibi officium cui res aliquae sint annexae, ut sacristae calices, paramenta, libri et hujusmodi, et sic de aliis, debet cum recipit officium suum scire quae et quot recipit, et in dimissione, si excreverint, vel si aliqua non supersunt, reddere rationem.

Non debet autem sine licentia generali vel speciali aliquid dare de pertinentibus ad suum officium, vel intus vel extra, nec etiam

(1) Cod. Vien.: quamquam.

recipere; cum receperit, etiam de licentia, debet in capitulo beneficium collatum fratribus ad suum officium pertinens recitare.

Item, expensas quas facit pro officio suo recipere debet, vel a procuratore, vel aliunde, secundum dispensationem praelati, et de ipsis, computationis tempore, vel quandocumque requisitus fuerit, reddere rationem.

Item, cum unus officialis habet aliquid facere cum alio, et in aliquo non consentiunt, non debent litigare ad invicem, vel ad invicem se turbare, sed ad praelatum vel alium recurrere, qui super his habeat potestatem.

Item, cum habet aliquos saeculares in adjutorium, vel cum eis aliquid agere causa officii, debet sic honeste et pacifice cum eis et coram eis agere universa, quod non scandalizentur in eo; et cum sunt de familia ad suum officium pertinente, de pertinentibus ad eos curam gerere specialem, et in omni tempore cavere ne unquam aliquem famulum vel operarium etiam leviter percutiat, vel conviciis lacessat: charitative tamen potest eum corrigere et instruere.

Item, cum uni plura officia committuntur, pertinent ad eum omnia quae de hujusmodi officiis sunt notata.

Cum vero unum officium duobus committitur, debet sic provideri per praelatum quid ad quemque pertineat, quod in (1) confidentia de altero alium nihil negligere vel omittere contingat.

Denique super omnia cavere debet ne sit in aliquo negligens circa ea quae ad officium suum pertinent, et praecipue in his unde turbatio vel damnum temporale vel spirituale fratrum sequi, vel scandalum possit oriri.

Cum autem imponitur ei officium de novo, de quo non est sibi conscius bene quod sciat illa quae sunt in illo officio facienda, debet a praelato petere ut per aliquem exercitatum in illo officio se faciat in omnibus instrui diligenter.

(1) Cod. Vien.: ut ex.

CAP. XXXVIII.

DE OFFICIO DIFFINITORIS CAPITULI GENERALIS

I. Circa ea quae sunt agenda ante diffinitionem.

Ad officium diffinitoris capituli generalis pertinet ut cum electus fuerit, si praesens fuerit in capitulo, postulet a priore provinciali hujusmodi laborem sibi injungi in remissionem peccatorum; et sic ipso imponente recipiat officium humiliter, veniam faciendo, et hoc si oportuerit eum ire longe.

Bonum est etiam (1) quod super hujusmodi officio pro se et pro socio sibi assignato testimoniales recipiat litteras a priore provinciali et diffinitoribus, vel aliquibus aliis prioribus de capitulo, quam quod negligat hoc, propter multas difficultates quae ex defectu litterarum hujusmodi possent oriri.

In ipso etiam capitulo in quo eligitur debet ordinare de via cum socio, si praesens fuerit, utrum insimul ire debeant, et quando, et per quas vias.

Si autem alter (2) illorum tantum praesens fuerit, debet qui praesens fuerit, praedictas litteras procurare, et de supradicta via cum absente per litteras ordinare.

Quod si neuter praesens fuerit, debet prior provincialis praedictas litteras procurare, et diffinitori, vel socio mittere; et qui prius receperit alteri debet de via praedicta significare.

Porro in eundo, quantum possibile est, debet diffinitor sic formam ordinis servare eundo pedes et sine expensis et famulo, quod fratres per quos transierit in hoc aedificet, et audaciam possit habere in capitulo excessus hujusmodi in aliis corrigendi.

Cum autem declinaverit ad conventus, et in ipso capitulo, et inter extraneos per quos transit, sic in vigiliis, in sobrietate, in silentio, in studio, in oratione et in omni honestate et observantia religionis, in collocutionibus et in verbis aedificatoriis dare debet

(1) Cod. Vien.: autem. — (2) Cod. Vien.: unus.

exemplum et consolationem omnibus, ut evidenter appareat quod non immerito ad tantum negotium totius ordinis sit assumptus.

Si vero fratres aliqui, per quos transit, vel in ipso capitulo, velint ipsi aliquid dicere de pertinentibus ad ordinem quod suum officium possit respicere, debet eos diligenter audire; sed cavere ne credat omni spiritui vel suggestioni, nisi loquentes plene sibi sint noti, vel primo inquisierit diligenter a fratribus discretis, et fide dignis, de conditionibus, et discretione, et zelo, et intentione, et motu loquentium, et in quibus, et quantum debeat ei credi.

Debet quoque scire quod multo melius est frequenter sequi consilium et sensum eorum qui parum sibi loquuntur, quam multorum qui multum se solent ingerere ad loquendum, et volunt de singulis judicare; nec est securum conscientiam suam ex hujusmodi auditu formare, quousque constet sibi plenius de auditis.

Item, postquam factus est diffinitor, debet diligenter respicere acta capituli praecedentis, et conferre cum fratribus discretis, tam super illis quam super aliis, quaecumque ad utilitatem ordinis possint in capitulis promoveri, et super iis per totum annum frequenter cogitare et conferre, ut sit melius instructus circa hujusmodi, ut melius ea possit promovere in capitulo: ad quod debet dare operam, habendo in aliquo memoriali constitutiones novas, vel admonitiones, et alia hujusmodi, quae videntur ei promovenda, quae proponere debet inter diffinitores (1) tempore opportuno.

II. Circa diffinitionem.

Item, ad capitulum debet ita tempestive venire ne mora ejus diffinitores aliis ex hoc impediantur a procedendo in agendis; et cum in domo fuerit, sic officium et missam dicere vel audire in tempore congruo, quod eorum occasione vel alia non impediatur quin semper sit cum aliis tempestive, vel in capitulo, vel in loco diffinitionum.

Cum autem in capitulo resederit, sic in loquendo, judicando, et in omnibus, sociis suis debet deferre, et sibi eos anteferre, et in omnibus mature, modeste et humiliter agere, juste et rigide tamen, et sic sine personarum acceptione pro tempore se habere, quod nec

(1) Cod. Vien.: proponere debet diffinitoribus.

praesumptuosus, vel inutilis, vel remissus, vel sine zelo religionis valeat ab adstantibus reputari.

Porro in diffinitionibus non debet multum curare de ordine loci vel vocis, nisi communiter aliis placuerit observari; (1) nec contentiose aliquid agere, vel clamose, nec esse multum confirmatus in sensu suo super iis quae ante deliberaverat, vel aliis quibuscunque emergentibus, praecipue cum in discussione videt validiores ad oppositum rationes, vel videt illos qui magis exercitati sunt, et discretiores habentur, a sua sententia discrepare.

Quod si forte in aliquam declinat sententiam, quae ante pronuntiationem diffinitionum videatur sibi minus bona, potest et debet illam sententiam revocare ante diffinitionem praedictam.

Summopere vero cavendum est sibi, cum sit judex, ne in aliquo casu faciat aliquid pro persona aliqua, vel conventu, vel provincia, vel natione, vel contra, quod sapiat acceptionem quamcumque; nec unquam declinet in aliquam sententiam quae ad enervationem ordinis, vel minorationem status ejus cedere possit; vel in aliquam ordinationem quae intolerabilis communitati fratrum reputetur, vel possit esse transgressionum occasio plurimarum: sed sic in omnibus cum zelo sancto et discretione incedat quod ad patriam revertens, super aliquo quod fecerit modico tempore potestatis suae non oporteat conscientiam remordentem eum habere.

Si vero aliqua sibi injuncta fuerint a condiffinitoribus facienda, utpote legere litteras, vel scribere aliqua memorialia de his quae leguntur inter diffinitores, vel habere curam vel custodiam de aliquibus quae inter eos recitantur, vel aguntur, de hujusmodi debet sic habere curam diligentem quod circa haec omissio vel negligentia nulla contingat.

Si vero fratres aliqui velint sibi tradere litteras aliquas, vel alia pertinentia ad diffinitores, debet ea recipere, et diffinitoribus in communi praesentare.

Debet etiam introducere quandoque fratres qui habent negotia, cum commode potest, ad eos.

---

(1) Cod. Vien.:... vocis, ubi communiter hoc aliis placuerit observare.

Ipsius etiam est providere, quantum potest, ne ipse vel alii diffinitores tantum occupentur circa aliqua personalia, vel localia, vel minus utilia, quod communia et utiliora currente tempore expedire non possint.

III. Circa provinciam suam. Item, de iis negotiis quae pertinent ad provinciam suam debet conferre cum socio suo, ut ea communi consilio, si talia sunt quae utrique sint communicata, (1) vel communicari possint, expediat diligenter, et non confuse.

Proinde si habentur litterae aliquae, aut negotia aliqua pertinentia ad solum magistrum, debent ante capitulum quam cito possunt sibi litteras praesentare, et negotia proponere ordinate: scilicet ea quae provinciae sunt, primo; quae sunt conventus vel conventuum aliquorum, secundo; quae sunt fratris vel fratrum, tertio; quae sunt eorum qui non sunt de ordine, quarto.

Si vero pertinent ad diffinitores, observata hora ab ipso diffinitore, debet ingredi socius, et cum diffinitore reddere litteras, vel proponere negotia ordine supradicto; et debent habere curam de expediendis negotiis, et rescribendo, cum fuerit rescribendum.

Si vero sunt negotia impertinentia ad magistrum vel ad diffinitores, ut sunt emptio librorum et similia, debent cum licentia magistri, si fuerit necessaria, vel prioris domus, si ad eum pertinuerit, (2) et adjutorio, si indiguerint, illa prout poterunt honeste et religiose expedire.

Si vero fuerit aliquod negotium tale quod inter utrumque non sit communicandum, debet ille cui commissum est, vel ad quem pertinet, illud prout commode poterit expedire.

Cum autem inter diffinitores agitur de provinciae suae statu, vel aliquibus ad eam pertinentibus, debet super quibus requiritur ab eis, vel a magistro, per se fidele testimonium dare loquendo de singulis, de scientia, vel credulitate, (3) vel nescientia, prout in conscientia sua reperit universa.

---

(1) Cod. Vien.: commissa. — (2) Cod. Vien.: pertinuerint. — (3) Sic intellige quod loquatur « de singulis, » significans utrum « de » scil. *ex* scientia, vel credulitate, etc. loquatur.

Si autem aliquid habet referre de sua provincia, debet omnia sic recitare distincte, quod sciatur a diffinitoribus quid dicat de motu suo, quid ex parte capituli provincialis, vel diffinitorum capituli provincialis, vel conventus, vel conventuum, vel fratris, vel fratrum aliquorum.

IV. Circa ea quae sunt agenda post diffinitionem.

Postremo terminata diffinitione, sua interest dare operam quod omnia quae ad suam pertinent provinciam, quae nondum sunt expedita, expediantur; et ubi in regressu invenerit fratres turbatos de aliquibus in capitulo ordinatis, reddere eis rationem super istis, et eos, ut commode poterit, sedare.

In capitulo vero suo provinciali debet reddere omnia, et conferre quae ad ipsum pertinent, quae de capitulo generali emanaverint, ut sunt acta capituli generalis, litterae magistri, litterae vel indulgentiae novae, si quae sunt impetratae de novo, et similia; et habere curam quod ibidem publicentur; et super constitutionibus inchoatis de novo, vel admonitionibus, si qua obscuritas invenitur vel admiratio oritur, declarare intellectum, et rationes assignare quae diffinitores moverunt ad ista.

Si vero magister vel diffinitores commiserint ei aliqua verbo vel litteris in sua provincia vel alibi nuncianda vel exequenda, quod injunctum fuerit diligenter executioni mandare.

CAP. XXXIX.

DE OFFICIO SOCII DIFFINITORIS CAPITULI GENERALIS

I. Circa quaedam capitulum praecedentia.

Officium socii diffinitoris capituli generalis est hujusmodi.

Cum officium sibi fuerit injunctum, si excusationem ejus recipi non contingit, debet cum venia et humilitate recipere; deinde cum diffinitore de agendis, si praesens est, verbo, vel si absens est, per litteras pertractare; et ei tanquam majori in eis quae communiter ad eos pertinent, obedire.

Habere etiam curam specialem de petitionibus provinciae, et litteris capituli provincialis, vel conventuum, vel fratrum portandis, et de negotiis aliis, sive sint causae, sive quaestiones, vel alia quaecunque, proferendis, (1) et cum consilio diffinitoris et auctoritate ipsius suo tempore promovendis et expediendis.

Si autem contingat eum ire cum diffinitore, licet prior sit in ordine, debet eum tanquam priorem et patrem habere, et procurare erga priorem provincialem quod hoc ipsum ordinetur ab eo.

II. Circa capitulum. Porro cum in loco capituli fuerint, debet in dicendo officium, in celebrandis missis, in jacendo prope eum, si fuerit ordinatum, in scribendo, vel exequendo aliqua pro eo, si voluerit, et similibus, eidem assistere reverenter et diligenter juvare; negotia quoque, prout poterit, debet eidem reducere ad memoriam, et cum eodem, et secundum ejus consilium in singulis promovere; litteras quoque ad magistrum et diffinitores pertinentes, quas habet, cum ejus consilio reddere tempore opportuno.

Item, dum diffinitor vacat diffinitionibus, debet habere curam specialem de scribendis actis, et litteris magistri, et indulgentiis novis, si ibi fuerint; et sub authentico sigillo habendis, et similibus quae oportet ad suam provinciam deferre; et sollicitare magistrum ad rescribendum illis qui scripserunt de sua provincia eidem; et si magister ei dixerit, ipsemet curam habeat de hujusmodi litteris secundum modum consuetum scribendis.

Debet etiam litteras procurare de beneficiis, quae fuerint procurandae pro personis ad suam provinciam pertinentibus, et prosequi causas suae provinciae, si quae fuerint, vel agendo, vel respondendo quantum potest; et alia negotia suae provinciae, quantum potest sine diffinitore, expedire; et pro istis, cum potest, ad eum recurrere; et omnia hujusmodi sic sollicite expedire, quod facta diffinitione non oporteat moram contrahere propter ista.

Si vero non fuerint expedita omnia, diffinitione completa, tunc cum diffinitore jam expedito debet operam dare ad omnia quae remanent expedienda quam cito potest.

---

(1) Cod. Vien.: perferendis.

Si vero diffinitores vel magister inquisierint aliquid ab eo de pertinentibus ad provinciam suam, vel ipse aliquid de istis habeat dicere eis, debet circa ista fideliter et discrete procedere, sicut supra dictum est de diffinitore.

III. Circa regressum.

In regressu vero magis specialem curam debet habere de actis, et litteris, et aliis hujusmodi reportandis, quam diffinitor, licet uterque debeat de his cogitare, et reddere omnia quibus fuerint reddenda.

In capitulo vero provinciali debet acta, litteras magistri, et indulgentias, si quae sunt novae, et alia pertinentia ad capitulum illud, reddere diffinitori, et laborare cum eo ut legantur, et fiat de eis quod fuerit faciendum.

Si vero magister, vel diffinitores aliqua commiserint ei agenda cum diffinitore, vel soli, debet exequi diligenter, prout fuerit sibi dictum.

IV. Circa successionem in diffinitione.

Quod si oporteat eum diffinitorem esse secundum formam constitutionum, propter mortem vel impedimentum diffinitoris, tunc ad eum pertinent omnia quae de diffinitore sunt praedicta.

Si vero antequam recesserit de provincia sua contingat illud impedimentum tali tempore quod hoc priori provinciali possit significare, debet hoc illi innotescere, et cum ejus consilio socium accipere; qui praedicta de socio, prout poterit, compleat diligenter.

Si vero in via diffinitor impediatur, vel tam tarde quod non possit habere recursum ad priorem provincialem, tunc sicut poterit provideat de socio; et si non est sufficiens, vel idoneus ad officia socii (1) peragenda, peragat ipse, prout melius poterit universa.

Denique tam ad diffinitorem quam ad socium pertinet, cum sunt novi et inexperti in istis, dare operam ut per expertos circa hujusmodi in his quae nesciunt, instruantur; et ipsi cum instant agenda, debent diligenter notare quomodo se habeant illi qui magis sufficientes in hujusmodi reputantur, et eisdem, prout potuerint, se conforment.

(1) Cod. Flor.: ordinis.

CAP. XL.

DE OFFICIO ELECTORIS MAGISTRI

Ad officium electoris magistri pertinet quod, postquam electus est, postulet, ut supra dictum est de diffinitore, si oporteat eum ire longe, a priore provinciali hujusmodi laborem sibi injungi in remissionem peccatorum, et injunctum suscipere cum venia humiliter et devote, et hoc si fuerit praesens in loco electionis.

De litteris quoque testimonialibus idem facere, quod de diffinitore est supra dictum.

De socio vero, et via, et tempore eundi, debet facere secundum consilium prioris provincialis.

Porro in via, inter fratres, inter extraneos, in conventibus, in capitulo, et ubique debet illam honestatem et religiositatem servare, quae de diffinitore superius est dicta.

Pro negotio vero electionis debet a tempore suae electionis orare devote, et orationes a sanctis personis, cum poterit, impetrare, ut secundum voluntatem Dei et utilitatem ordinis tam ipse quam alii dirigantur.

Cum autem aliquos fratres invenerit discretos et Deum timentes, exercitatos in negotiis ordinis et personarum, habentes ordinis notitiam, debet libenter cum eis conferre in sancta et simplici intentione, ut per eos in aliquibus pertinentibus ad negotium plenius informetur.

Cavendum est autem ei ne propter auditum aut notitiam levem ad eligendum aliquem inclinetur, nisi prius per fide dignos, et qui talem magis de propinquo noverint, plenius instruatur; nec unquam sic debet animum suum in aliquem obfirmare, quin, si aliquid melius ex collatione aliqua postmodum appareat, paratus sit ad alium transferre vocem suam.

Illud quoque diligentissime praecavendum est ei ne notio, vel familiariaritas, vel confidentia praesumpta de aliquo, vel turbatio contra alium, vel despectio quaecunque, vel aliae similes vel dissimiles causae, quae Spiritum Sanctum non sapiunt, eum unquam mo-

veant pro vel contra: (1) sed solum pura, et sancta intentio, et recogitatio solum Dei voluntatem et utilitatem ordinis investigans.

Debet etiam attendere quod licet in hujusmodi persona sunt multa attendenda, si reperiri possent in aliquo, utpote conditio generis et personae, scientia, fama, auctoritas, notitia, gratia praedicandi, et inter homines conversandi, et alia (2) multa: tamen super omnia videntur attendenda vitae sanctitas, discretio naturalis, experientia praelationis, zelus sanctus, animositas ad mala persequenda et bona promovenda, maturitas in agendis cum oportuerit, condescensio ad infirma, firma de Deo fiducia in insolitis et gravibus cum emergunt.

Illud vero tanquam perniciosissimum et vilissimum est procul abjiciendum, ne unquam inducat, vel inducentem sustineat quemcunque circa hujusmodi negotium ad aliquid, nisi quod pure sanctitatem sapiat et virtutem; sed sic in omnibus cum timore Dei diligenti deliberatione procedat, et votum suum solum in Deum, et ordinis transferat utilitatem, habens prae oculis quod nihil faciat, unde malam reportans conscientiam, gemere habeat omnibus diebus vitae suae, cum aliquid fecerit quod postmodum nunquam poterit emendare.

Si vero facto et publicato scrutinio, nondum valet electio, nec videatur per processum quod valere possit, nisi mutet vocem suam, multo melius est mutare vocem suam, dummodo cum bona conscientia fieri possit, quam diu discordiam sustinere.

Sed in mutatione illud videtur securius quod cum oportet mutari proprer concordiam, illorum sequatur conscientiam et sensum qui secundum suam conscientiam et sensum melioris et sanioris reputantur.

Si vero electio valeat per scrutinium pro aliquo quem ipse non elegerit, nihilominus debet in ipsum libenter et liberaliter consentire, et post publicatum scrutinium assentire, (3) dummodo ad contrarium conscientia non compellat.

---

(1) Edit.: contra aliquem. — (2) Cod. Vien.: similia. — (3) Cod. Vien.:... liberaliter, et post publicatum scrutinium consentire.

Denique omnia quae acta sunt in secreto sic debet habere secreta, quod nunquam ex ore ejus egrediatur aliquid unde possit aliquid de illis percipi, vel possit aliquis frater percipere quod talis vel tales fratres elegerunt hunc, vel illum reprobaverunt, vel illi contrarii fuerunt, et similia quae possunt inducere turbationis occasionem.

Debet etiam esse cautus quod in collatione facienda de aliquibus eligendis ante electionem inter electores, non est securum consentire propter occasiones denigrationis famae multorum, et alia mala multa, quae solent inde sequi.

Porro in regressu cum declinat ad fratres, debet laudare, quantumcumque potest cum bona conscientia, quod factum est, et super hoc fratrum animos consolari.

CAP. XLI.

DE OFFICIO ELECTORIS PRIORIS PROVINCIALIS

Ad officium electoris prioris provincialis pertinet ut cum electus fuerit, conferat cum priore et conventu de litteris super hoc habendis, et cum priore de socio et via, et faciat prout super hoc duxerit ordinandum; in aliis autem quae ad electionem pertinent, observet habito respectu ad provinciam, omnia quae supra dicta sunt de electione (1) magistri, habito respectu ad ordinem universum.

Multum autem attendere debet quod talis eligatur, si fieri potest, qui sit ad pacem et consolationem communem provinciae, dummodo aliae circumstantiae bonae concurrant; et libentius debet procurare quod aliquis de provincia eligatur, dummodo sit sufficiens, et habeatur utilis, (2) quam aliunde, etiam magis sufficiens, de quo non speraretur quod possit haberi nisi cum magna angustia animi sui, et anhelaret ad recedendum quam cito posset.

---

(1) Cod. Vien.: electore. — (2) Cod. Vien.: dummodo sufficiens et utilis habeatur.

In formatione vero decreti, si opus fuerit, debet in omni casu sine difficultate qualibet (1) testimonium perhibere veritati.

CAP. XLII.

DE OFFICIO DIFFINITORIS CAPITULI PROVINCIALIS

Ad diffinitorem capituli provincialis pertinet ut post electionem audiat negotia fratrum modo sequestratim, modo cum aliis diffinitoribus, prout ipsi requirunt, et ipse poterit vacare; (2) recipere etiam litteras, vel memorialia quae ad diffinitores pertinent, cum ei porriguntur; et ea inter diffinitores praesentet tempore opportuno.

Postquam autem inchoatum fuerit capitulum, debet cum priore provinciali in loco diffinitorum in capitulo tantum sedere, hoc ordine servato inter diffinitores, ut qui primo sedent in choro, primo sedeant inter istos. (3)

Cavendum est autem sibi ne aliquid faciat pro fratre, vel conventu, vel contra, quod sapiat privatum amorem, vel turbationem, vel vindictam contra alium; sed tantum ea quae sapiunt aequitatem et bonum.

Item, ne sit facilis ad mutationes faciendas, sive in absolutione (4) priorum multorum, vel translationibus locorum aut fratrum, nisi quando post discussionem diligentem manifesta ratio reperitur.

Item, ne tantum intentus sit circa particularia facta, quod commune bonum et majus, quod pertinet ad statum totius provinciae, negligatur: primo circa (5) conventus novos, et remotos, et desolatos vel prae paucitate fratrum, vel paupertate, vel propter aliqua scandala ibi orta, vel aliis de causis, ut releventur a gravaminibus, et bene provideatur eisdem, et in aliquo non graventur; similiter circa studium, et omnia pertinentia ad illud promovenda.

---

(1) Codd.: quodlibet. — (2) Cod. Vien.: vocari. — (3) Cod. Vien.: ut qui primus sedet in choro primo sedeat inter eos. — (4) Cod. Vien.: absolutionibus. — (5) Edit. et Cod. Vien.:.... negligatur. Porro circa....

Item, circa fratres qui notati sunt de scandalo turbationis, (1) et periculosi reputantur, reprimendos et refraenandos, et in talibus conventibus collocandos ubi sub disciplina et custodia bona acrius custodiantur, et similibus quae sunt majoris necessitatis, debet habere curam majorem, quantum in eo est.

Sunt et alia quaedam notata in capitulo *De officio prioris provincialis* circa conventus, circa priores, circa fratres, quae pro magna parte eidem, in quantum ad officium suum in modico tempore pertinent, consideranda sunt et sollicite observanda.

Item, pertinet ad ipsum cum aliis dividere visitatoribus domos visitandas, et alia quaedam quae in constitutionibus expressa sunt, et in admonitionibus capituli generalis quandoque inseruntur; insuper et multa alia de illis quae supra notata sunt de officio diffinitoris capituli generalis; quae omnia sunt ab eo consideranda diligenter, et prout competunt observanda.

Deinde finita diffinitione, cum aliquos turbatos viderit de aliqua ordinatione, non debet ita se super aliquo excusare, licet in illo non consenserit, quod super socios suos calumnia devolvatur; vel quae acta sunt inter eos, de quibus oritur turbatio, per quos factum sit reveletur.

CAP. XLIII.

DE OFFICIO VISITATORIS

1. Circa ea quaepraecedunt visitationem.

Ad officium visitatoris pertinet, si laboriosa fuerit sua visitatio, ut postulet a priore provinciali laborem in remissionem peccatorum sibi injungi.

Socium quoque de ejus ordinatione, si potest cum eo loqui, vel scribere ei, vel si hoc non potest, de ordinatione prioris sui conventualis assumere debet.

Si vero ante tempus visitandi contigerit eum infirmari, vel aliter

(1) Cod. Vien.: de scandalis, turbationibus.

impediri, debet priori provinciali hoc significare, ut de alio provideat qui suppleat vices ejus.

Porro tempus ad visitandum debet eligere tale in quo fratres melius possint haberi in domo, sine damno praedicationis, vel provisionis temporalium; et quod non concurrat cum visitatione prioris provincialis, vel nimium sit vicinum ejus visitationi, vel capitulo sequenti, vel praecedenti provinciali, vel generali, si fuerit in provincia illa.

Cum autem venturus est ad domum aliquam, debet primo significare tempus adventus sui, ut fratres absentes possint melius convocari.

Non debet autem inferre necessitatem ad convocandum fratres qui sine magno damno domus aut salutis animarum convenire non possunt, nisi magna et rationabilis causa, et necessitas hoc requirat. (1)

II. Circa quaedam in generali.

Interest etiam ipsius portare secum regulam et constitutiones bene correctas, et acta capitulorum generalium et provincialium, saltem illius anni, et litteras magistri, et alia quae emanaverunt a capitulo generali, vel provinciali; et in omni domo visitationis suae, si non habentur, facere scribi, vel corrigi si minus correcta habentur; et facere legi ea quae emanaverunt illo anno a capitulo generali vel provinciali in praesentia sua, in capitulo, vel saltem in mensa, cum fratres communiter intersunt.

Debet etiam summatim in omni conventu videre et inquirere, si habentur libri officii ecclesiastici bene correcti.

Item, si habentur libri scholastici sufficienter, si habentur paramenta ecclesiastica, et hujusmodi quae pertinent ad cultum Dei, competentia.

Item, quomodo fit divinum officium, et quomodo proficiatur in studio.

Item, qui et quot fratres sunt in domo qui multum reputentur idonei ad proficiendum in studio, quos exigentibus meritis ad hoc expediat promoveri; quot boni praedicatores, quot boni in consiliis,

---

(1) Cod. Vien.: exposcat.

quot boni ad confessiones; si qui graves in moribus, vel notati publice de scandalis; si multi gravibus et longis infirmitatibus praegravati; (1) si habeantur competenter temporalia, et qualiter.

Item, si habitant inter devotos vel indevotos homines; si domus est onerata multitudine fratrum, vel paucos habet; si sunt fratres de illa natione, vel aliunde; si libenter morantur fratres in illo conventu, vel inviti; si habent pacem fratres cum praelatis, et simlia multa, ut tempore suo, his cognitis in genere, sciat melius priori provinciali, vel diffinitoribus consulere de his quae circa domum illam fuerint ordinanda, et ipse nihilominus faciat bonum quod poterit, quantum officium suum se extendit.

Porro ante dies visitationis suae non pertinet ad eum facere aliquam inquisitionem ex officio, licet ipse possit audire aliqua, si aliqui gratis ad hoc se ingesserint, vel sine invitatione aliqua gratis dicere voluerint: in quibus tamen non sunt expendendi dies multi, ne in fraudem prolongandi dies officii hoc fieri videatur.

III. Circa capitulum. Cum autem primo capitulum intraverit ad officium exercendum, potest aliquam brevem collationem facere fratribus de aliqua spirituali materia et utili, si voluerit; deinde recommendare fratrum orationibus illos quos voluerit; postmodum facere injunctiones et admonitiones de pertinentibus ad officium, sicut viderit expedire.

Solet autem in communi visitatione capituli, nisi aliqua causa specialis plus requirat, injungi (2) universis absque praecepti expressione quod quilibet dicat ei illud quod sibi videbitur dicendum secundum suam conscientiam pro bono ordinis, sive in capitulo, sive extra, secundum quod requirit natura negotii: ut videlicet quod dicendum est in capitulo dicat ibi; et quod extra dicendum est, dicat extra.

In admonitionibus vero solent fratres reddi cauti ne aliquid dicant contra aliquem ex aliqua turbatione, vel motu inordinato: sed solum ex sinceritate fraternae charitatis, et amore ordinis.

---

(1) Cod. Flor.: si malis gravibus praegravati. — (2) Cod. Vien.: injungi districte.

Item, ne taceant aliquid dicendum, vel ex familiari amore personae, vel timore quocunque, vel alia quacunque ex causa minus religiosa.

Ipsis etiam praelatis et fratribus potest injungi, si videatur expediens, quod occasione eorum quae dicuntur bono et consueto modo contra aliquem, nihil postmodum dure agant, cum etiam sit consuetum quod ipsi priores instante visitatione soleant animare in capitulo fratres ad dicendum fideliter omnia quae videntur eis dicenda.

Item, quod caveant quod non dicant inutilia, vel quae alias sunt correcta; vel quae in publico dicenda non sunt, non dicant in publico, et similia.

Item, quod in proclamando se habeant modeste, et formam constitutionum observent diligenter.

Haec quoque, et similia, plura vel pauciora possunt dici, secundum quod ratio suggeret, statu domus et circumstantiis ad hoc pertinentibus consideratis.

Post hujusmodi vero injunctiones et admonitiones, antequam procedatur ad culpas audiendas, dandum est aliquod tempus fratribus ad loquendum sibi secreto, si voluerint, ut ex aliquibus auditis magis instructus, sciat melius quid sit agendum.

Si vero sibi videatur, potest vocare aliquos, et maxime discretos, (1) et magis dignos fide, etiamsi gratis non veniant, ad inquirendum de statu domus leviter et summatim.

Ex his vero quae sibi dicuntur ad partem non multum expedit quod conscientiam suam formet, nisi postquam diligentius investigaverit de conditionibus personae loquentis, si forte eum non cognoscit, et discretione, et zelo, et motu, et modo.

Ex his autem quae dicuntur in occulto, non debet ad aliquam sententiam contra aliquem in aliquo procedere in publico, nisi illa iterum in publico recitentur.

Instruere etiam debet sibi loquentes in secreto, cum loquuntur de talibus quae solent et possunt in proclamationibus dici, quod non bene liberant animas suas, nisi in publico illa dicant.

---

(1) Cod. Vien.: discretiores.

Si autem viderit aliquos paratos ad dicendum aliqua in publico quae dici sic non solent, nec debent, debet eos instruere charitative, si ex simplicitate haec faciant, quid eis sit agendum.

Si vero malitiose, terroribus et comminationibus debet eos in justitia (1) refraenare, et condigne punire postmodum secundum quantitatem excessus, si procedunt.

Porro, cum praelibatis praedictis tenetur capitulum de culpis, sic cum debito moderamine et discretione cuncta sunt eidem agenda, ut visitatio, quae inducta est ad correctionem malorum, non sit occasio excessuum agendorum.

Proinde sollicite curandum est ei quod forma capituli, quae scripta est, observetur; quod male accusantes reprimat et refraenet, et quod bene accusantes approbet et juvet; quod dubia diligenter inquirat; quod accusatis det licentiam et tempus ad respondendum; quod in frivolis non permittat tempus occupari; quod ea quae digna sunt reprobatione, cum audiuntur, valde verbis reprobet, et insinuet esse abhorrenda; quod laudabilia sic commendet, quod ad similia animet audientes; quod injungendo poenitentias provide discernat quantitates culparum, et prout possibile est sine transcursu (2) puniat justo modo, et plusquam in quotidianis capitulis puniri soleant excessus, ne visitatio veniat in contemptum.

Ante injunctionem vero poenitentiae, arguet (3) culpas quas audivit dignas majori reprobatione in quolibet accusato, ut per hoc audientes inducantur efficacius ad cavendum.

Ad haec, si ex his quae in secreto vel in publico, in domo vel etiam extra domum audivit, videatur quod circa aliqua majora sit plenius aliquid inquirendum, de quibus per communem modum supradictum visitandi nondum ei est plene satisfactum, potest procedere ad praecepta, vel omnibus vel aliquibus facienda, in publico vel secreto, secundum quod negotii natura requirit. Cavendum (4) tamen ne faciat aliquid contra aliquem injuriose.

---

(1) Cod. Vien.: debet eos terroribus et comminationibus justitiae. — (2) Cod. Vien.: in transcursu. — (3) Edit.: aggravet. — (4) Cod. Vien.:.... requirit, cavendo.

In gravibus vero ne ita parcat alicui quod culicem colet, et camelum glutire videatur.

Et caveat ne ventilanda secreto vel coram paucis, deducat in communi; vel quae mota sunt coram omnibus, sic sepeliat quod iis qui audierunt non satisfiat (1) per punitionem male accusantis, vel bene accusati.

Sunt et alia quaerenda et diligenter (2) observanda, quae in constitutionibus et admonitionibus capitulorum, et supra in capitulo *De officio prioris provincialis* circa visitationem, sunt conscripta.

Cum autem ad terminationem visitationis accedere voluerit, si vult aliquas ordinationes vel admonitiones arctius custodiendas relinquere, debet primo super his cum discretis fratribus conferre, et eorum sensui qui noverunt plenius statum domus et patriae, quam sensui suo credere in multis.

Potest autem et hujusmodi in scriptis in aliquo memoriali relinquere in custodia supprioris, ut sciatur tempore suo si illa fuerint correcta, vel observata; et ipse potest memoriale idem retinere. (3)

Finaliter autem et principaliter debet intendere ad hoc, et laborare quod per visitationem suam (4) sequatur correctio excessuum, pax et tranquillitas relinquatur.

Propter quod si videt aliquam turbationem, debet ante terminationem visitationis dare operam ad quietandum; si religio in aliquo depereat, reformetur; obedientia, concordia, devotio, et omne bonum in fratribus augeatur.

Non pertinet autem ad eum confessiones audire aut absolutionem aliquam facere generalem vel specialem; sed in fine factis admonitionibus, si quas voluerit facere, vel collatione aliqua, vel utraque, et commendato conventu super bonis quae invenit, et rogato ad corrigendum et observandum quae dixit, potest se commendare eisdem, et aliquos alios, si voluerit, quos forte nondum commendavit, et sic terminare visitationem.

---

(1) Cod. Vien.: satisfaciat. — (2) Cod. Vien.: sunt et alia quaedam ei diligenter. — (3) Cod. Vien.: et ipse memoriale quod rescripsit secum ferre. — (4) Cod. Vien.: ex visitatione sua.

IV. Circa quaedam post visitationem.

Si verò fratres vel conventus rogaverint eum super aliquibus promovendis apud priorem provincialem, vel apud diffinitores capituli provincialis, vel magistrum, vel alibi, si sibi rationabilia videntur, debet eis libenter acquiescere, et super his memoriale facere, et promovere ea tempore opportuno.

Debet autem cavere diligenter ne infirma, si qua invenerit, revelet per conventus fratrum, nec alibi: nisi solum priori provinciali, vel diffinitoribus, vel magistro, prout est secundum ordinem faciendum, dicat; sed potius bona de conventibus visitatis praedicet, prout secundum conscientiam facere poterit bono modo.

CAP. XLIV.

DE OFFICIO PRAEDICATORIS GENERALIS

Ad officium praedicatoris generalis pertinet, cum ad hoc assumitur, cum venia recipere illud officium, et singulis annis ad capitulum provinciale venire, nisi de licentia, vel ex causa, remanserit.

Cum autem non venerit, debet se excusare per litteras continentes causam absentiae suae.

Ipse etiam est de corpore capituli provincialis, et ideo pertinet ad ipsum, tamquam ad membrum, omnia quae pertinent ad illud capitulum, ut electio diffinitorum provincialis et generalis capituli, et visitatorum, et discussio petitionum capituli ejusdem, et similiter quae ad ipsum capitulum possint aliquatenus pertinere. Et ideo solet specialiter talibus concedi quod habeant speciale sigillum.

Propter hoc etiam quod est de capitulo tali, debet apponere curam quod habeat majorem notitiam fratrum de provincia, et exercitium circa ea quae in capitulo sunt agenda, vel quae pertinent ad communem statum domus, vel provinciae. (1)

Debet etiam frequentius et libentius ubique praedicare, praecipue si gratiam habeat praedicandi.

---

(1) Cod. Vien.: quae pertinent ad provinciae communem statum.

Non est autem propter hoc officium exemptus in aliquo ab obedientia prioris sui, vel a communi vita fratrum aliorum, nisi quoad hoc quod potest sine licentia speciali ire ad capitulum provinciale, ut praedictum est.

Sed tamen de socio et tempore eundi stare debet ordinationi prioris sui, dummodo sic ordinaverit quod speretur quod possit illuc commode pervenire.

Procuratio vero negotiorum conventus sui, vel fratrum ejusdem, in capitulo, ad eum non pertinet ex officio: ex charitate tamen debet pro eis procurare bonum quod poterit bono modo, et pro eis stare fideliter in iis quae justa fuerint et honesta.

Priori quoque provinciali et diffinitoribus, cum de pertinentibus ad conventum suum fuerit requisitus, enarrare fideliter meram et simplicem veritatem.

CAP. XLV.

DE OFFICIO SOCII PRIORIS CONVENTUALIS EUNTIS AD CAPITULUM PROVINCIALE

I. Circa quaedam ante capitulum.

Priori conventuali eunti ad capitulum provinciale eligendus est in socium frater qui possit laborem viae secundum formam ordinis sustinere quoquo modo, et exercitium habeat, vel saltem aptitudinem ad ea quae in capitulo agenda sunt; qui etiam fidelis reputetur ad agendum pro omnibus, sive pro conventu, sive fratribus singulis, sive praelatis, sive lectore, quod secundum veritatem fuerit faciendum.

Ad hujusmodi ergo officium pertinet accusationes prioris, si quae fuerint, petitiones, et litteras, et negotia quaecumque, sive conventus, sive fratrum singulorum recipere, et portare ad capitulum; et dare operam quod illa quae sigillanda sunt sigillentur.

De socio vero accipiendo, et quando arripere viam, et per quam viam ire debeat, sequi debet ordinationem praelati.

II. Circa capitulum.

Cum autem fuerit in capitulo, pertinent ad eum sicut ad membrum, cum sit de corpore capituli, omnia quae ad capitulum pertinent, sicut praedictum est de praedicatore generali.

Praeter haec vero (1) specialiter negotia conventus, vel fratrum suorum debet procurare, videlicet litteras missas priori provinciali, vel diffinitoribus, vel aliis reddere suo tempore.

Accusationes prioris sui in capitulo discrete et religiose proponere, simpliciter prout fuerint formatae.

Si autem aliquas alias de motu suo facere voluerit, eas (2) sequestratim et distincte ab aliis proponere.

Petitiones singulorum fratrum ad provincialem, si quae sibi commissae fuerint, ostendere eidem.

Libros, si sibi commissum fuerit, emere vel procurare, et similia.

Si vero a provinciali, vel diffinitoribus, aliquid ab eo fuerit inquisitum de statu prioris, vel conventus, vel fratrum aliquorum, sic simplicem veritatem dicere debet quod pro aliquo, vel contra aliquem nunquam inclinet se ad aliquid, nisi solum quantum requirit aequitas et veritas, omni motu inordinato excluso.

Cum autem aliquid dicit, debet hujusmodi distinguere (3) discrete quid dicit de motu suo, quid de motu aliorum, et quorum; quid de voluntate conventus, vel totius, vel majoris partis; et quae sit pars illa major debet, si expedierit, enarrare.

Item, pertinet ad ipsum ostendere priori provinciali indigentias domus quas habet aut in lectore, aut in praedicatoribus, aut in fratribus expeditis in consiliis, aut in confessoribus, aut in cantoribus, aut in conversis secundum varia officia, aut in paucitate fratrum, et similibus; et gravamina aut in infirmis, aut in dyscolis, aut in nimia multitudine fratrum, et similibus; et laborare debet per se et per fratres sibi notos, et amicos sui conventus, ut domui suae per priorem vel per diffinitores utiliter provideatur.

Cavendum est autem ei ne de motu suo, vel aliquorum de suo conventu, qui ad partem sibi locuti fuerint, procuret aliquid quod ad

---

(1) Cod. Vien.: Post hoc vero. — (2) Cod. Vien.: potest eas. — (3) Cod. Vien.:.. dicit de hujusmodi debet distinguere.

turbationem conventus, vel fratrum de conventu suo, qui meliores et discretiores reputantur, valeat provenire.

Item, ipsius est scribere, vel procurare quod scribantur cito et vere omnia quae de capitulo generali, vel provinciali, illo anno emanant in scriptis, et portare ad conventum suum, et tradere suppriori, ut per ejus diligentiam conservata, et scripta ubi fuerint scribenda, inveniantur cum legenda fuerint, vel etiam alias indiguerint fratres illis.

III. Circa quaedam post diffinitionem.

Verum si in capitulo contingat priorem suum absolvi, vel per diffinitores omitti aliquid eorum quae in suo conventu sunt necessaria, ut provisio de lectore, et hujusmodi, tunc cum illis qui fuerint in capitulo de domo sua, vel etiam aliorum fratrum, de quibus conventus suus confidit, debet tractare quid possit fieri pro domo sua, sive in postulando aliquos quos possit eligere, sive in confirmationis commissione, sive in provisione de lectore, et similibus, quae sunt omissa, vel minus bene facta pro domo sua; et cum ipsis procurare erga priorem provincialem quod poterit pro necessitate et utilitate sui conventus.

Deinde in regressu non debet moram contrahere, sed sicut poterit bono modo ad conventum suum festinare. Et si aliqua negotia fuerint quae expediat eis tam cito scire, debet hoc, quam cito poterit, per litteras intimare, si ante adventum suum haec praesciri expediat.

Cum autem venerit, cavere debet ne rumores inutiles vel non bonos de capitulo deferat, vel infirma, et quae non cedunt ad utilitatem audientium, referat; vel aliquid unde fratres turbet contra priorem provincialem, vel diffinitores, vel alios fratres, quasi minus fuerint favorabiles, vel contrarii in suis negotiis: sed potius ea referat quae ad consolationem et pacem et aedificationem fratrum debeant provenire; et det operam pacificare fratres in communi et singulariter, si aliquos in eis viderit turbatos super iis quae acta sunt in aliquo, vel omissa, super iis reddens, prout poterit, excusationem rationabilem.

Super iis vero quae sibi specialiter commissa fuerint, sic stu-

deat omnibus et singulis reddere rationem, quod de negligentia juste non valeat reprehendi.

CAP. XLVI.

DE OFFICIO CONFESSORIS

I. Circa potestatem. Fratri qui confessiones auditurus est necessarium est ut sciat quantum potestatis habeat. (1)

Item, ut sciat quae et qualiter a confitente inquirere debeat.

Item, oportet eum esse cautum circa absolutiones, et circa excommunicationes, dispensationes, restitutiones et alias satisfactiones, et circa casus matrimoniales, et circa poenitentiarum injunctiones, et simoniarum resignationes, et circa modum habendi se ad confitentes, et specialiter mulieres, et circa secretum confessionis.

Circa potestatem, notandum est quod frater cui non est dictum a praelato suo, vel ab alio qui possit ei dare jurisdictionem, quod audiat confessiones, de nullo peccato mortali potest absolvere.

Si vero dictum est ei a praelato suo ut audiat eos privilegio (2) domini Papae, potest audire confessiones, et injungere poenitentias quantum privilegium se extendit; aliter vero non potest, nisi habeat auctoritatem ut a dioecesano, vel a sacerdote parochiali, vel ab aliquo alio qui eam possit ei dare.

Ille autem qui habet potestatem a dioecesano, videre debet quantam potestatem habeat, utrum plenam potestatem quantum ad omnia quae ad forum poenitentialem (3) pertinent, scilicet quantum ad omnia genera peccatorum, et quantum ad dispensationes, et absolutiones excommunicationum, vel habeat aliquantulum restrictam: et ad majorem certitudinem bonum est quod de hoc litteras habeat, vel memoriale aliquod.

---

(1) Sponte patet V. Humbertum hic passim arguere ex jure tunc temporis vigenti. — (2) Cod. Vien.: secundum privilegia. — (3) Ita codd. Non raro *forus* pro *forum* admittitur in temporibus mediis.

Sacerdotis vero parochialis potestas dependet ex consuetudine et statutis synodalibus, et conciliorum provincialium; propter quod debent confessores in unaquaque dioecesi scire ista, ut ex iis sciant quid eis possint committere sacerdotes, et quid episcopi sibi reservant.

II. Circa inquisitionem.

Circa inquisitionem notandum est quod duo sunt genera interrogationum, quae a peccatore confitente quaerendae sunt.

Quaedam enim pertinent ad ipsam personam confitentis; quaedam vero ad facta personae.

Illae vero quae pertinent ad personam, naturaliter sunt priores: unde nisi sacerdos sciat, hoc primo potest inquirere a confitente, utrum sit clericus, vel laicus; et si clericus, utrum religiosus, vel non; et utrum habeat beneficium ecclesiasticum, vel non, praecipue cum cura animarum.

Si laicus, inquiri potest cujus officii sit, et utrum in matrimonio sit, vel solutus; et utrum paterfamilias, vel de familia alterius.

Cognito vero qualis sit persona secundum statum personae, possunt fieri aliquae aliae interrogationes.

Mulieres vero praecipue inquirendae sunt de sortilegiis, et de fractione votorum, et maledictione puerorum, et utrum viris subjectae sint, et utrum diligenter filios instruant; et si juvenes, inquirendae sunt de ornatu et choreis; si vetulae sunt, de consensu aliorum peccatorum.

Milites inquirendi sunt praecipue de rapinis, et injuriis, de venditione justitiae, de profusione pecuniae causa adulationis, vel histrionatus facta; de vana gloria, et laboribus, et doloribus, quos pro ea habent; et sumptibus quos pro (1) ea faciunt.

Mercatores vero inquirendi sunt de mendaciis, et perjuriis, et venditione ad terminum in fraudem usurarum facta, (2) et de aliis fraudibus.

---

(1) Hic et supra nonnunquam edita habent *propterea* loco τοῦ « pro ea. » — (2) Vide S. Th., opusc. LXVII, 2m, ubi asserit mercatores Tusciae, portantes pannos de nundinis Licinati, ut usque ad tempus Resurrectionis expectent pre-

Burgenses vero inquirendi sunt de otiositate, de modo et causa congregandi divitias.

Si enim congregant divitias propter se, non propter aliquam causam honestam, quasi idolatrae sunt.

Inquirendi sunt etiam de invidia: mos enim civium est alios aliis invidere.

Illi vero qui sunt de familia (1) alicujus potentis inquirendi sunt de fidelitate, utrum domino suo fideles extiterint; de adulatione, de mendaciis, de rapinis, de pravis consiliis, de iniqua receptione munerum, et utrum domino praecipienti aliquid impium obedierint.

Clerici vero inquirendi sunt de acceptione simoniaca beneficiorum et ordinum; et si deserviunt, prout beneficia sua requirunt, et an dicant officium quod ordo eorum requirit, et de modo dispensandi redditus suos.

Illi qui habent curam animarum inquirendi sunt de sollicitudine, utrum scilicet sint solliciti quomodo de cibo spirituali filiis suis provideatur; et aliis quae ad regimen animarum pertinent. Inquirendi sunt agricolae de ratione (2) sui laboris.

Si enim habent bonam intentionem, et sunt absque mortali peccato, martyres Dei sunt, et exhibent corpora sua hostiam Deo viventem.

Si vero ex cupiditate tantum laborant, velut martyres diaboli sunt, et exhibent corpora sua diabolo hostiam foetentem.

Rectam vero intelligimus intentionem, vel quando laborant ut agant poenitentiam a Deo injunctam, scilicet: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, *Gen. 3;* vel ut corpora sua doment, ne lasciviant; vel ne oporteat eos male accipere unde vivant; vel ut habeant unde eleemosynas tribuant.

Item, inquirendi sunt utrum reddant quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo, *Marc. 12;* de falsis testimoniis, et de

---

tium, si plus vendant quam debeant secundum communem forum, absque dubio usuram committere. — (1) Scil. ex servorum numero. — (2) Cod. Vien.: statione; - edit.: fraudatione.

usurpatione alienarum terrarum, et de invidia, et de accusatione proximorum apud dominum. (1)

Generaliter inquirendus est peccator de his quinque, scilicet de odio, utrum scilicet aliquod odium habeat, et utrum sciat aliquem qui eum odio habeat propter factum, vel dictum suum; et de peccato luxuriae; et de injuria proximi, furto et rapina, vel aliter illata injuria; et de inobedientia erga Ecclesiam, vel per fractionem poenitentiae, vel non observationem solemnitatum, vel alio modo; et de peccatis oris, praecipue de crapula et ebrietate, mendaciis, perjuriis, blasphemiis, conviciis, detractionibus, maledictionibus, pravis consiliis.

Ista quinque saltem debet inquirere a peccatore quem audit confessor (2) quando per occupationem quaerere plura non potest.

De fide non est tutum interrogationem facere, licet aliqui magni faciant, nisi in casu in quo illa persona suspecta esset de fide.

De peccatis vero occultis, ut est de peccato (3) contra naturam, non est inquirendum nisi caute, ne aliquid manifestetur simplicibus quod ipsi nesciant, quod possit eis esse occasio peccandi.

Modus autem inquirendi poterit esse talis: poterit quaeri utrum insultus carnis aliquando patiatur; et si responderit quod sic, poterit quaeri utrum tentatio (4) ducat eum ad aliquid faciendum; et si sic, quod est illud: et sic nihil ei manifestatur, sed datur ei occasio manifestandi se.

Vel sic poterit esse modus inquirendi: si peccator aliquod opus carnale perpetraverit, potest quaeri ab eo utrum vigilando absque naturali usu mulierum, similem delectationem unquam habuerit; et si sic, quaeratur quid tunc faciebat.

Si vero non perpetraverit, potest quaeri utrum dormiendo de muliere aliquid somniaverit; et si sic, quaeratur utrum aliquam delectationem tunc habuit; et potest quaeri utrum vigilando similem delectationem habuerit, et quid tunc faciebat.

Aliqui tunc quaerunt utrum vigilando semen effuderit absque

---

(1) Edit.: apud Deum; - cod. Flor.: contra Dominum. — (2) Cod. Vien.: qui audit confessiones. — (3) Cod. Vien.: ut est peccatum. — (4) Edit. et cod. Vien.: titillatio.

naturali usu mulierum: et si responderit quod sic, qua occasione hoc ei accidit. Sed inexperti opus carnale non intelligerent quid esset effusio seminis.

III. Circa absolutiones.

Circa absolutiones vero notandum est quod non est requirendum ab eo qui confitetur juramentum, vel votum, vel alia obligatio, quod abstineat a mortali; sed sufficit quod habeat bonum propositum et bonam voluntatem abstinendi ab omni peccato mortali, et specialiter a luxuria; et quod remittat odium, si quod habeat erga aliquem; et quod velit satisfacere pro posse de injuriis, si quas fecit; et quod poeniteat de omni peccato mortali quod fecit, ad minus in generali.

Si autem dicit se nolle, vel non posse abstinere ab aliquo mortali, non est ei injungenda poenitentia (1): sed significandum est ei quod si decederet in tali statu, damnaretur.

Verum dandum est ei aliquod mandatum quod faciat, ut Deus illustret cor ejus ad poenitentiam, et dicendum est ei ne in tali statu communicet.

IV. Circa excommunicationes.

Circa excommunicationes notandum est quod ille qui audit confessiones, non debet se intromittere de absolutione alicujus excommunicationis, nisi sciat formam secundum quam debet fieri absolutio.

De qua forma breviter notandum est quod minor excommunicatio absolvitur solo verbo; major vero absolvitur ita quod excommunicatus expoliatus, virgis verberatur, cum hoc psalmo *Miserere*. In quo tamen cavendum est ne in publico sic eum absolvat, nisi de licentia ejus, si in secreto confessus est de excommunicatione; sed in loco secreto.

Dicit autem ille qui absolvit (2) haec verba, vel aequipollentia, cum rectam formam observat: Auctoritate qua fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis; vel specialiter: Ab excommunicatione qua ligatus es pro hoc facto, vel a tali judice.

Alia quae pertinent ad formam talis excommunicationis, quaere in *Summa* magistri Raymundi, in *Tractatu de excommunicatione*.

---

(1) Scil. negetur absolutio. — (2) Cod. Vien. addit: ab aliqua excommunicatione.

De potestate autem talium absolutionum breviter notandum est quod ille qui audit confessiones, non potest absolvere sua auctoritate ab aliqua majori excommunicatione, quam alius judex tulerit qui sit vel par ei, vel superior eo.

Item, notandum quod absolutio excommunicationis debet praecedere absolutionem peccatorum. Cum enim absolutio peccatorum sacramentum sit, non debet dari alicui excommunicato, nisi prius absolvatur.

V. Circa dispensationem.

Circa dispensationes notandum est quod nullus debet intromittere se de aliqua dispensatione votorum, vel irregularitatum, nisi sciat se habere potestatem dispensandi; (1) necesse etiam est ut sciat secundum quam formam debet fieri dispensatio votorum.

Dicat ergo peccatori ut quae vovit impleat, donec sibi consultum sit ab eo qui cum eo possit dispensare.

VI. Circa restitutiones.

Circa vero restitutiones notandum est quod non est alicui danda poenitentia, nisi voluntatem habeat restituendi proximo quod ei abstulit, nisi proximus voluerit ei remittere.

Caveat vero ne det ei dilationem, nec injungat quod inde faciat eleemosynas: spoliato enim debet illud restituere, vel haeredi ejus, quam citius potuerit, nisi spoliatus det ei dilationem, vel nisi non possit inveniri cui restituendum est.

Tunc Ecclesia potest ei dare dilationem, si causa subsit.

Tunc etiam debet erogari de consilio Ecclesiae in pios usus, et nisi peccator habeat voluntatem sic procedendi, non est ei injungenda poenitentia.

Si vero occultum est factum, instruendus est peccator quomodo occulte restituat, vel occulte dilationem petat, scilicet per aliquam honestam personam, praecipue sacerdotem, cui in confessione reveletur quod tacito nomine peccatoris negotium procuret.

Si vero peccator aliquem offenderit, injungendum est ei ut studeat, quam citius poterit, sedare eum per se, vel per alium.

---

(1) Edit.: licentiandi et dispensandi.

VII. Circa casus matrimoniales.

Circa vero casus matrimoniales oportet eum esse cautum qui audit confessiones, ut non det consilium, nisi valde certus sit; sed differat respondere, donec discretiores consuluerit, vel ad eos eum mittat.

De celebratione divortii non se intromittat, cum hoc pertineat ad episcopum, vel ejus officialem.

VIII. Circa injunctiones poenitentiarum.

Circa injunctiones poenitentiarum similiter oportet esse cautum ut parvas injungat: melius est enim ponere homines in purgatorium, quam in infernum: habet enim Deus ubi purget filios suos, si non purgentur hic.

Dicat etiam, quando numerum orationum injungit, quod si aliquando non dixerit, non ei ad culpam imputetur, ad minus mortalem.

Caveat etiam ne multitudinem missarum injungat poenitentibus, ne sit eis occasio committendi simoniam.

Caveat iterum ne injungat poenitentiam unde sequatur scandalum, sicut accidit quando adolescentulis, quae viros habent qui habent eas suspectas, injungitur talis poenitentia unde confirmantur in ista mala suspicione, ut est jejunare in pane et aqua, et hujusmodi.

Item, non injungatur poenitentia alicui, si habet officium quod secundum conscientiam suam sine peccato mortali facere non possit, nisi deserat illud officium.

Item, si habet aliquam aliam peccandi occasionem, ex qua verisimile est (1) quod non possit sibi cavere a peccato mortali, nisi eam a se removerit, ut est cohabitatio mulieris suspectae cum qua peccare consuevit, poenitentia non detur ei, nisi occasionem illam a se removeat.

IX. Circa simoniacos.

Circa vero simoniacos, notandum est quod ille qui per simoniam adeptus est aliquod beneficium, non debet recipi ad poenitentiam, nisi habeat propositum renuntiandi illi beneficio pure et simpliciter.

Quae autem dispensatio possit postea fieri cum eo, invenies in *Summa* fratris Raymundi, in *Tractatu de Simonia.*

(1) Cod. Vien.: et verisimile est.

Forma vero absolvendi a peccatis haec est. Facta generali confessione in latino, vel in romano, (1) a peccatore, et dicta illa oratione: *Misereatur,* etc., debet ponere sacerdos dexteram manum super caput confitentis, ita tamen quod, si mulier est, non est necesse nec securum ut contingat manus caput, et tunc debet dicere absolutionem, et subjungat etiam: Benedictio Dei patris, etc.: ita ut signo crucis signet peccatorem. (2) Vel secundum alios, debet dicere: Et ego absolvo te auctoritate qua fungor, in nomine Patris, etc.

Debet autem tunc esse fides tam sacerdotis quam ejus qui confitetur, quod nisi per culpam confitentis steterit, remittuntur peccatori peccata sua tunc, et gratia Dei infunditur, si prius non erant dimissa peccata, et gratiam non habebat.

Si vero prius erant peccata dimissa et gratiam prius habebat, tunc augetur Dei (3) gratia.

X. Circa modum habendi se ad confitentem.

Item, ad officium confessoris pertinet omnes confiteri volentes benigne et affabiliter recipere, et praecipue illos qui rarius confiteri consueverunt.

Si autem aliquae magnae personae confiteri voluerint, de quibus credatur (4) quod erubescant in communi auditorio confessionum videri, debet eas ducere ad alium locum magis secretum et honestum.

Omnes autem qui nesciunt modum standi in confessione debet instruere ut stent flexis genibus, inclinato capite, appodiando se ad dexteram, vel ad sinistram sacerdotis.

Antequam vero incipiant confiteri, potest illis qui non sunt assueti confiteri frequenter, aliqua verba dicere de impertinentibus ad confessionem, ut quaerere de patria sua, vel hujusmodi, ut confitens interim sumat audaciam ad confitendum, dum aliquantulum in hujusmodi detinetur, deinde potest ei dicere ut incipiat dicere quod sibi placuerit. (5)

Quod si perceperit eum ita rudem esse quod nesciat confiteri,

---

(1) Intellige de lingua vulgari apud occidentales Europae gentes. Unde vulgo *langues romanes.* — (2) Cod. Vien.: signetur peccator. — (3) Cod. Vien.: augetur ei. — (4) Cod. Vien.: credat. — (5) Cod. Vien.: potest ei dicere quod ei placuerit.

debet ei aliquam circa haec instructionem facere; quod si nec sic sciverit confiteri, potest procedere ad inquisitionem juxta modum praedictum.

Cavendum est autem confessori ne unquam confitens scandalizatus recedat: sed placet eum sicut poterit, si forte non potest eum absolvere, vel alia de causa in aliquo ipsum perceperit perturbari.

In poenitentia vero injungenda, debet reminisci quod praeter ea quae injungit specialiter, imponat ei etiam omnia bona quae fecerit in remissionem peccatorum, et det ei potestatem, cuicumque confiteri poterit, quod laxare poterit de poenitentia sibi injuncta ab eo, si forte viderit expedire.

Debet etiam multum ipsum inducere quod frequenter assuescat confiteri.

Observandum est etiam confessori quod semper libentius et prius audiat confessiones illorum qui magis indigere reputantur, vel qui raro venire solent, vel qui sunt extranei, vel qui sunt in statu majori, vel de quorum confessione major utilitas secutura speratur.

XI. Circa mulieres. Porro circa mulieres cavere debet ne unquam audiat earum confessiones, nisi in publico, et ubi ab aliquo, vel ab aliquibus videatur.

Audiendo vero eas, nunquam habeat faciem contra faciem, nec multum immoretur, nisi quantum necessitas confessionis requirit.

Illas vero, quae vocantur *Beghinae,* et frequenter volunt confiteri, temperet ab hujusmodi nimia et quasi inutili frequentatione, et certum tempus eis assignet ad confitendum, extra quod ipsas non audiat, nec in aliis collocutionibus frequentibus se eis exponat unquam; et semper potius duris et rigidis verbis utatur ad eas, quam mollibus.

XII. Circa secretum confessionis. Deinde circa secretum confessionis sic debet esse cautus ne unquam directe vel indirecte, de longe vel de prope, in genere vel in particulari, possit aliquid percipi de ore ejus, quod aliquam notam habeat de aliqua revelatione quantumcumque levi.

Unde cavendum est ei ne unquam dicat in sermone vel aliqua

collocutione: Ego audivi hujusmodi casus in confessione; quia simplices credunt quod sit revelatio.

Nec unquam debet dicere: In illa abbatia, vel capitulo, vel villa, in quibus audivi confessiones, sunt multa mala, vel hujusmodi.

Nec etiam debet in speciali laudare aliquem cujus confessionem audivit, de virginitate, vel innocentia, et hujusmodi, ne apud sapientes, cum de alio oriretur verbum quem etiam audivisset, et non ita laudaret, posset oriri suspicio quod idem non esset in illo.

Nec unquam debet propter aliquod genus peccati confitenti ostendere minorum familiaritatem, vel signa dilectionis minoris.

APPENDIX (1)

CAP. XLVII.

DE OFFICIO PRAEDICATORIS COMMUNIS

I. Qualis debet esse in se. Praedicator communis habet officium speculi quantum ad bonum exemplum, et habet officium lucernae ardentis quantum ad praedicationis verbum.

Unde necesse est ut concordet in ipso vita et doctrina, ne quod per unam manum aedificat, per aliam destruat.

Praetendat itaque praedicator in habitu humilitatem, in moribus honestatem, in verbis discretionem, in zelo animarum charitatem, in cibo et potu sobrietatem, in agendis maturitatem.

II. Qualis ad socium. Praedicator egrediens difficultatem non faciat in socio, sed acceptet illum quem sibi prior assignaverit.

Ad hoc enim niti debet ut quemlibet socium sustineat, ut eum possit quilibet sustinere.

In via et in hospitiis non se notabiliter separet a socio.

---

(1) In editis necnon et in codice Vindobonensi hic ponitur Capitulum XLVII, *De Officio Praedicatoris communis*. Quod, etsi ab auctoris doctrina acceptum fuerit, ab ipso tamen scriptum non fuisse patet *a*) ex modo dicendi absimili; *b*) ex eo quod in codice Flor. vetustiori, tum in indice praemisso tum in textu desideretur; *c*) ex testimonio ipsius Humberti, qui in suo *De eruditione Praedicatorum*, Cap. XLIV, *De auditu Confessionum a Praedicatoribus*, haec habet: « Alii sunt qui.... frequenter male se habent in exequendo hoc officium.... in multis... de quibus habetur copiose in tractatu *De Officiis Ordinis*, CAPITE ULTIMO. » Unde habes caput *ultimum* operis praesentis fuisse *De Officio Confessoris*. Addimus tamen, imprimis ex Cod. Vindob. in *Appendicem* caput illud, qua utile, antiquum et hic addi solitum, licet omnia in eo contenta plenius habenda sint ex sequenti tractatu *De eruditione Praedicatorum*.

Item, concordes sint ad invicem, et pacifici, nec loquantur simul aspere, aut contentiose: praecipue coram saecularibus

Mutuo se honorent, ac supportent.

Si unus ipsorum dixerit sententiam aliquam coram saecularibus, quae tolerari possit, alter non contradicat.

Si ad unum mota fuerit quaestio aliqua, alter non respondeat pro ipso, dummodo ille sit sufficiens respondere.

Pro via non litigent; si quandoque erraverint, non propter ea se objurgent.

Item, si ambo sunt praedicatores, et aequalem habent gratiam, major in via non sibi solemniores stationes eligat, sed praedicationes suas dividant, prout paci ipsorum et saluti animarum viderint expedire, nisi praelatus aliter cum ipsis ordinaverit.

De nocte meliorem notabiliter lectum major non eligat, nec in aliis se super socium extollat.

III. Qualis in hospitiis. Praedicator non solum domi studeat, sed etiam in hospitiis, et in via aedificatoria exempla libenter dicat.

Non fatiget homines alios cibos quam praeparaverint postulando, aut etiam aliquos refutando.

Item, non habeat in consuetudine cibos mensae diversis mittere, vel dividere, vel etiam eleemosynas dare pro arbitrio suae voluntatis.

Item, in bonis consuetudinibus conformet se his cum quibus conversatur. Verbi gratia, in aliquibus regionibus indecens est de scutella bibere; ultra scyphum, dum quis bibit, respicere; potagium de cochleari ut sonus audiatur sorbere; mensae cubitis incumbere, et similia. Quae quamvis peccata non sint, tamen vitanda sunt propter honestatem, apud eos qui talia reputant indecora.

Sunt et alia, quae apud omnes sunt indecentia, sicut dormire in mensa, vel loqui dum quis cibum in ore tenet, et hujusmodi: haec ubique sunt vitanda.

Item, quando praedicator propter aestum, vel propter viae laborem sitim patitur, potest in mensa, vel ante, per haustum aquae illam restinguere, vel vinum cum aqua melius temperare.

Committat socio verbum quandoque in mensa, nec ibi dicantur otiosa, sed seriosa: sicut est de Passione Domini, cujus non debet fieri mentio, nisi cum omni reverentia, et maturitate.

IV. Quid praedicandum. Cum praedicator proponit verbum Dei, attendat quid dicat, quia materia sermonis ejus est Deus, angelus, homo, coelum, diabolus, mundus, infernus, praecepta, consilia, sacramenta, Scriptura, virtutes, vitia.

Item, magis illa studeat semper praedicare, per quae magis videatur posse fructificare.

V. Quibus praedicandum. Attendat etiam quibus dicat, ut secundum hoc sermonem suum formet.

Quibusdam enim competunt subtilia, quibusdam plana et simplicia, quibusdam instructiva, quibusdam motiva, quibusdam terribilia, quibusdam gaudiosa.

Consideret ergo quid clericis conveniat, vel laicis; quid religiosis, vel sae-

cularibus; quid militibus, aut rusticis; quid sanis, aut infirmis; quid juvenibus, aut antiquis; quid obstinatis, vel humilibus ac devotis.

Item, non solum curet praedicare multis, sed etiam paucis; nec tantum in castris, et civitatibus, sed etiam in villis.

VI. Qualiter praedicandum.

Studeat quoque praedicare breviter, ferventer, utiliter, faciliter et decenter; multum denique nitatur quod tractim praedicet, et distincte.

Item, si Fratres Minores ante sermonis inchoationem supervenerint, verbum praedicationis eis exhibeat, nisi rationabile quid obsistat.

Si vero quaestuarii superveniunt, habentes litteras Apostolicas, vel episcopi, studeat ut in pace cum illis sit.

VII. Quae sunt vitanda in praedicatione.

Non praedicet sine praemeditatione, nisi sciat alias quid dicere velit, vel debeat.

Item, vitet, quando bono modo potest, praedicare immediate post prandium: id enim tempus est tam audientibus quam loquentibus minus aptum; sed si oportet fieri, temperatius sumat cibum et potum.

Item, non rapiatur in iram contra impedientes praedicationem, vel contra pueros ibi flentes, aut etiam contra dormientes, sed benigne moneat illos.

Item, caveat inordinatum motum corporis, ut videlicet faciem non deformet, caput non agitet, manibus non percutiat, pedibus non calcet, et similia.

Item, devitet dicendi velocitatem, prolixitatem, superfluitatem, subtilitatem, inordinatum clamorem, et breviter omnia quae reddere possunt auditores minus dociles, benevolos vel attentos.

Item, caveat in sermone derisiones praesentium, vel derogationes absentium; specialiter autem vitam clericorum, vel religiosorum coram populo nunquam arguat; nec eos directe, vel indirecte, quasi sub pallio, notet; quia de talibus non sequitur aedificatio, sed frequenter scandalum, et turbatio plurium.

Item, videat diligentissime praedicator nequando de verbo Dei faciat sibi viam vindictae: ut videlicet in sermone suas prosequatur injurias.

Item, dubia pro veris non praedicet, nec fabulas vanas, aut scurrilia, quae possint sermonem facere contemptibilem, vel minus authenticum.

Item, non verecundetur idem praedicare saepius, dummodo bonum sit et utile, nec id omittat dicere quod alius praedicavit.

Item, caveat praecipue ne sit in his notabilis contra quae praedicat.

Denique tam in sermonibus publicis, quam in collationibus privatis, advertat praedicator circumstantias, quae continentur in hoc versu:

Respice quid, cur, ubi, cui, quomodo, quando loquaris

INCIPIT LIBER DE ERUDITIONE PRAEDICATORUM

COMPILATUS A VENERABILI FRATRE PATRE ET EGREGIO PRAEDICATORE

HUMBERTO DE ROMANIS

MAGISTRO ORDINIS PRAEDICATORUM QUINTO

I. Quod ad praedicatorem pertinet scire quod sit officium ejus.

VIDE ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas. *Ad Coloss. ult.*

Solet contigere quod cum aliquis habet aliquod officium, et nescit quae sunt officii illius, ex hujusmodi ignorantia pejus facit illud officium, sicut cantor qui nescit rubricas officii.

Hinc est quod, 1 *Reg. 2,* de filiis Heli sacerdotis, qui male se habuerunt in sacerdotio, redditur causa, cum dicitur *ibidem:* Porro filii Heli nescientes officium sacerdotum ad populum, etc. Propter hoc Paulus desiderans quod archiepiscopus qui susceperat officium praedicationis super Colossenses, illud laudabiliter impleret, fecit eum moneri ut consideraret ministerium hujusmodi, sicut continetur in verbo proposito, ut hujusmodi consideratio ei conferret ad illud bene implendum.

Ex quo relinquitur argumentum quod praedicatoris cujuslibet est diligenter attendendere et videre quod sit officium praedicatoris, et quae ad ipsum officium pertinent.

Quod ut plenius a praedicatore quolibet comprehendatur, septem (1) circa hoc sunt notanda, videlicet.

Primum de conditionibus hujus officii,

---

(1) In cod. *sex* notantur: sed *septem* revera in opere explanantur.

Secundum de necessariis praedicatori ad hoc officium exercendum,

Tertium est de modo accedendi ad hoc officium,

Quartum est de executione hujus officii,

Quintum de defectu hujus officii,

Sextum est de effectu hujus officii,

Septimum est de annexis isti officio.

PRIMA PARS

DE CONDITIONIBUS HUJUS OFFICII

II. De excellentia. Circa primum notandum est quam excellens sit hoc officium, quam necessarium, quam acceptum Deo, quam lucrativum ipsi praedicatori, quam utile hominibus, quam difficile ad bene faciendum.

Porro ad sciendum quam excellens sit hoc officium, attendendum est quod hujusmodi officium est apostolicum: ad hoc enim faciendum sunt electi Apostoli. *Marc. cap. 3:* Fecit ut essent duodecim cum illo, et ut eos mitteret praedicare.

Item, est angelicum. *Apoc. 5:* Vide Angelum fortem praedicantem voce magna. Nonne praedicabat ille qui dixit: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum? *Luc. 2.* Nec mirum si Angeli praedicatores dicantur, cum mittantur propter eos qui haereditatem capiunt salutis: sicut praedicatores propter hominum salutem.

Item, est divinum. Ad hoc enim officium exercendum Deus est humanatus. *Marc. 1:* Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibidem praedicem: ad hoc enim veni.

Cum ergo inter sanctos nulli sint excellentiores apostolis; inter creaturarum species nulla excellentior angelis; in universo nihil excellentius Deo: quam excellens est istud officium, quod est apostolicum, immo angelicum, immo divinum!

Praeterea, sacra Scriptura habet super omnes alias scientias triplicem excellentiam, scilicet ab auctore, a materia, et a fine.

Ab auctore, quia aliae scientiae ab humano ingenio sunt inventae, quamvis non sine Dei adjutorio: haec autem est a Deo immediate divinitus infusa. 2 *Petr. 1:* Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

A materia, quia aliae scientiae sunt vel de rebus rationis, vel de rebus naturalibus, vel de rebus a libero arbitrio procedentibus: haec autem de rebus divinis, haec omnia in infinitum transcendentibus.

Propter quod, *Prov. 8,* Sapientia divina, quae istam scientiam tradidit, dicit: Audite quoniam de rebus magnis loquutura sum.

Vere de magnis, quia de Trinitate et unitate divina, de incarnatione filii Dei, et de hujusmodi, quibus nihil est majus.

A fine, quia aliae scientiae sunt vel ad regimen temporalium, ut scientiae juris; vel ad utilitatem corporum, ut scientiae medicinae; vel ad informationem animorum secundum aliquam imperfectionem ignorantiae, ut speculativae: haec autem est ad vitam aeternam habendam. *Joann. 4:* Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

Quod ideo dicitur quia aqua divinae sapientiae tendit et perducit ad vitam aeternam.

Ipsa autem vita aeterna non est aliud quam ipse Deus: et ideo finis hujus scientiae est ipse Deus.

Ex his est quod sacra Scriptura dicitur Theologia a θεός, quod est Deus, et λόγος, quod est sermo, quia sermones ejus a Deo sunt, et de Deo, et ad Deum.

De hujusmodi vero sermonibus texitur omnis recta praedicatio, non de verbis aliarum scientiarum.

Cum ergo omnis res tanto sit excellentior quanto de excellentiori materia, sicut vas aureum vase plumbeo: quantae est excellentiae praedicatio, quae texitur de materia tam excellenti?

Praeterea, homo secundum philosophos est dignissima creaturarum: de duabus vero ejus naturis, scilicet corpore et anima, dignior est anima. Cum vero circa animam multa requirantur, quorum

quaedam parum aut nihil faciunt ad salutem, ut scientia; quaedam vero pertineant ad salutem: illa quae pertinent ad salutem sunt digniora. Porro praedicatio versatur circa hominem; unde *Matth. ult.*, dicitur Apostolis: Praedicate Evangelium omni creaturae, idest homini, secundum Gregorium. Non autem circa corpus, sed circa animam. Unde praedicante Petro signanter dicitur, *Act. 4,* quod appositae sunt animae circiter tria millia, quia praedicatio quaerit animas: non autem quaerit circa eas, nisi quae pertinent ad salutem. Et ideo dicitur, *Luc. 1,* de excellenti praedicatore: Praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus.

Cum ergo omne officium tanto sit excellentius quanto dignius est illud circa quod versatur, ut officium quod circa regem versatur excellentius est illo quod versatur circa equos ejus; et illud quod circa templum versatur excellentius est illo quod versatur circa stabulum: quantae excellentiae est illud officium quod versatur circa dignissimam creaturarum, et circa ejus partem digniorem, et circa digniora partis illius?

Si ergo consideretur, sicut dictum est, excellentia eorum quibus competit praedicatio, et excellentia eorum de quibus texitur, et excellentia eorum circa quae versatur, patet manifeste quam excellentis dignitatis est istud officium.

III. De necessitate. Ad intelligendum vero quam necessarium sit hoc officium mundo, sciendum est quod animae sanctorum, quae decesserunt, sicut dicitur *Apoc. 6,* clamant ad Dominum, conquerendo de his qui habitant in terra.

Et secundum expositores ista conquestio est de hoc quod tardi sunt ad agendam poenitentiam, quia ex hoc differtur consummatio eorum gaudii in coelo, quae erit ex impletione ruinae coelestis, et receptione secundae stolae: nihil autem tam valet ad hujusmodi consummationis accelerationem, sicut praedicatio; propter quod dicitur *Matth. 3,* in exemplum coepit Jesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum coelorum, quantum scilicet ad sui consummationem.

Ex quo patet quod sine praedicatione non consummabitur plenitudo gloriae coelestis.

Item, dicitur *Is. 5:* Propterea captivus ductus est populus quia non habuit scientiam. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.

Defectus ergo scientiae facit ad repletionem inferni.

Praedicatores vero replent terram scientia. *Prov. 15:* Labia sapientis disseminabunt scientiam; *Glossa,* praedicando. Et ideo retrahunt ab inferno juxta illud quod dicitur, *Prov. 23:* Erue eos qui ducuntur ad mortem; *Glossa:* praedicando.

Ex hoc ergo patet quod praedicatio retardat inferni repletionem.

Item si non esset praedicatio, per quam verbum Dei seminatur, totus mundus esset sterilis, et sine fructu. *Is. 1:* Nisi Dominus sabbaoth reliquisset nobis semen, scilicet verbum Dei, quasi Sodoma fuissemus, quae scilicet est terra omnino sterilis, et nullum ferens fructum.

Item, daemones apposuerunt magnam diligentiam a longo tempore ad subjugandum sibi mundum totum, et multam partem illius subjugaverunt; et plus subjugassent, nisi praedicatores eis restitissent virtute divinitus sibi data, de qua dicitur *Matth. 10:* Dedit illis potestatem spirituum immundorum. Et *post:* Praecepit eis dicens: Daemones eijcite. Et factum est ita: sicut figuratum est, secundum expositores, *Judic. 7,* in Gedeone et suis, qui cum tubis hostes fugaverunt.

Item, si non esset praedicatio, corda humana non erigerentur in spem coelestium. *Job. 12:* Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Gregorius *ibid.*: Si scientia praedicatorum subtrahitur, eorum qui virescere poterant in spe aeterna, corda protinus (1) arefiunt.

Item, barbaris nationibus necessaria summe est fides in Christum, quia sine ea non possunt salvari. Unde propter hanc necessitatem apparuit vir quidam Macedo per noctem Paulo, dicens: Transiens in Macedoniam adjuva nos, sicut dicitur *Act. 16.*

Non possunt autem istam fidem habere sine praedicatione. *Ad Rom. 10:* Quomodo credent in eum quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?

---

(1) τὸ « prot'nus ». ex edit.

Et ideo Dominus dedit praedicatoribus Christi genera linguarum omnium, ut praedicantes omnibus intelligibiliter omnes ad fidem istam possent pertrahere.

Et sic manifestum est quod tot nationes sine praedicatione non essent ad Christum conversae.

Item, sine praedicatione non esset Ecclesia fundata. *Job. 38:* Ubi eras, quando ponebam fundamenta terrae?

Ergo in sacra Scriptura fundamenta praedicatores accipimus, quos dum primos Dominus in terra constituit, tota in eis sequentis fabricae structura succubuit.

Sine praedicatione etiam non profecisset, nec proficeret. 3 *Reg. 5:* Praecepit rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos. *Glossa:* Superpositi ordines lapidum vel lignorum significant doctores sequentes, quorum praedicatione crescit Ecclesia, et ornatur virtutibus.

Sine praedicatione etiam non staret. *Is. 60:* Locum pedum meorum glorificabo. *Glossa:* Praedicatores pedes Domini dicuntur, quia totum corpus Ecclesiae sustentant: et ideo per eos stat Ecclesia, sicut corpus per pedes.

Colligitur ex his quam necessarium sit officium praedicationis, sine qua non consummabitur plenitudo gloriae regni coelestis; infernus citius impleretur, et mundus esset omnino sterilis; daemones mundo dominarentur, corda humana ad spem coelestium non consurgerent, nationes fidem christianam non recepissent, nec Ecclesia fundata esset, nec profecisset, nec staret.

Propterea dicit Apostolus quibusdam, *Ephes. 5:* Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Quia homines praedicatione carentes sunt quasi in tenebris. Sicut in primordiali creatione dicitur de abysso quod habebat tenebras super faciem, creata vero luce illuminata est illa materies: ita et per praedicationem illuminantur homines. *Matth. 4:* Habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Quod intelligitur, secundum *Glossam,* de praedicationis luce. Praedicatio igitur est illuminativa mundi. Propter quod et praedicatoribus prius dicitur: Vos estis lux mundi. *Matth. 5.*

Item, dicitur *Oseae 4:* Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt. Istud autem diluvium

jam fere subvertisset totum orbem, sicut diluvium sub Noë, nisi per praedicationem fuisset repressum. Exemplum. Loquebantur quidam clerici coram quodam Archiepiscopo magnae auctoritatis, et dicebant: Quid prosunt tot praedicationes modernorum religiosorum, cum adhuc sint tot usurarii, tot fornicatores, et tot aliae malitiae in mundo? At ille: Cum tot sint adhuc malitiae, et isti boni viri per suas praedicationes represserint innumerabiles, quid ergo esset, si isti non venissent, et non praedicassent? Utique tantum crevissent malitiae, quod quasi totum mundum suffocassent.

Constat igitur quod praedicatio reprimit abundantiam malitiae. *Gen. 8:* Adduxit Dominus spiritum super terram, et imminutae sunt aquae: quia nimirum per Spiritum, qui loquitur in praedicatoribus, diminuuntur aquae malitiae abundantis.

Item, sicut olim frequenter dicitur invaluisse fames in mundo, ita deficiente praedicatione invalescit fames spiritualis. *Luc. 15:* Facta est fames valida. *Glossa:* Deficientibus praedicationibus fit fames, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Item, sermo Dei est medicina omnia sanans, sicut dicitur *Sap. 6:* Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. *Glossa:* Coetus praedicatorum sanitas est, etc.

Item, sicut ex defectu sapientis regiminis solet accidere quod evacuantur civitates habitatoribus, ita ex defectu praedicationis pereunt homines rationales. *Prov. 29:* Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus; et quasi soli bestiales inveniuntur. Sed prudentia praedicatorum reparantur et inhabitantur ab hominibus civitates. *Eccle. 10:* Civitates inhabitabuntur per sensum prudentum; *Glossa:* Idest praedicatorum.

Item, sicut tempore magnae siccitatis non invenitur aqua, ex quo sequitur magna afflictio, et damnum maximum hominum, ita accidit ex defectu doctrinae. *Is. 41:* Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt. Lingua eorum siti aruit. Hoc autem fit diabolo procurante. *Judith. 7:* Holofernes praecepit incidi aquaeductum, qui fluebat in civitatem; *Glossa:* Hoc diabolus maxime suadet, ut doctrinae fluenta auferantur; sed e contrario Dominus mittit praedicatores

qui aquam influant. *Is. 41:* Aperiam in supremis montibus flumina; et in medio camporum fontes. *Glossa:* Idest praedicatores superbis gentibus, et in medio humilium.

Item, si non esset praedicatio, totus mundus essēt quasi terra deserta et invia, in qua nescitur via: praedicatio vero docet viam. Propter quod dicitur de praedicatore egregio praedicante in deserto, *Luc. 1.* Praeibis ante faciem Domini parare vias ejus. Et *post*: Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Vide ergo quanta sit hujus officii necessitas, cum sine praedicatione totus mundus esset in tenebris, abundantia malitiae omnia suffocaret, fames periculosissima ubique invalesceret, pestilentia infirmitatum innumerabiles ad mortem duceret, civitates redigerentur in solitudinem, defectus aquae salutaris sapientiae intolerabilem inducerent siccitatem, viae salutares non discernerentur in terra.

Propter haec igitur praedicta Deus videns quam necessaria sit praedicatio in mundo, non cessavit ab initio, nec cessabit usque in finem praedicatores mittere successive. Gregorius, *Homil. 19,* in Evangelium: Paterfamilias ad excolendam vineam suam mane hora tertia, sexta, et nona, operarios conducit, quia mundi hujus initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium praedicatores Dominus congregare non destitit.

IV. De acceptibilitate coram Deo.

Deinde ad sciendum quantum acceptum sit istud officium coram Deo, notandum quod praedicatio est quasi quidam cantus; *Nehem. 7:* Habitaverunt cantores in civitatibus suis. *Glossa:* Cantores sunt qui dulcedinem coelestis patriae pia voce praedicant.

Iste autem cantus est adeo coram Deo acceptus, sicut etiam in curiis magnates solent in cantibus joculatorum delectari, quod prae dulcedine hujus cantus Sponsus dicit Ecclesiae, *Cant. 2:* Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Glossa:* Praedicationem volo, quia talis vox dulcis.

Item, praedicatores dicuntur venatores. *Jer. 16:* Mittam eis venatores, qui venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. Quod ideo dicitur, secundum expositores mo-

rales, quia praedicatores de omni statu peccatorum venantur animas ferinas. Sicut autem nobiles libenter vescuntur venationibus, ita Dominus hujusmodi feris. In cujus signum dicitur, *Gen. 25,* quod Isaac libenter vescebatur de venationibus Esau.

In tantum autem accepta est hujusmodi venatio Domino, quod ex desiderio ejus figurative, *Gen. 27,* incitat praedicatorem ad hujusmodi venationem dicens: Sume arma tua, pharetram, arcum, et egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ut comedam, et benedicam coram Domino.

Item, praedicatio proprie procedit ex zelo animarum; unde praedicator egregius dicit, 2 *ad Cor. 11:* Aemulor vos Dei aemulatione, idest sancto zelo. Dicit Augustinus quod nullum est majus sacrificium Deo quam zelus animarum. Si ergo sacrificium de animalibus tantum Deo olim placuit, quod dicatur, *Gen. 8,* de tali sacrificio, quod exhibuit Deo Noë: Odoratus est odorem suavitatis, quantum credendum est esse sibi acceptum sacrificium de animabus, quod fit ei per praedicationem?

Item, praedicatores dicuntur milites Christi. Propter quod dicitur, 2 *Tim. 2:* Labora sicut bonus miles Christi. *Glossa:* Praedicando.

Unde autem praedicando militare dicuntur? Quia sic errores tam infidelitatis quam morum regi suo contrarios debellant. 2 *Mach. 12:* Dositheus autem, et Sosipater, qui erant duces cum Machabaeo, etc. *Glossa:* Isti duo duces sanctos praedicatores designant, qui veri Machabaei dispositione, hoc est fortissimi praeliatores; de quo in *Ps. 23* scriptum est: Dominus fortis et potens in praelio, contra omnes errores perfidorum belligerare destinantur.

Ipsi etiam in augmentum divini regis sui populos alienos ei subiugant. *Eod.:* Victi Arabes petebant a Juda dextram sibi dari. *Glossa:* Clarescente veritate, ac constantia sanctorum praedicatorum superati dexteras sibi dari petunt, ita ut errores derelinquentes, catholicae fidei unitatem appetant; seque confessoribus Christi associare deliberent.

Isti etiam sicut fideles milites ad imperium ejus vadunt et veniunt, ei per omnia obedientes, sicut milites centuriones ad jussum

ejus vadunt et veniunt. *Zach. 9:* Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi, euntes et revertentes. *Glossa:* Qui ad imperium meum huc illucque discurrentes: quod competit praedicatoribus. Vere amabiles et amandi a rege suo sunt milites tales, qui hostes debellant, populos sibi subjungant, et ei per omnia obediunt. Si ergo principibus solet acceptum esse officium bonorum militum, sicut dicitur de David, 1 *Reg. 29,* quod erat acceptus in oculis Achis propter militiam suam, quantum credendum est esse acceptam coram rege gloriae tam fructuosam militationem praedicatorum suorum?

Item, qui volunt placere magnatis, solent facere eis encaenia de rebus quas multum diligunt, sicut de primis fructibus, vel piscibus nobilibus, et similibus. Illud autem quod summe diligit Dominus sunt animae. *Sap. 11:* Domine qui amas animas. Quasi super omnia vero encaenia mittuntur ei per praedicationem. Quis ergo posset dicere quam accepta sit talis oblatio, et cum quanto gaudio recipiat eam?

Ideo dicitur in *Ps. 59:* Adducentur regi virgines, scilicet animae per poenitentiam innocentiae restitutae, post eam: proximae ejus afferentur tibi. *Glossa:* Adducentur per opportunam praedicationem, afferentur per importunam. Et sequitur: Afferentur in laetitia et exultatione: quia cum magno gaudio recipietur talis oblatio.

Item, quilibet praedicator est quasi legatus missus a Deo pro negotiis suis. *Ephes. 6:* Pro quo legatione fungor; et 2 *Cor. 5,* idem. Et ideo sicut multum acceptum est mittenti, quando legatus facit fideliter negotium suum: ita et praedicator fideliter exercens officium suum Deum delectat. *Prov. 25:* Sicut frigus nivis in die messis; quod scilicet refrigerat calorem laborantium, ita legatus fidelis ei qui misit illum, animam ejus requiescere facit.

Item, praedicatores super *Luc. 5,* et *Esdr. 3,* dicuntur caesores lignorum, et latomi, et caementarii, et similia. Ipsi enim sunt operarii, qui aedificant in cordibus humanis habitaculum Dei in spiritu adeo jucundum, secundum quod dicit ipse Deus, *Prov. 8:* Delitiae meae esse cum filiis hominum. Si ergo artifices qui aedificant pulchra palatia adeo sunt accepti regibus propter opera sua, quod mittunt ad regiones longinquas propter eos habendos, sicut patet in legenda beati Thomae Apostoli de rege Indorum, qui propter hoc praepo-

situm suum longe misit: quis dubitet Dominum delectari non modicum in praedicationis opere, per quam ei tam amabile habitaculum praeparatur?

Item, super illo verbo *Job. 28*: Non calcaverunt eam filii institorum, dicit *Glossa*: Institores sunt praedicatores, qui spiritualium negotium gerunt: qui auditoribus suis praedicationem praebent, ut ab eis fidem et opera recipiant.

Per istam autem negotiationem lucrifiunt animae, juxta illud, 1 *Cor. 9*: Ut plures lucrifacerem; scilicet per praedicationem, ut tangit *Glossa*. Ad hanc negotiationem incitat Dominus praedicatores, *Luc. 19*, dicens: Negotiamini dum venio.

Si autem tantum placet ei lucrum quod gratulans servo, qui quinque talenta lucratus fuit, dixit *ibid.*: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui, quantum ei placeret talis negotiatio animas pretiosissimas sibi acquirens?

Item, praedicatores sunt ministri Dei, juxta illud, *Act. 6*: Nos autem ministerio verbi instantes erimus: inter varia autem genera ministeriorum Dei nullum est ita bene intelligens, sicut praedicatorum, juxta illud *Ps. 63*: Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. Quod exponit *Glossa* de praedicatoribus.

Inter vero conditiones quae ministerium reddunt acceptum, est ista praecipua, scilicet ut bene intelligat quid sit faciendum. *Prov. 14*: Acceptus regi minister intelligens. Ex quo apparet quam acceptum sit hoc officium Deo.

Colligitur ex jam dictis quod praedicatio sancta accepta est Deo tanquam cantus dulcissimus, tanquam jucunda venatio, tanquam sacrifitium suavissimum, tanquam strenua militia principis, tanquam oblatio encaenii amabilis magnati, tanquam fidelis executio legationis mittenti, tanquam constructio nobilis palatii regi, tamquam negotiatio lucrosa patrifamilias, tanquam servitium ministri intelligentis domino: non solum autem sibi, sed assistentibus sibi in curia sua. *Cant. ult.*: Quae habitas in hortis, amici auscultant te; fac me audire vocem tuam. *Glossa*: Amici, idest angeli et spiritus justorum, qui cum Deo sunt.

V. De lucro hujus officii. Sequitur videre quanti lucri sit istud officium ipsi praedicatori.

Circa quod est notandum quod isti officio debentur necessaria vitae praesentis, sicut probat Apostolus, 1 *Cor. 9,* multis modis, dicens in fine: Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.

Non solum autem debentur praedicatori haec necessaria, sed nobilissimo modo debentur ei.

Alia enim genera hominum oportet habere solicitudinem de necessariis vitae; istis autem dicitur, *Matth. 6:* Nolite soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.

Alios etiam oportet laborare, ut in sudore vultus sui comedant panem suum. *Gen. 3.* Istis autem dicitur, *Matth. cap. 6:* Respicite volatilia coeli, quod non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea. Et iterum: Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Quasi dicat: Si aves cibum, et lilia vestimentum habent a Deo sine labore, non debetis diffidere quin idem faciat vobis, qui plus estis apud eum quam ista.

Alii etiam licet sint soliciti, et laborent pro necessariis vitae, tamen frequenter sunt de his valde incerti. De praedicatoribus vero dicit Gregorius, *Hom. 17 in Evangelia,* super illo verbo *Luc. 10:* Nolite tollere sacculum, neque peram, etc.: Praedicatori tanta debet esse in Deo fiducia, ut praesentis vitae sumptus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat: ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna.

Et notandum quod ad probandum experimento veritatem hujusmodi, quod praedicatoribus Dominus providet, sine sollicitudine et sine labore, indubitanter de necessariis, quod difficile crederetur a multis, recessurus a mundo quaesivit ad discipulis, *Luc. 22,* dicens: Quando misi vos, scilicet ad praedicandum, ut dicit *Glossa,* sine sacculo, et pera, et sine calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Per quod multum ista veritas confirmatur.

Praeterea merito praedicationis solent acquiri multa bona spiritualia. *Prov. 11:* Et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. *Glossa:* Qui inebriat auditores divino eloquio, inebriabitur potu multiplicis muneris. Et bene dicit: multiplicis; pro merito enim praedicationis datur augmentum interioris gratiae. *Eodem:* Anima quae benedicit, impinguabitur. *Glossa:* Anima quae benedicit exterius praedicando, interius augmenti pinguedinem recipit.

Item, ablutio sordium, si forte contrahuntur per activam. *Job. 29:* Quando lavabam pedes meos butyro. *Glossa:* Pedes Dei praedicatores non sine culpa sunt, sed lavantur butyro, quia pinguedine boni operis mundatur collectus pulvis.

Item, intelligentia. *Job. 38:* Quis dedit gallo intelligentiam? *Glossa:* Galli praedicatores sunt. Et *post:* Ipsis, scilicet sanctis praedicatoribus, quis nisi ego intelligentiam dedi? Et bene hoc conveniens est, ut sicut gallo, eo quod gallus est, datur intelligentia quaedam: ita et praedicatori, eo quod praedicator, immo multo magis, datur intelligentia, quae in praedicatione est multum necessaria.

Item, eloquentia. Unde *Exod. 4,* cum Moyses excusaret se de ineptitudine loquendi, dixit Dominus: Quis fecit os hominis? Nonne ego? Surge igitur, et ego aperiam os tuum. Ex quo apparet ipsam apertionem oris ad Dei gratiam pertinere.

Item, dicendorum abundantia. *Ps. 80:* Dilata os tuum, et implebo illud, scilicet dando abundanter quae loquaris. Exemplum de sancto Sebastiano, quo praedicante, uxor Nicostrati Zoe vidit juvenem venientem de coelo, et librum ante eum tenentem, ex cujus lectione sermonis oratio ejus descendebat.

Item, virtutis effectus. *Ps. 67:* Dominus dabit voci suae vocem virtutis. Pradicator enim os est Domini: et ideo decet ut qui dat voci suae vocem virtutis, praedicanti propter nomen suum virtutem conferat in loquendo.

Item, praeter hoc sunt alia multa dona virtutum, quae dator munerum Spiritus Sanctus dividit singulis praedicatoribus, prout vult, aliis plus, aliis minus. Et ideo dicitur in *Ps. 67,* secundum aliquam litteram: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

Et notandum quod propter hoc praedicatores dicuntur coeli, quia

sicut coeli sunt ornati stellis, ita et ipsi virtutibus variis. *Job. 26:* Spiritus ejus ornavit coelos. Gregorius: Ornamenta coelorum sunt virtutes praedicantium. Quae videlicet ornamenta Paulus enumerat dicens, 1 *Cor. 12:* Alii datur quidem per Spiritum Sanctum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Justum est autem ut eis plures gratiae conferantur quam aliis. Ipsi enim specialiter laborant pro corpore Ecclesiae. Gratiae vero quibuscumque conferantur, dantur non solum pro se, sed pro aliis. 1 *Cor. 12:* Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. *Glossa:* Dona vero ad meritum alicujus hominis singulariter dantur, sed ad utilitatem Ecclesiae aedificandae. Si ergo aliis dantur propter utilitatem Ecclesiae dona, quanto plura debent dari his qui sunt ad hoc specialiter deputati? Ex his ergo patet quomodo ex praedicatione spiritualia dona plurima acquiruntur.

Praeterea ex praedicatione solet excitari devotio in populo, qui quandoque prorumpit ad benedicendum praedicatorem. *Prov. 11:* Qui abscondit frumenta, scilicet praedicationis secundum *Glossam,* maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Exemplum, *Luc. 11,* de muliere, quae loquente Domino ad turbas, prorumpit in benedictionem, dicens: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti!

Quandoque prorumpit in orationem. Exemplum. Contigit quemdam virum valde nobilem, deditum multis vanitatibus mundi, per quemdam praedicatorem reduci ad cogitationem et sui et Dei, et dare operam ad salutem suam operandam. Cum autem infirmatus laboraret in extremis, meminit beneficii quod consequutus fuerat per illum praedicatorem, elevansque cor suum ad Deum, dixit: Domine rogo te pro illo, per quem veni ad cognitionem tui.

Sic etiam non est dubium quod multi auditorum rogant devote pro praedicatore, praecipue cum et ipsi occasione praedicationis hoc frequenter soleant petere in principio et in fine sermonis, exemplo Apostoli, qui hoc petebat frequenter, ut patet, *ad Ephes. 6,* et *Colos. 4,* et *Thessal. 3.* Et sperandum est multum de effectu talium orationum,

quando plures sunt orantes: quia, ut dicit auctoritas, impossibile est orationes multorum non exaudiri.

Interdum etiam ista devotio facit multos sequi praedicatorem, sicut visum est in diebus nostris frequenter, et habetur in Evangeliis de Christo, quem sequebatur turba multa propter praedicationem, etiam in deserto, et undique conveniebant ad eum.

Item, non solum facit sequi, sed etiam obsequi. *Marc. 15:* Sequebantur eum, et ministrabant ei.

Item, hujusmodi devotio facit eos multum honorari. *Gal. 4:* Sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Nec mirum, quia duplici honore digni habentur presbyteri: maxime qui laborant in verbo et doctrina, ut habetur 1 *Tim. 5.*

Item, facit eos nominari. 1 *Mach. 3:* Nominatus est Judas usque ad novissimum terrae: quod dicitur in figura praedicatorum. Unde *Glossa:* Nominatus est usque ad novissimum terrae, quia in omnem terram exivit sonus eorum, idest sonus de eis, secundum *Glossam,* quae dicit: Sonus, idest fama praedicationis eorum.

Item, quotquot et quantumcumque proficiunt ex verbo praedicatoris debent recognoscere se ejus filios, juxta illud 1 *Cor. 4*: In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

Felix ergo devotio, nec parvipendenda a praedicatore, quae ipsum facit frequenter benedici, pro eo a multis orari, quae ipsum facit sequi et ei obsequi, quae ipsum honorari facit, et longe in bonum nominari, et tot et tantos se ejus filios in Christo profiteri!

Et sic patet quod ex officio praedicationis acquiritur triplex lucrum praedicatori, scilicet vitae necessaria, dona multa spiritualia, popularis devotio: et hoc quoad statum praesentem. Sed, quod melius est, ad futurum in gloria. Et hoc multipliciter.

Primo, quia ex hoc metitur major certitudo salutis. Consuevit enim Dominus sic se habere ad hominem in operibus pietatis, sicut seipsum habet ad alium, juxta illud *Luc. 6:* Dimittite et dimittemini, date et dabitur vobis. Et ideo certum argumentum est quod praedicator qui alios salvat, quamvis ministerio, ipse salvetur. Et ideo dicit per Prophetam *Jer. 15:* Si converteris, scilicet alios, convertam te.

Secundo, quia meretur majus praemium substantiale. Probabile enim est quod charitas quae facit eum non solum circa se, sed circa alios laborare, ex hoc plus et plus augeatur in eo. Illa autem augmentata, necesse est praemium substantiale augeri. Ideo dicitur *Cant. ult.:* Et ducenti his qui custodiunt fructus ejus, scilicet vineae. *Glossa:* Idest doctoribus: quia duplex praemium meretur qui se tuetur, et alios lucratur.

Tertio, quia praeter substantiale praemium habebit ad incrementum gloriae multas alias materias gaudiorum. *Ephes. 1:* Ut sciatis quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos. *Glossa:* Quoddam incrementum gloriae habebunt summi doctores, ultra illud quod omnes communiter habebunt. Ex exponitur a magistris hoc de gloria accidentali superaddenda substantiali. Quod si ita est de summis doctoribus, et hoc quia doctores, idem erit de omnibus doctoribus, licet secundum plus et minus. Habebit ergo quilibet praedicator bonus hujusmodi incrementum, et hoc multipliciter. Quod sic patet. Dicit *Glossa,* super eodem verbo: Inter alios erunt clarius fulgentes apostoli. Constat autem quod iste fulgor in illa gloria respondet fulgori quem habuerunt in via, cum fuerunt lux mundi. Cum ergo quilibet praedicator bonus fuerit quaedam lux, juxta illud *Ps. 76:* Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae; quod exponitur, secundum *Glossam,* de praedicatoribus: iustum est ut quilibet talis speciali fulgore resplendeat in patria. Et ideo dicitur Danielis *cap. 12:* Et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

Item, majus est facere et docere, quam solum facere: cum ergo in illa patria recipiat unusquisque secundum meritum suum, justum videtur ut isti magnitudini in merendo in via, respondeat magnitudo remunerationis in patria. Et ideo non sine causa dicitur, *Matth. 5:* Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Sicut ergo in curiis nunc alii sunt minores, alii majores, quod est gloriae: ita et in illa curia praedicatores non erunt de minoribus, sed de majoribus.

Item, canonicae 1 *Joan. 3,* dicitur ad gloriam electorum: Cum apparuerit, similes ei erimus. Si ergo hoc est ad gloriam eorum, constat quod quanto major erit similitudo, tanto major surget ex

hoc gloria. Praedicatores vero assimilantur ei in excellentissimo officio juris rationabilis, scilicet praedicationis: propter quod dicunt magistri communiter quod merentur aureolam, de qua habetur *Exod. 25,* in textu et in *Glossa,* sicut virgines et martyres, eo quod assimilantur eis: alii in excellentissimo actu concupiscibilis, alii in excellentissimo irascibilis.

Item, praedicatoris est pugnare cum serpente antiquo. *Apoc. 12:* Michael et Angeli ejus praeliabantur cum Dracone. Habet enim Michael praedicatores, qui dicuntur angeli, quia sunt sub eo in adjutorium suum contra diabolum et exercitum ejus. Si ergo David qui pugnavit contra Goliam accessit ad tantam gloriam, ut de hoc ad ejusdem laudem fierent cantiones, cum rediret de praelio, sicut habetur 1 *Reg. 18:* quanta erit gloria in patria illa praedicatori revertenti, qui cum tanto hoste pugnavit viriliter?

Item, cedit ad gloriam cuilibet in curia magna, cum aliis praeponitur sive in sedendo, sive in aliis: praedicator vero praeponitur multis in illa coelesti curia. *Luc. 19:* Et tu esto supra decem civitates. *Glossa:* Decem civitates sunt animae per legis dicta ad gratiam Evangelii pervenientes: quibus tunc glorificandus praeponitur, cum eis pecuniam verbi Dei digne commodavit.

Item, solet ad magnam gloriam et honorem cedere, cum aliquis intrat aulam regiam cum comitatu magno: praedicator vero bonus non intrabit solus illuc, sed secum ducet quotquot convertit. Sanctus doctor Gregorius in homilia *Designavit:* Ibi Petrus cum Judaea conversa, quam post se traxit, apparebit; ibi Paulus, conversum, ut ita dixerim, totum mundum ducens; ibi Andreas post se Achajam; Joannes, Asiam; Thomas Indiam: ibi omnes Dominici gregis arietes Deo post se subditum gregem trahent.

Item, summi honoris est, cum aliquis in conspectu magnae multitudinis et magnorum coronatur, vel coronatus apparet: ibi vero praedicator bonus coronabitur. *Cant. 4:* Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon. *Glossa:* Dum praedicatores tales convertunt, crescit corona eorum, de eorum certamine. Hinc est quod Paulus dicit ad *Thess. 1:* Quae est corona nostra? Nonne vos ante Dominum?

Erit ergo gloria, sicut patet ex praedictis, bono praedicatori ex splendore charitatis, ex magnitudine personae, ex conformitate quam cum Christo habet, ex certamine quo cum diabolo conflixit, ex praelatione qua praefertur aliis, ex societate quam secum ducet, ex corona gloriosa quam habebit.

Et sic liquet lucrum hujus officii, et quoad praesentem statum, et quoad futurum.

Quod confirmat *Glossa* super *Eccli. 31:* Splendidum in panibus benedicent labia multorum: Qui panem verbi Dei fideliter dispensat, et in praesenti et in futuro benedicetur. Benedictio enim est bonorum collatio.

VI. De utilitate quam confert praedicatio facta hominibus.

Sequitur videre quam utile sit illud officium hominibus.

Circa quod notandum est quod quamvis sit toti mundo necessarium, ut supra dictum est, tamen specialiter est utile omnibus hominibus, et tot modis quot modis ipsum verbum Dei, quod per praedicationem sanctam proponitur, utile hominibus reperitur.

Sciendum ergo quod multi sunt quorum spiritus sunt in corporibus suis, sicut mortui in sepulcro.

Sicut autem in fine verbo suo Dominus suscitabit corpora, ita et nunc virtute verbi sui vivificat spiritus mortuos. Unde *Joan. 5:* Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint vivent.

Item, sunt multi qui non habent unde vivant spiritualiter; verbum autem Dei est quo sustentatur vita spiritualis. Unde *Matth. 4:* Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Et ideo sicut pauperes non habentes de quo vivant, currunt ad eleemosynas: ita hujusmodi pauperes currere debent ut verbum Dei de quo vivant, in spiritu recipiant.

Item, sunt multi qui cum magna diligentia quaerunt quotidie cibaria delectabilia: non est autem delectabilior cibus palato non infecto quam verbum Dei. *Ps. 118:* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo!

Item, sunt multi qui propter simplicitatem errant in multis:

sed praedicatio per expositionem verbi Dei eos instruit. *Ps. 118:* Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.

Item, sunt multi nihil sentientes de spiritualibus, et ducunt vitam animalem: sed verbum Dei facit eos transire ad vitam spiritualem. *Joan. 6:* Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Quod dicitur per effectum, quia ad spiritualem vitam ducunt.

Item, sunt multi qui in tenebris hujus mundi nesciunt tenere viam rectam: sed verbum Dei, sicut lumen de nocte, ostendit eis viam rectam, *Ps. 118:* Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

Item, sunt quaedam medicinalia, quae, etsi valent contra aliquas infirmitates, non tamen contra omnes: sed verbum Dei valet contra omnem infirmitatem spiritualem. *Sap. 14:* Omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.

Item, sunt quidam corde duriores quam saxa: sed verbum Dei frangit interdum duritiam. *Jer. 23:* Nonne verba mea quasi malleus conterens petras?

Item, sunt quidam sicci ad pietatem, et ad compunctionem, et devotionem ad Deum, juxta illud *Ps. 142:* Anima mea sicut terra sine aqua tibi: sed verbum Dei facit eos liquescere. *Ps. 147:* Emittet verbum suum, et liquefaciet ea.

Item, sunt multi in quibus charitas refriguit: sed verbum Dei accendit eam. *Jer. 23:* Nonne verba mea quasi ignis? scilicet qui accendit.

Item, sunt multi sicut mulier sterilis, qui nunquam concipiunt aliquod bonum propositum: sed verbum Dei facit eos concipere. Et ideo dicitur *Luc. 8:* Semen est verbum Dei: quia ad modum seminis est initium conceptionis.

Item, non solum facit concipere, sed et fructum facere. *Is. 55:* Quemadmodum imber et nix descendit, et inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit: sic erit verbum meum, et quod egredietur de ore meo.

Item, quaedam sunt vina quae propter debilitatem suam non inebriant: sed verbum Dei sicut vinum forte inebriat, ut patet in sanctis, qui sic inebriati omnia praesentia tradebant oblivioni, et

verberati non videbantur sentire. *Jer. 23:* Factus sum sicut vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini, et a facie verborum sanctorum ejus.

Item, sunt multi quorum spiritus sunt adeo incarnati, quod vix possunt a carnalitate dividi: sed verbum Dei facit hanc divisionem. *Ad Hebr. 4:* Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae, id est animalitatis et spiritus.

Item, multi multum indigent adjutorio contra tentationes diaboli: verbum autem Dei est gladius quo se homo potest defendere ab illis, sicut patet in Domino, qui per verba sacra, *Matth. 4,* se defendebat a tentatione. Et *ad Ephes. 6:* Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Item, verbum Dei est sicut lexivia fortis, cujus virtute lavantur sordes contractae in pannis. *Joan. 15:* Vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis. Exemplum de calatho immundo, qui frequenter immersus in aqua, mundior efficitur, licet nihil de aqua retineat, sicut habetur in *Vitis Patrum.*

Item, multi sunt longe valde a statu sanctorum: sed verbum Dei sanctos facit eos. *Joan. 17:* Pater sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.

Item, gratia summe necessaria est hominibus in vita ista: confertur autem virtute divini verbi, sicut patet in primitiva Ecclesia. *Prov. 13:* Doctrina bona dabit gratiam.

Item, sunt multi in mortis animae periculo propter gravem infirmitatem: sed verbo Dei liberantur. *Ps. 106:* Misit verbum suum, et sanavit eos; et eripuit eos de interitionibus eorum.

Item, sicut verbo medici salvantur corpora, ita verbo Dei salvantur animae. *Jac. 1:* In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Non solum autem istos effectus utiles hominibus habet verbum Dei, sed et multos alios; propter quod dicitur *Eccle. 8:* Sermo Dei potestate plenus est.

Quod dicitur propter multiplices effectus quos habet, sicut lapis pretiosus valens ad multa.

VII. De difficultate hujus officii.

Sequitur de difficultate hujus officii. Circa quod notandum quod valde difficile est bene facere istud officium: quod patet ex tribus.

Primo ex paucitate bonorum praedicatorum. In primitiva enim Ecclesia, pauci praedicatores adeo boni fuerunt, quod totum mundum converterunt: nunc autem innumerabiles, et tamen parum proficiunt. Quare autem est hoc, nisi quia illi boni praedicatores fuerunt, isti vero non sic? Signum autem difficultatis artis alicujus est, cum multi sunt artifices illius artis, pauci autem boni.

Secundo ex conatu multorum ad istud officium: sunt enim et fuerunt multi magni in litteraturis multis, qui quamvis apposuerunt diligentiam multam, et conati sunt pro viribus ad habendam gratiam praedicandi, tamen ad hoc nunquam pervenire potuerunt. Signum autem difficultatis artis est, cum aliquis, aliter idoneus, non potest addiscere illam.

Tertio ex modo acquirendi. Aliae enim artes acquiruntur per assuefactionem ex frequenti agere. Fabricando enim fabri fimus; et citharizando citharistae fimus, secundum philosophum. Gratia vero praedicandi ex dono Dei speciali habetur. Unde *Eccle. 10:* In manu Dei potestas hominis; idest praedicatoris, secundum *Glossam.* Quod ideo dicitur quia ex dono Dei est quod homo habeat potestativam praedicationem: quae autem homo ex opere suo non potest, sed aliunde oportet venire, difficilius est.

Porro causae quare difficile est hujusmodi officium ad bene faciendum, sunt tres. Una est ex parte magistri: aliarum enim artium plures inveniuntur magistri, et qui facile possunt haberi; hujus vero artis unicus est magister, cujus copiam pauci habent, scilicet Spiritus Sanctus. Unde Dominus noluit quod illi egregii praedicatores praedicarent, quousque venisset Spiritus Sanctus, qui eos doceret omnia. Postquam autem venit in eos, coeperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. *Act. 2.*

Alia est ex parte instrumenti: praedicatio enim exercetur per linguam, quae facillime errat, nisi Dei virtute dirigatur, juxta illud *Prov. 16:* Domini est gubernare linguam. Sicut ergo difficilius est facere aliquod opus bene cum manu sinistra, quae de facili errat,

quam cum dextera, quae non ita de facili errat: ita difficile est bene facere officium praedicationis, quia fit per linguam, quae facile errat inter omnia membra.

Alia est ex parte eorum quae sunt necessaria ad hoc officium laudabiliter faciendum. Sunt enim quamplurima, sicut patet in sequenti capite: omnis autem ars tanto difficilius bene fit, quanto plura requiruntur ad eam faciendam; sicut difficilius est facere picturam in qua plures varietates colorum requiruntur, quam picturam in qua pauci requiruntur colores: et ideo quia quamplurima requiruntur ad istud officium bene faciendum, accidit in eo difficultas.

Deinde notandum quod quia non est laus multa in faciendo aliquod bonum, nisi bene fiat, propter quod dicitur *Is. 1:* Discite benefacere; et difficultas sit in bene faciendo officium praedicationis: circa difficilia vero oporteat laborare, apponenda est multa cura praedicatori, ut quantum in eo fuerit, istud officium bene et gratiose valeat exercere.

Sunt autem tria quae ad hoc specialiter valent: primum est diligens studium, secundum est consideratio modi aliorum praedicatorum, tertium est oratio ad Deum.

Circa primum notandum est quod licet praedicationis gratia specialiter habeatur ex dono Dei, tamen sapiens praedicator debet facere quod in se est, diligenter studendo circa praedicationem faciendam, ut laudabiliter fiat. Unde *Apoc. 8:* Septem Angeli, qui habebant septem tubas, praeparaverunt se ut tuba canerent. *Glossa:* Idest universi praedicatores Apostolos imitantes. Et alia *Glossa,* in Evangelio *Matth. 10,* in illud quod dicitur: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Sed Apostoli in praedicatione fuerunt privilegiati: tamen iis qui non sunt privilegiati ita, conceditur praemeditari. Unde Hieronymus super *Ezech. 3,* super illud: Comede volumen: Sermones Dei corde sunt comedendi, et diligentius attendendi, et sic ad populum proferendi.

Sed sunt quidam praedicatores, qui cum student ad praedicandum, interdum applicant studium suum circa subtilia, volentes plectere et texere subtilia; interdum circa nova, more Atheniensium, vacantes ad dicendum nova; interdum circa philosophica, linguam

suam volentes magnificare. Sed boni praedicatoris est magis studere circa utilia, et cum sermonem faciendum recurrendo consideraverit, resecare quicquid minus utile repererit, et solum utilia reservare; exemplo Apostoli qui dicit *Act. 20:* Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis.

Sunt alii qui student ad dicendum multa: multiplicantes modo membra sermonum, modo distinctiones, modo auctoritates, modo rationes, modo exempla, modo verba idem significantia, modo eadem multoties repetentes, modo prolixa prothemata facientes, modo idem verbum multipliciter exponentes: quae valde vitiosa sunt in sermonibus. Sicut enim pluvia mediocris facit ad fructum terrae, sic nimia suffocat. Et sicut cibus mediocris confert sanitatem stomacho, sic nimius subvertit stomachum. Et sicut brevitas officii divini facit ad devotionem, ita nimia prolixitas inducit soporem. Sic ergo praedicatio quae succincta est utilis, ex prolixitate redditur inutilis. Et ideo prudens praedicator et bonus debet studere, non ut dicat multa, sed ut dicat quae dicit sub mensura mediocri. Et cum invenerit se nimia excogitasse, debet sic resecare minus utilia, ut det tritici mensuram famelico: non totum bladum quod potest habere, prout dicitur de bono dispensatore *Luc. 12.*

Sunt alii qui ad persuadendum quod dicunt, utuntur quandoque solis exemplis, quandoque solis auctoritatibus: sed melius est uti quolibet istorum ad aliquid persuadendum, ut quem non movet unum, moveat aliud, quia multi sunt qui plus moventur uno quam alio.

Et cum ista tria concurrunt circa idem, fit funiculus triplex, ligatus cum hamo praedicationis, qui difficile rumpitur a pisce quocumque.

Ex his colligitur, quod bonus praedicator, cum studet ad praedicandum, primo debet studere circa illud quod dicturus est, ut sit utile, sicut qui invitavit aliquos, debet cogitare quod illud quod facit parare eis, sit bonum.

Secundo, ut de utilibus etiam praeparet moderate: nec enim quidquid invenitur in macello praeparari solet hospitibus, quantumcumque delectis, sed de melioribus aliqua moderate.

Tertio, ut illud quod dicturus est persuadeat efficaciter, sicut et cibi parari solent delicate, ut libentius sumantur, et melius incorporentur.

Praeterea sunt alii praedicatores qui student multum ad proponendum thema aliquod extraneum, sicut fecit quidam qui praedicaturus de apostolis Petro et Paulo, proposuit illud *Num. 3:* Filii Merari: Moholi et Musi. Solet autem accidere frequenter quod hujusmodi themata extranea non possunt aptari ad propositum nisi cum magna et incongrua extorsione sententiae, et ideo potius inducunt derisionem quam aedificationem.

Alii vero tantum intendunt ad proponendum thema proprietati diei conveniens, quod neglecta interdum utilitate propter hujusmodi proprietatem, talia proponunt themata quod in ipsis parum aut nihil utile auditoribus continetur. Hujusmodi autem homines potius dicendi sunt cantores ecclesiastici quam praedicatores Christi: cantorum enim Ecclesiae est cantare de proprietate temporis, vel festi, non habito respectu ad sententiam eorum quae cantant, utrum conferat auditoribus, vel non.

Alii vero thema aliquod proponunt ita breve, quod in eo non continetur aliquid, nisi de unica materia, similes illis qui hospitibus non dant nisi unum ferculum.

Alii vero thema proponunt in quo multa continentur: sed sunt illorum aliqua minus utilia, et nihilominus de qualibet particula ibi notata, sive sit utilitatem continens, sive non, faciunt longum sermonem: similes illi qui volens facere cibum de bove, faceret unum ferculum de cornibus, aliud de pelle, aliud de ungulis, et sic de qualibet parte bovis: quod non est coqui prudentis; immo ipsius est relictis partibus minus bonis ad cibum, solum de melioribus partibus bovis cibum parare.

Alii sunt qui thema proponunt in quo multa utilia continentur, sed tantum quandoque immorantur circa primum, vel duo prima, quod de aliis prosequi nihil possunt: similes qnibusdam hominibus rusticanis, qui tantum dant de primo ferculo, et tantum in illo faciunt immorari, quod de aliis, licet forte sint meliora, comedi nihil potest: cujus contrarium fit a viris curialibus. Dant enim de multis,

sed parum de quolibet: et talis comestio magis ab hominibus acceptatur.

Relictis ergo praedictis abusionibus circa thema proponendum, tale thema est cum diligenti studio eligendum quod evidenter proposito conveniat, et utilitatem convenientem auditoribus contineat, nec unicam, sed multiplicem: et si quid forte minus utile continet, illius prosecutioni parum aut nihil intendatur.

Praeterea sunt quidam qui licet non habeant sufficientiam competentem ad faciendum de ingenio suo sermones laudabiles, tamen non dignantur studere in illis quae dicta sunt ab aliis, sed solum volunt illa dicere quae ipsi adinveniunt. Et isti sunt similes illis qui nolunt ministrare panem, nisi quem ipsi confecerunt, quamvis non sint pistores; cujus contrarium invenitur in Evangelio, *Matth. 14*: nam ibi praecepit Dominus per manus discipulorum ministrari panem, non quem ipsi confecerunt, sed per alios jam confectum. Audivi quod Innocentius papa, sub quo celebratum est Concilium Lateranense, vir magnae litteraturae, cum semel praedicaret in festo Magdalenae, habuit juxta se quemdam tenentem homiliam Gregorii de festo illo, et verbo ad verbum dicebat in vulgari quod scriptum erat ibi in latino, quaerens, cum non recordabatur, ab illo qui librum tenebat, sequentia. Cum autem post sermonem quaereretur ab eo quare sic fecisset, cum sufficiens esset ad alia multa dicenda, respondit quod hoc fecerat ad reprehensionem et instructionem illorum qui dicta ab aliis dicere dedignantur.

Alii vero sunt qui in intellectu et ingenio quae habent confidentes, neglectis Sanctorum expositionibus in Scripturis Sacris, suis expositionibus innituntur, secundum illud Hieronymi in *Epist.* ad Paulinum: Dedignantur scire quid Prophetae, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, et ad voluntatem suam trahunt Scripturam repugnantem. Isti sunt similes quibusdam, qui auscultantes campanas, putant eas dicere quidquid cogitant in corde suo. Hieronymus, *ibid.*: Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant.

Alii sunt qui magis student circa verborum ornamentum, quam circa sententias dicendas: similes illis qui magis curant de pulchritudine scutellae, in qua manistrant cibaria, quam de ipsis cibis. Unde

Augustinus in libro *Confessionum 5:* Didiceram sapientiam et stultitiam esse, sicut sunt cibi utiles et inutiles: verbis autem ornatis et inornatis, sicut vasis urbanis et inurbanis, utrosque cibos posse ministrari.

Istis ergo tribus viis circa ista tria exclusis, debet prudens praedicator circa aliorum dicta studere in Sacris Scripturis plus Sanctorum expositionibus quam suis inniti, et in ipsis dicendis plus sententias bonas quam verba amare.

Circa secundum notandum quod artes, quae consistunt in operando, melius addiscuntur ostensione exempli, quam doctrina verbi. Nunquam enim bene posset aliquis in verbis solis edoceri viellare sicut edocetur visu viellationis alterius. Et ideo multum confert ad addiscendum artem praedicandi, cum considerantur modi et varietates praedicatorum bonorum, et etiam aliorum: ut haec intuens, quod in aliquo viderit irreprehensibile, caveat; quod laudabile viderit, conetur imitari.

Hinc est quod, *Jud. 7,* Gedeon, qui est figura boni praedicatoris, dicit: Quod me videritis facere, faciatis.

Circa tertium notandum quod quia conatus humanus ad nihilum est efficax sine Dei adjutorio, praedicator super omnia recurrere debet ad orationem, ut detur ei sermo efficax ad auditorum salutem. Unde Augustinus de *Doct. Christ. lib. 4:* Si regina Ester pro suae gentis temporali salute locutura apud regem oravit, ut in os ejus sermonem congruum Dominus daret: quanto magis orare debet ut tale munus accipiat qui pro aeterna hominum salute in verbo et doctrina laborat?

Ex praedictis colligitur, quod tria sunt signa quae ostendunt officium praedicationis esse difficile.

Item, quod tres sunt causae quare est difficile.

Item, patent tria quae sunt facienda praedicatori propter hujusmodi facultatem.

His praedictis conditionibus de officio praedicationis notatis, patet quantum differt istud officium ab aliis quibusdam.

Alia enim quaedam sunt vilia: sed istud excellentissimum.

Alia quaedam sunt modicum necessaria: sed istud est necessarium toti mundo.

Alia quaedam sunt quae Deo displicent, vel parum placent: sed istud est Deo acceptissimum.

Alia quaedam sunt, in quibus parum lucrantur illa exercentes: sed istud maximum adducit suo executori lucrum.

Alia quaedam sunt quae parum conferunt hominibus: istud vero quamplurimas affert eis utilitates

Denique cum sint alia quaedam facilia: istud, nec mirum cum sit tantum! non sine magna difficultate potest exerceri laudabiliter, sed ad illud exercendum laudabiliter difficultates occurrunt.

SECUNDA PARS

DE IIS QUAE SUNT NECESSARIA PRAEDICATORI

VIII. De vita praedicatoris.

Sequitur de iis quae sunt necessaria praedicatori: horum autem quaedam sunt necessaria praedicatori quoad vitam, quaedam quoad scientiam, quaedam quoad loquelam, quaedam quoad meritum, quaedam quoad personam, quaedam quoad res figurarum.

Circa primum notandum est quod omni praedicatori necessaria est bona vita. Gregorius: Qui verbum Dei loquitur, videat prius qualiter vivat.

Sunt autem plura quae pertinent ad bonam vitam: quae sunt praedicatori necessaria. Unum est sancta conscientia. Pertinet enim ad eum loqui fiducialiter: quod aufert conscientia mala. Gregorius: Subtrahit doctrinae quis fiduciam, cum conscientia praepedit linguam.

Aliud est vitae irreprehensibilitas. Quomodo enim alios potest reprehendere, qui reprehensibilis extitit? Ideo dicitur ad *Phil. 2*: Sine reprehensionibus in medio pravae et perversae nationis, verbum vitae continentes: vos scilicet, qui continetis verbum vitae.

Aliud est vitae austeritas, sicut fuit in Joanne praedicatore poenitentiae. 1 *Cor. 9:* Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.

Aliud est vitae excellentia. Sicut enim praedicans in alto stat, ita debet esse in alto statu vitae. *Is. 40:* Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.

Aliud est vitae luciditas. Non enim sufficit praedicatori ducere bonam vitam, sed debet sic lucere lux ejus coram hominibus, ut non solum verbo, sed et opere praedicet. *Ad Phil. 2:* Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes: vos scilicet, qui continetis verbum vitae.

Aliud est concordia actionum cum verbo. Hieronymus: Non confundant opera tua sermonem tuum; ne, cum loqueris in ecclesia, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo quae dicis, ipse non facis?

Aliud est fama odorifera, ut sit cum Apostolo Christi bonus odor attrahens alios. 1 *Mach. 3:* Nominatus est Judas usque ad novissimum terrae. Quod exponitur, secundum *Glossam,* de praedicatore.

IX. De scientia praedicatoris.

Circa scientiam praedicatoris notandum est quod ad praedicatorem pertinet habere scientiam, cum habeat alios docere. Et ideo dicitur de quibusdam, 1 *Tim. 1,* in eorum reprehensionem: Volentes esse legis doctores, non intelligentes quae loquuntur, nec de quibus affirmant.

Multiplex autem est scientia, quae eis est necessaria. Una est scientia sanctarum Scripturarum. Cum enim omnis praedicatio debeat fieri de sacris Scripturis, juxta illud *Ps. 103:* De medio petrarum, idest duorum testamentorum, dabunt voces; et hoc non possint facere praedicatores nisi hebeant eorum scientiam, necessaria est eis hujusmodi scientia. Et ideo Dominus licet vocaverit simplices ad officium praedicationis, tamen dedit eis scientiam Scripturarum sanctarum, ut patet ex eorum scriptis, in quibus auctoritates veteris testamenti frequenter allegant. Hieronymus: Quidquid aliis exercitatio et quotidiana in lege Dei meditatio tribuere solet, hoc illis Spiritus sanctus suggerebat, et erant, juxta quod scriptum, docibiles Dei.

Alia est scientia creaturarum. Effundit enim Deus sapientiam suam super omnia opera sua: propter quod beatus Antonius dixit creaturas esse librum. Et ex isto libro qui sciunt ibi bene legere, eliciunt multa, quae multum valent ad aedificationem. Hac autem scientia utens Dominus, *Matth. 6,* in praedicatione, dicebat: Considerate volatilia coeli; et iterum: Considerate lilia agri.

Alia est scientia historiarum. Sunt enim multae historiae, non solum apud fideles, sed etiam apud infideles, quae interdum multum valent in praedicatione ad aedificationem: unde et Dominus his utens *Luc. 11,* contra indevotos ad verbum Dei dicebat: Regina austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit eos, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plusquam Salomon hic. Item, contra impoenitentes *ibidem* dicebat: Viri Ninivitae etc.

Alia est scientia mandatorum Ecclesiae; quia circa horum multa instruendi sunt homines. *Act. 15*: Perambulabat Paulus Syriam et Ciliciam confirmans ecclesiam, praecipiens custodire praecepta Apostolorum.

Alia est scientia mysteriorum Ecclesiae, de qua dicit Apostolus: Et si noverim omnia mysteria. Plena est enim Ecclesia figuris mysticis, quae expositae conferunt multum ad aedificationem, et ideo expedit praedicatori ista scire. Et ideo *Eccli. 15:* In medio Ecclesiae aperuit os ejus, idest praedicatoris, et implevit illum Dominus Spiritu sapientiae et intellectus. Spiritus quidem intellectus dicitur quo intelliguntur quae sub figuris latent intus, quia intelligere est quasi intus legere.

Alia est scientia experimentalis. Qui enim multa sunt experti circa statum animarum, plura possunt loqui de pertinentibus ad eas. *Eccli. 34:* Vir expertus in multis cogitabit multa, et enarrabit intellectum.

Alia est scientia discretionis. Haec est enim quae docet quibus non est praedicandum verbum Dei, quia nec canibus, nec porcis; et quibus est praedicandum.

Item, quando est praedicandum, et quando non: quia tempus tacendi, tempus loquendi. *Eccle. 3.*

Item, quid, cui, sicut docet Gregorius in *Pastorali,* ponens circa hoc triginta sex varietates.

Item, ponit modum circa prolixitatem, et circa clamorem, et circa gestus inhonestos, et circa inordinationem dicendorum, et alia hujusmodi, quae in praedicatione minus bene fiunt. Et ideo praedicatori competit discretio. Gregorius in illud: Planta pedis eorum planta pedis vituli, *Ezech. 1,* ait: In sanctis praedicatoribus planta pedis est vituli, scilicet mature incedens, et fortis, et divisa, quia unusquisque praedicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulae in discretione.

Denique scientia Spiritus Sancti; et haec est quae fuit in primitivis Apostolis, quae eos docuit omnia, et secundum ejus doctrinam loquebantur. *Act. 2:* Loquebantur variis linguis Apostoli, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Et felix qui hanc scientiam haberet: haec est enim quae supplet imperfectionem omnium aliarum!

X. De loquela praedicatoris.

Circa loquelam ejus notandum est quod debet habere competentem eloquentiam, ne ex linguae impedimento reddatur inintelligibilis. Unde cum Moyses excusaret se apud Dominum de linguae impedimento, datus est ei frater suus Aaron, vir eloquens, ad loquendum pro eo populo. Unde, *Exod. 4,* dixit Dominus ad Moysen: Aaron frater tuus Levites scio quod eloquens sit. Et *post:* Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu autem eris ei in his quae ad Deum pertinent.

Item, copiam verborum. Si enim propter praedicationem primitivis praedicatoribus data sunt genera linguarum, ut abundarent verbis ad omnes, quam indecens est cum praedicator habet interdum defectum in verbis, vel propter defectum memoriae, vel propter defectum latinitatis, vel propter defectum vulgaris loquutionis, et hujusmodi? Et ideo dicitur e diverso, *Apoc. 1:* Et vox ejus, scilicet Christi, tanquam vox aquarum multarum: quia praedicator, qui est vox Christi, debet abundare in verbis.

Item, sonoritatem in voce. Multum enim perit de fructu sermonis, cum praedicator propter vocis debilitatem non potest clare audiri. Ideo frequenter in Scriptura sacra vox praedicatoris voci

tubae comparatur, quia potenter debet resonare, et clare ad modum tubae. *Os. 8*: In gutture tuo sit tuba; quod dicitur praedicatori.

Item, facilem modum loquendi, ut lucide intelligatur. Quia, sicut dicit Augustinus *De Doct. Christ.*, qui vix intelliguntur, vel raro, si necessitas urget, vel nunquam etiam omnino in populi audientia mittendi sunt. Ideo ad innuendum hoc dicitur *Prov. 1*: Doctrina prudentis facilis est.

Item, mediocritatem in pronuntiando, ut non nimis celeriter, nec nimis morose pronuntiet. Praecipitatio enim obruit intellectum, morositas generat fastidium. Ideo dicit Seneca in *Epist.*: Philosophi pronunciatio, sicut et vita, debet esse composita. Nihil ordinatum est, quod praecipitatur et properat. Ex aequo illum stillare volo ut currere. Non extundat aures, nec obruat. Si autem hoc in philosopho propter mundanam laudem requiritur, quanto magis in praedicatore propter animarum utilitatem?

Item, debet habere loquelam succinctam. Unde Horatius:

> Quicquid praecipies, esto brevis, ut citò dicta
> Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Et ideo dicitur *Cant. 4*: Sicut vitta coccinea labia tua. Quod exponit *Glossa* de praedicatoribus, qui sunt labia Ecclesiae. Sicut igitur vitta restringit superfluitatem capillorum, ita et labia ista cavere debent a superflua prolixitate verborum.

Item, simplicitatem sine curiositate ornatus rhetorici, ut exemplo Sangarum percutiat vomere. Augustinus, *De Doct. Christ. lib. 4*: Cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum numerus additur, pondus detrahatur. Et vocat hic numerum proportionem syllabarum, et metros, et colores rhetoricos. Quid autem mirum si hoc dicunt Sancti, cum hoc sentiant Philosophi. Seneca in *Epist.*: Oratio quae veritati dat operam, incomposita esse debet et simplex. Aliae artes ad ingenium pertinent: hic negotium animarum agitur. Non quaerit aeger medicum eloquentem. Quod si ille qui sanare potest compte de iis quae facienda sunt disserat, hoc tale est quale si peritus gubernator et formosus sit.

Item, prudentiam in loquendo diversa diversis. Gregorius, in *Re-*

gist. lib. 7: Lingua nostra bonis sonitus sit, pravis aculeus; timidos retundat, et iratos mitiget; pigros exacuat, desides hortatu succendat; refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur. Et hoc est quod dicit Isaias, *Is. 50:* Dominus dedit mihi linguam eruditam.

Item, quia omnia ista parum prosunt sine gratia labiorum, juxta illud *Eccli. 20:* Homo acharis quasi fabula vana, super omnia necessaria est gratia praedicatori in loquendo, quae omnia condit, juxta illud quod dicitur de summo praedicatore, in *Ps. 44:* Diffusa est gratia in labiis tuis.

XI. De merito praedicatoris.

Circa meritum praedicatoris notandum quod ultra meritum bonorum operum, multum accrescit praedicatori ad meritum ex praedicationis opere, dummodo laudabiliter illud fiat, juxta illud *Matth. 5:* Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.

Sed sunt multa quae meritum illud aut annihilant, aut minuunt. Unum est quando aliquis praedicat sine auctoritate. Ad *Rom. 10:* Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?

Aliud est quando praedicans est in notorio crimine. *Ps. 49:* Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitiam meam, et assumis testamentum meum per os tuum? Quod intelligitur de notorio peccatore.

Aliud est quando in praedicatione declinatur a veritate, quacumque de causa, sicut faciebant illi de quibus dicitur *Ezech. 13:* Violabant me: qui scilicet sum veritas; ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis: ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt: mentientes populo meo credenti mendaciis. Augustinus, *De Doct. Christ. lib. 3:* Minus intelligantur, minus placeant, minus moveant: vera tamen dicantur et justa.

Aliud est, quando praedicator non facit quod dicit, ut concordet opus cum voce. *Glossa,* super illud *Prov. 3:* Circumda eas gutturi tuo: Quod ad bene vivendum alios excitat praedicator, eo ad bene vivendum se ligat. Et ideo dicitur ad *Rom. 20:* Qui alium doces, te ipsum non doces? Qui praedicas non furandum, furaris?

Aliud est quando fructus temporalis praefertur spirituali, contra

Apostoli formam, qui non quaerebat datum, sed fructum. *Philip. 4:* Nec quaerebat bona illorum, quibus praedicabat, sed ipsos; 2 *Cor. 12.* Gregorius autem in *Moralibus, lib. 10:* A bonis praedicatoribus non causa victus praedicatio impenditur, sed causa praedicationis victus accipitur: et quoties praedicantibus ab auditoribus necessaria conferuntur, non solum de rerum munere, sed de conferentium gaudent mercede.

Aliud est quando non ea quae Dei sunt, sed quae sua quaerit praedicator, videlicet nomen vel gloriam, contra formam Apostoli 2 *Cor. 4,* praedicans semetipsum, non Dominum Jesum Christum. Gregorius, super *Ezech.:* De praedicationis labore laudem transitoriam quaerere, quid aliud est quam rem magnam vili pretio venundare?

Aliud est quando in depressione aliorum Christus praedicatur, et non ex bona voluntate. *Philip. 1:* Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant.

Aliud est quando praedicator per asperum modum loquendi scandalizat. *Prov. 15:* Lingua placabilis lignum vitae; quia scilicet fert fructum bonum: quae autem immoderata est, conteret spiritum, scilicet auditoris.

Aliud est quando per indiscretionem sic invehitur praedicator contra unum vitium, quod dat occasionem alterius. Ideo dicit Gregorius, in *Pastorali, part. 3:* E diverso sic superbis praedicetur humilitas, ut tamen timidis non augeatur metus; sic timidis infundatur auctoritas, ut tamen superbis non augeatur effraenatio; sic otiosis praedicetur sollicitudo boni operis, ut tamen inquietis immoderate non augeatur licentia actionis; sic inquietis ponatur modus, ut tamen otiosis non fiat torpor securus; sic ab impatientibus extinguatur ira, ut tamen remissis ac levibus non crescat negligentia; sic lenes accendantur ad zelum, ut tamen iracundis non augeatur incendium; sic tenacibus persuadeatur distribuendi largitas, ut tamen prodigis fraena non laxentur; sic prodigis praedicetur liberalitas, ut tamen tenacibus peritura rerum custodia non augeatur; sic incontinentibus laudetur conjugium, ut tamen jam continentes non revocentur ad luxuriam; sic incontinentibus laudetur virginitas corporis, ut tamen

in conjugibus despecta non sit foecunditas carnis; sic praedicanda sunt bona opera, ne ex latere jubeantur et mala; sic laudanda sunt bona summa, ne despiciantur ultima; sic nutrienda sunt ultima, ne dum creduntur sufficere, nequaquam tendatur ad summa.

Aliud est quando praedicatorem non praecedunt signa poenitentiae. Hieronymus super *Michaeam:* An non confusionis et ignominiae est Jesum magistrum pauperem ac esurientem fartis praedicare corporibus? et jejuniorum doctrinam rubenti vita, tumentique ore proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed et conversationem quoque et abstinentiam.

Aliud est cum ad praedicationem non movet charitas. 1 *Cor. 13:* Si linguis hominum loquar et angelorum, etc.; quod scilicet aliis prodest, sed seipsum consumit.

Ut ergo praedicatio non solum prosit auditoribus, sed et ipsi praedicatori sit meritoria, cavendum est praedicatori ne sine auctoritate praedicet, et non sit in crimine notorio, et ne declinet a veritate, et ne discordet actio sua a voce, et ne temporalia quaerat plusquam spiritualia, et non quaerat quae sua sunt, sed quae Dei, et ne in depressione aliorum praedicet, et ne verbis stultis scandalizet auditores, et ne det occasionem alicujus mali, et ne careat signis poenitentiae, et ne motus ejus ad praedicandum sit sine charitate.

XII. De persona praedicatoris.

Circa personam est notandum quod debet esse sexus virilis. 1 *Tim. 2:* Mulierem docere non permitto.

Hujus autem ratio est quadruplex.

Prima est defectus sensus, de quo non praesumitur in muliere tantum sicut in viro.

Secunda est conditio subjectionis quae inflicta est ei: praedicator autem tenet locum excellentem.

Tertia est, quia si praedicaret, aspectu suo provocaret ad luxuriam, sicut dicit *Glossa* hic.

Quarta in memoriam stultitiae primae mulieris, de qua Bernardus: Semel docuit, et totum mundum subvertit.

Item, non debet habere aliquam, nec multum notabilem, et apparentem deformitatem corporalem: sicut enim hujusmodi corpore vitiati removentur a ministerio Domini, ut patet *Lev. 12;* ita et Ec-

clesia removit hujusmodi a solemnibus officiis, propter derisionem et scandalum populare. *Dist. 55: Si Evang. 7, q. 1: Cum percussio.*

Item, expedit eum habere vires corporales, ut possit vigilias in studendo, clamorem in praedicando, labores in discurrendo, penuriam in indigentiis, et hujusmodi multa sustinere, sicut fecerunt Apostoli. *Ps. 91:* Bene patientes erunt ut annuntient; idest bene potentes ad sustinendum ut annuntient.

Item, debet habere aetatem competentem. Gregorius in *Pastorali, part. 3:* Redemptor noster cum in coelis sit conditor, et ostensione suae potentiae semper doctor Angelorum, ante tricennale tempus in terra fieri noluit magister hominum: ut videlicet praecipitatis vim saluberrimam timoris infunderet, cum ipse etiam qui labi non posset, perfectae vitae gratiam non nisi perfecta aetate praedicaret.

Item, debet habere aliquam praerogativam super alios, vel in officio, vel in litteratura, vel in religione, et hujusmodi: nisi forte praedicet interdum inter majores ad exercitium. Unde laici non est praedicare, quia est in statu infimo. *Is. 52:* Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis: per quod innuitur quod praedicator debet habere aliquam altitudinem.

Item, non debet esse persona contemptibilis, ne ex hoc praedicatio ejus contemnatur. Gregorius: Cujus vita despicitur, restat ut ejus praedicatio contemnatur.

XIII De figuris praedicatorum.

Circa figuras praedicatorum est notandum quod in divinis Scripturis sunt quasi innumerabilia per quae praedicatores significantur, sicut patet in *Glossa.* Quod ideo scriptum est ut ex hoc intelligant quid sit eis faciendum, et faciant fructum aptum iuxta species suas, hoc est secundum similitudines suas.

Dicitur *Jerem. 15:* Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Glossa:* Si separaveris, scilicet manibus tuis: hoc autem facit praedicator. Unde patet quod ipse est quasi os Domini.

Item, dicitur *Job. 29:* Lux vultus mei non cadebat in terram. *Glossa:* Lux vultus Domini non cadit in terram, quia Ecclesia clara mysteria terrenis non praedicat. Ex quo patet quod praedicator dicitur vultus Domini.

Item, dicitur *Is. 60:* Locum pedum meorum glorificabo. *Glossa:*

Praedicatores dicuntur pedes Domini. Cum ergo praedicatores dicuntur os Domini, et vultus Domini, et pedes Domini, valde cavendum est eis ne ex ore eorum procedat aliquid quod non deceat os Domini, et ne aliquid in eis appareat quod non deceat vultum divinum, et ut quocumque iverint deferant Deum, sicut pedes deferunt illud cuius sunt.

Item, praedicatores dicuntur Angeli. *Apoc. 8:* Septem Angeli preparaverunt se ut canerent tuba. *Glossa:* Universitas praedicatorum. Proinde providendum est praedicatori cuilibet ne sit in eo aliquid daemoniacum, vel bestiale: immo etiam supra communitatem humanae naturae sic se habeat sicut pertinet ad Angelum.

Item, dicuntur modo oculi, modo dentes, modo collum, modo ubera Ecclesiae, et huiusmodi, sicut patet *Cantic. 4:* et hoc propter diversos actus qui eis competunt. Unde *Glossa,* super illud: Duo ubera: *Eodem loco* praedicatores dicuntur oculi, quia oculi perspiciunt; dentes, quia improbos corripiunt, et in ventrem Ecclesiae trahunt; collum, quia vitalem statum aeterna gaudia praedicando, et cibos doctrinae ministrant; ubera, quia lac parvulis in Christo ministrant.

Item, dicuntur coeli. *Job. 26:* Spiritus eius ornavit coelos. *Glossa:* Idest praedicatores. Et ideo curandum est praedicatori ut ipse tamquam coelum resplendeat diversis virtutum ornatibus.

Dicuntur etiam stellae. *Job. 9:* Stellas claudit. *Glossa:* Idest praedicatores. Et debent sicut stellae in nocte huius mundi lucere super terram.

Dicuntur etiam januae coeli. *Ps. 77:* Januas coeli aperuit. *Glossa:* Januae coeli sunt praedicatores. Et ideo debent videre quod per eos homines intrent coelum, et per eos coelestia veniant in mundum.

Item, dicuntur nubes, quia ad modum nubium debent discurrere per totum mundum. *Job. 37:* Nubes cuncta lustrant per circuitum. *Glossa:* Nubes Dei cuncta lustrant per circuitum, quia praedicatores luce mundi fines illuminant.

Dicuntur etiam nives. *Eodem:* Qui praecipit nivi ut descendat super terram. *Glossa:* Aquae ductae in superiora constipantur, ut nives fiant: sed cum nives ad terram veniunt, in aquarum iterum liquorem mutantur. Nives igitur de coelestibus ad terram veniunt,

cum sublimia corda sanctorum, quae jam solida contemplatione pascuntur, pro fraterna charitate ad humilia praedicationis verba descendunt.

Dicuntur etiam tonitrua. *Apoc. 10:* Cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas. *Glossa:* Tonitrua, idest praedicatores. Dicuntur autem tonitrua, quia terrorem divinum debent incutere. Unde Gregorius, super illud *Job. 38:* Et viam sonantis tonitrui: Per tonitruum praedicatio superni terroris accipitur, quem dum percipiunt humana corda quatiuntur.

Item, dicuntur lapides pretiosi. 3 *Reg. 5:* Praecepit rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi. *Glossa:* Supposíti ordines lapidum doctores sunt, quorum praedicatione crescit Ecclesia, et ornatur virtutibus.

Dicuntur etiam montes, quia sicut montes beneficia coeli, quae primo recipiunt, deinde mittunt ad inferiora; ita et illi. *Ps. 7:* Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam. *Glossa*: Montes, idest praedicatores.

Dicuntur etiam fontes, quia ad modum fontium emanant. *Ps. 73:* Dirupisti fontes. *Glossa:* Fontes, idest praedicatores, ut emanarent liquorem sapientiae.

Item, dicuntur aquila, quia sicut aquila volat ad cadavera, ita et ipsi ad mortuos in peccatis. *Job. 39:* Ubicumque cadaver, ibi statim adest aquila. *Glossa*: Sanctus praedicator ubi peccatores considerat esse, illuc anxie provolat, ut in peccati morte iacentibus lucem vivificationis ostendat.

Dicuntur etiam gallus. *Job. 38:* Quis dedit gallo intelligentiam? *Glossa:* Galli sunt praedicatores, qui inter tenebras praesentis vitae student venturam lucem, praedicando, quasi cantando, nuntiare.

Dicuntur etiam corvus, propter quasdam proprietates bonas. *Job. 39:* Quis praeparat corvo escam suam, quando pulli eius ad Deum clamant. *Glossa:* Corvus est praedicator, a quo vagientes in nido pulli aperto ore cibum expectant. Pro hac discretione largior copia ipsi corvo a Deo datur: non solum enim pro se, sed etiam pro eis quos nutrit, maiora percipit.

Iterum dicuntur canes. *Is. 56.* Canes muti non valentes latrare.

Glossa: Latrare, idest praedicare. Praedicator igitur dicitur canis, et ideo sicut canis famelicus debet circuire huc et illuc, ut animas transglutiat in corpus Ecclesiae, juxta illud *Ps. 58*: Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.

Dicuntur etiam equus. *Job. 39*: Numquid praebebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? *Glossa*: Hic equi nomine sanctus praedicator accipitur. Nam praedicator ante fortitudinem accipit vitia in se extinguendo; et pro audiendis aliis ad vocem praedicationis venit.

Dicuntur etiam boves. *Job. 3*: Mille iuga boum. *Glossa*: Boves, praedicatores. Et ideo debent fortiter agros excolere ad fructum, ut appareat eorum fortitudo, iuxta illud *Prov. 14*: Ubi non sunt boves, praesepe vacuum est; ubi autem plurimae segetes, ibi manifesta est boum fortitudo.

Item, isti sunt signiferi in exercitu Regis coelestis, portantes eius vexillum. *Is. 63*. Levate signum ad populum. *Glossa*: Levate praedicando signum crucis, scilicet passionem, et resurrectionem annuntiando.

Sunt etiam nuntii illius Assueri, qui est beatitudo nostra, epistolas ejus et mandata per universas provincias deferentes. *Esth. 1*: Misit rex Assuerus epistolas per universas provincias regni sui. *Glossa*: Misit per praedicatores monitiones et correctiones.

Sunt etiam fortes viri David per quos fortia operabatur in mundo. *Is. 13*: Vocavi fortes meos in ira mea. *Glossa*: Ut Paulum. Et *post*: Dominus exercituum praecipit militiae belli. *Glossa*: Praedicatoribus instructis armatura Apostoli, ut omnes interficiant erigentes se adversus scientiam Dei.

Sunt iterum praefecti veri Salomonis de dapibus in eius mensa providentes sollicite. 3 *Reg. 4*: Praefecti necessaria mensae Salomonis cum ingenti cura praebebant in tempore suo. *Glossa*: Ne quid desit in domo regis, ordo praedicatorum distribuendo et loquendo laborat, ut in mensa Domini abundet unde nutriantur fideles.

Sunt etiam caementarii, qui cum Esdra dant operam ad templum Dei viventis reparandum. *Esd. 4*: Dederunt pecunias latomis et caementariis. *Glossa*: Caementarii sunt praedicatores, qui dum eos

quos bonis operibus instruunt, copula charitatis nectunt, quasi quadratos politosque lapides, ne ordinem compositionis deserant, caementi infusione coniungunt.

Sunt etiam speculatores domus Israel, idest Ecclesiae, ut ei annuntient quae praevident. *Ezech. 2:* Fili hominis, speculutorem dedi te domui Israël. *Glossa:* Praedicatorem speculatorem vocat, qui stare debet in alto per vitam, ut prodesse possit per providentiam.

Et nota quod figurae supradictae distinguuntur per novem paragraphos, quorum primus pertinet ad Deum, secundus ad Angelos, tertius ad Ecclesiam, quartus ad coelestia, quintus ad aërea, sextus ad terrestria, septimus ad volatilia, octavus ad animalia terrestria, nonus ad officia humana. Et felix praedicator qui figuras horum praedicatori competentes in se compleverit!

TERTIA PARS

DE MODO ACCEDENDI AD HOC OFFICIUM

Sequitur de modo accedendi ad hoc officium. Circa quod duo sunt dicenda: primo de reprehensilibus circa hoc; secundo de malis quae sequuntur ex hoc.

Primo ergo notandum quod accessio ad hoc officium potest esse reprehensibilis, vel ex eo personae defectu, vel ex inordinato appetitu, vel ex ingessione impudenti.

XIV. De reprehensibilibus circa accessum ad officium praedicationis.

Circa primum notandum quod quidam interdum volunt esse praedicatores antequam plene sint a vitiis purgati, innitentes exemplo Isaiae, *Is. 6.*, qui dixit Domino: Ecce ego, mitte me! Sed non attendunt quod praecedit de purificatione eius. Gregorius in *Pastorali, part. 1:* Is qui mitti voluit, prius per altaris calculum se purgatum vidit, ne non purgatus quisque adire sacra ministeria audeat.

Alii sunt qui si forte purgati sint, tamen nondum receperunt plenitudinem illorum bonorum coelestium in se, quae necessaria est antequam aliis infundant. Bernardus: Tantae charitatis sunt nonnulli per quos fluenta coelestia manant, ut ante effundere quam infundi velint. Quo contra dicit idem *Serm. 18 super cant.*: Si sapis, concham te exhibe, non canalem. Quae pene simul et recipit et refundit: illa vero donec impleatur expectat, et sic quod superabundat sine suo damno communicat. Porro ista plenitudo, secundum Lucam, est plenitudo Spiritus Sancti; unde *Act. 2*: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui. Secundum Paulum vero est plenitudo scientiae et dilectionis; unde *Rom. 15*: Pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Secundum Bernardum est plenitudo plurium bonorum magis expressorum; unde idem: Ecce quanta prius infundenda sunt, ut effundere audeamus. Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio poenitentiae labor, quarto pietatis opera, quinto orationis studium, sexto contemplationis otium, septimo plenitudo dilectionis.

Alii sunt qui licet habeant multa bona, tamen nondum roborati virtute ex alto, sed adhuc habentes tenebras et infirmas virtutes, aggrediuntur hoc officium, et ideo dum alios iuvare volunt, frequenter in se deficiunt. Legitur in *Vitis Patrum* quod cum sanctus Apollonius ingressus in eremum in anno quinto decimo, et ibidem per quadraginta annos conversatus fuisset in exercitiis spiritualibus, facta est ad eum vox dicens: Apolloni, per te perdam sapientiam sapientium in Aegypto; perge ergo nunc ad loca habitabilia: generabis enim mihi populum perfectum. At ille ad hoc expavescens dixit: Aufer a me Domine spiritum iactantiae: ne forte elatus super fratres meos, cadam ab omnibus bonis tuis. Et rursus vox ad eum: Mitte manum tuam ad cervices tuas, et quod apprehenderis costringe, et sub arena obrue. Quo facto apprehendit quasi parvum quemdam Æthiopem, et continuo demersit eum sub arena, clamantem et dicentem: Ego sum superbiae daemon. Post haec autem facta est ad eum vox dicens: Perge nunc. Et tunc perrexit ad praedicandum. In quo considerandum est quantum timendum sit infirmis praedicationis officium, si vir tam perfectus, et tanto tempore in omni sanctitate pro-

batus sic illud expavit. Ideo dicit Bernard. *Serm. 18, super cant.*, ambienti praedicationem: Tu, frater, cui nondum satis firma est propria salus, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeo tenera et arundinea, ut omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinae: immo cui tanta est charitas ut ultra mandatum diligas proximum tuum plus quam te ipsum; et rursus tantilla, ut quae mandati fervore liquescit, pudore deficiat, conturbetur tristitia, avaritia contrahatur, protrahatur ambitione, suspicionibus inquietetur, convitiis exagitetur, curis evisceretur, honoribus tumeat, livore tabescat: tu ita te in propriis sentiens, qua, quaeso, dementia aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Ex his ergo patet quod non purgato, vel bene dotato, et in donis non bene confirmato, non est accedendum ad hoc officium.

Circa secundum notandum est quod quidam considerantes quod officium praedicationis est quiddam valde excellens, ex quadam ambitione anhelant ad huiusmodi excellentiam. Gregorius, in *Pastorali:* Doctores videri appetunt, transcendere caeteros concupiscunt, primas cathedras quaerunt. Non recogitant isti quod diabolus Dominum assumpsit super pinnaculum templi; ubi, sicut dicit *Glossa,* erant sedes doctorum, de quibus loquebantur populo, quia plana erant desuper tecta: ubi multos cepit vana gloria magisterii honore inflatos. Contra hos dicitur, *Jacob. 3:* Nolite plures magistri fieri, fratres mei. Et loquitur, secundum *Glossam,* de magisterio praedicationis.

Alii sunt qui hoc officium, quod ad salutem proximi est ordinatum, retorquent ad finem vanae gloriae, vel cupiditatis terrenae; contra quos dicit Bernardus: Vae! Qui bene de Deo et sentire et eloqui acceperunt, si quaestum aestimant pietatem, si convertunt ad inanem gloriam, quod ad Dei lucra susceperant erogandum.

Alii sunt qui ex aemulatione non bona ita volunt praedicare ut alii, quamvis interdum non acceperint similem aliis gratiam ad hoc officium. Isti sunt similes Eliud, qui volens aequiparari aliis amicis Job, viris magnis, *Job. 32,* dicit: Et ego ponam potestatem meam, et ostendam scientiam meam. Sed dicit Apostolus, 1 *Cor. 12:* Numquid omnes apostoli? *Glossa:* Vice Domini praedicantis. Quasi diceret: Non est omnibus ista gratia data: et ideo non est pro illa aemulandum.

Sic ergo patet quod appetitus huius officii potest esse culpabilis vel ex ambitione, vel ex fine perverso, vel ex aemulatione non bona: quamvis ipsum officium in se sit laudabile. Unde super illo verbo: Primas cathedras, *Matth. 23,* dicit *Glossa:* Primos magistros sedere non vetat: sed illos arguit qui haec habita, vel non habita indebite appetunt.

Circa tertium notandum quod sunt quidam, qui quando ponitur eis praedicationis officium, inveniuntur ad hoc prompti. In quorum persona loquitur Bernardus dicens: Parum scio! Immo quod est scire videor, et tacere non possum, promptulus ad loquendum, promptulus ad docendum. Quo contra dicit Gregorius de Jeremia in *Pastorali, part. 1:* Jeremias mittitur, et tamen ne mittatur humiliter reluctatur, dicens: A, a, a, Domine Deus! Ecce nescio loqui; quia puer ego sum.

Alii sunt qui non sunt solum ad hoc prompti, immo procurant per se vel per alios, directe vel indirecte, hoc sibi imponi. Quo contra est illud Moysis, qui se ab hoc absolvi, et alii imponi rogavit, dicens, *Exod. 4:* Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. Et tantum institit quod verba Dei committi Aaron impetravit. Mira res! Iste tantus a Deo electus, et inductus ad verbum suum proponendum, hoc alii procurat imponi: et homo modici valoris hoc procurat sibi committi!

Alii sunt qui indigne ferunt cum sibi non imponitur, et turbantur. In quorum persona verificatur illud *Job. 32:* Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Quod quidem impletur in istis: quia propter magnam voluntatem praedicandi quam habent, cum eam non assequuntur, turbantur interius sicut mustum in laguncula, et interdum usque ad impatientiam exteriorem fracta laguncula. Verum quia, sicut dicit Gregorius in *Pastorali,* praedicationis officium tutius declinatur quam exercetur, viri sancti et humiles nec ad hoc officium sunt proni, et alios in hoc sibi praeponunt, et cum omni patientia ipso carent, licet ad hoc ab alio pertrahantur interdum, quod est interdum laudabile, secundum Gregorium dicentem in *Pastorali, part. 1:* Ad officium praedicationis nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur.

Patet ex praedictis quod ut ad hoc officium modo debito accedatur, debet esse sufficentia in persona, finis bonus in intentione, in assumendo obedientiae tractus.

XV. De malis quae sequuntur ex accessu intempestivo ad officium praedicationis.

Secundo notandum est quod ex accessu intempestivo, ad hoc officium ante tempus sequuntur tria mala.

Primum est impedimentum fructus in aliis in tempore debito, sicut accidit in pueris qui ante tempus vacant generationi: ex hoc enim, sicut enarratur, tempore suo minus potentes sunt ad fructum generationis. Gregorius in *Pastorali, part. 3:* Admonendi sunt quos ad praedicationis officium vel imperfectio, vel aetas prohibet, et tamen praecipitatio impellit, ne dum tanti onus officii sibi praecipitanter arrogant, viam subsequentem meliorationis abscindant, et dum intempestive arripiunt quod non valent, perdant quod quandoque tempestive potuissent.

Secundum est impedimentum proprii profectus. Qui enim antequam vires habeat competentes eas exercere conatur, inde fit semper debilior. Et ideo dixit quidam in *Vitis Patrum:* Noli docere ante tempus, alioquin omnibus diebus vitae tuae minoraberis in intellectu.

Tertium est periculum, sive impedimentum ruinae. Gregorius in *Pastorali, part. 3:* Admonendi sunt quos ad officium praedicationis praecepitatio impellit, ut considerent quod pulli avium si ante perfectionem pennarum volare appetunt, unde in alta ire cupiunt, inde in ima demerguntur. Admonendi sunt ut considerent in structuris recentibus nondum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt ut considerent quod conceptas soboles foeminae, si prius quam plene formentur proferunt, nequaquam domos, sed tumulos replent.

Quia igitur tot mala sequuntur ex hujusmodi festinatione, dicit Sapiens, *Eccli. 20:* Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem et imprudens non servabit tempus. Propter hoc etiam comminatur propheta, *Is. 18*, dicens: Immatura perfectio germinavit, et praescinduntur ramusculi ejus falcibus; et quae derelicta fuerint, abscindentur, excutienter, et relinquentur simul avibus montium et bestiis terrae, et aestate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiae terrae super eum hyemabunt. Propter hoc mandat iterum

Dominus praedicatoribus suis, *Luc. ult.*: Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Gregorius in *Pastorali, loc. cit.*: In civitate quippe sedemus si intra mentium nostrarum claustra constringamur, ne loquendo exterius evagemur: ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras alios instruentes exeamus.

QUARTA PARS

DE EXECUTIONE HUIUS OFFICII

Circa exequutionem praedicationis dicendum primo de causis specialiter reprehensibilibus, cur aliqui non praedicant; secundo de causis frivolis quae quosdam retrahunt a praedicatione; tertio de indiscreta exequutione praedicationis quorumdam; quarto de his quae conferunt ad hoc laudabiliter exequendum; quinto de his in quibus consistit haec laudabilis exequutio; sexto de causis quare libenter est istud officium exequendum ab habentibus gratiam in hoc.

XVI. De causis reprehensibilibus cur quidam non praedicant.

Circa primum notandum est quod reprehensibile est in praelato cum non praedicat. Hoc ipso enim quod est praelatus, ad hoc tenetur. *Exod. 28:* Audiatur sonitus Aaron, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. Gregorius in *Pastorali, part. 2:* Sacerdos ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu praedicationis incedit. Et loquitur de sacerdote curato.

Item, in bene dotato. Bernardus: Rem profecto proximi retines tibi, si scientiae et eloquentiae donis pollens, verbum quod posset prodesse multis, inutili, immo damnabili, ligas silentio.

Item, in habente mandatum. *Ezech. 3:* Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaveris ei, ut avertatur a via sua

impia, et vivat; ipse quidem in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

Item, reprehensibile est cum homines sunt parati audire. Unde super illo verbo *Matth. 5:* Videns Jesus turbas ascendit in montem, dicit Chrysostomus quod Dominus videns populum paratum provocatus est ad officium suum, scilicet praedicationis: sicut piscator viso loco piscatorio provocatur ad piscandum. Cujusmodi ergo piscator est qui videt bonam piscationem, et non curat?

Item, cum populus non solum est paratus, sed etiam petit. *Thren. 4,* dicitur cum lamento: Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Gregorius: Qua poena plectendi sunt considerent qui cum fame verbi animae pereant, ipsis panem perceptae gratiae non ministrant!

Item, cum non solum petit verbum, sed est necessitas in auditoribus. Gregorius: Quo reatu costringuntur aspicias qui dum peccantibus fratribus verbum praedicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitae remedia abscondunt.

Item, cum speratur de fructu verbi. Ideo dicitur, *Eccli. 4:* Ne retineas verbum in tempore salutis.

Item, cum recipiuntur carnalia stipendia. Sicut enim seminanti spiritualia debentur carnalia: ita recipiens carnalia, ex hoc plus obligatur ad seminandum spiritualia. Ideo dicitur, *Job. 31:* Si comedi fructus eius absque pecunia. Gregorius: Fructus terrae absque pecucunia comedere est ex ecclesia sumptus accipere, sed eidem praedicationis pecuniam non praebere.

Item, cum non est alius qui praedicet. Gravior est enim ommissio praedicationis, cum non est alius qui suppleat, quam quando per alium suppletur: sic enim de eleemosyna contingit, quando a nullo datur. Ideo dicitur *Is. 41:* Egeni et pauperes quaerunt aquas, scilicet doctrinae, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos: Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in summis collibus flumina, et in medio camporum fontes. Quasi diceret: Quia non est alius qui faciat, ego faciam. Et sic faciendum omni praedicatori est cum quo est Deus.

XVII. De causis frivolis retranentibus a praedicatione.

Circa causas frivolas retractivas a praedicatione est notandum quod sunt quidam quos a praedicatione quaedam ficta diffidentia retrahit, cum se non reputant habere sufficientiam ad hoc competentem, licet habeant. Contra quos *Prov. 24:* Erue eos qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Quod si dixeris: Vires non suppetunt, qui Inspector est cordis ipse intelligit, et servatorem animae tuae nihil fallit. Et exponuntur, secundum *Glossam*, ista de praedicatore.

Alii sunt quos retrahit quaedam falsa humilitas, cum se tanti officii reputant indignos. Sed ostenditur eorum humilitas esse falsa, cum in hoc renuunt obedire. Unde Gregorius in *Pastorali, part. 1*: de talibus ait: Intuendum est quod is qui recusavit, plene non restitit, caveat tamen ne quem superna gloria elegit sub humilitatis specie superbe contradicat.

Alii sunt qui amore quietis contemplativae retrahuntur. Contra quos Gregorius in *Pastorali, part. 1:* Sunt nonnulli qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in praedicatione refugiunt. Secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.

Alii sunt qui timore peccatorum quorumdam, quae inevitabiliter contrahuntur, ab activa praedicationis retrahuntur. Sed contra hos est quod dicitur, *Eccli. 42:* Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens. Quod exponens Bernardus, vocat iniquitatem viri quamdam iniquitatem vitae quae annexa est praedicationi; mulierem vero benefacientem vocat munditiam animae quiescentis in vita contemplativa. Et bene hoc illo melius dicitur, idest utilius. Nonnumquam enim est melius ut homines laborent, licet in labore puluerem contrahant, quam quod semper domi cum omni munditia resideant.

Alii sunt quos retrahit quaedam praeparatio nimis morosa ad hoc officium. Ponunt enim multum temporis in colligendo quae debeant praedicare, et expectant quamdam perfectionem ad hoc idoneam, quam forte nunquam assequentur. Interim autem amici dormiunt, et ignis accenditur in domo, et hostes irruunt, et ipsi eos

evigilare differunt. Contra quod *Prov. 6:* Discurre, festina, suscita amicum. Quod exponitur, secundum *Glossam*, de praedicatore.

Alii sunt quos retrahit pusillanimitas, quam habent ad hoc officium peragendum. Sed confortat eos Dominus per Isaiam, *Is. 35*, dicens: Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere. Et exponitur secundum *Glossam* de praedicatoribus.

Alii sunt quos retrahit pigritia providendi sermonem, circa quem oportet esse sollicitum, et multum laborare frequenter. Hanc autem pigritiam excitans Paulus in discipulo dicebat, 2 *Tim. 4:* Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae. Quasi diceret: Propter vigilias et labores, quos requirit evangelizatio, non retraharis ab evangelizatione: sed ita sustine ut illud possis facere.

Alii sunt quos retrahit penuria quam oportet sustinere in prosecutione praedicationis, maxime pauperes praedicatores, qui nec sumptus deferunt, nec procurationes habent ex debito. Sed utinam attenderent isti quod dicitur de penuria quam sustinuit Christus in praedicando! *Marc. 11:* Circumspectis omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam. *Glossa:* Circumspectis omnibus, si quis eum reciperet hospitio. Tantae enim paupertatis fuit, ut nulli adulatus in tanta urbe nullum hospitium inveniret. Quis, obsecro, hodie praedicator hanc indigentiam sustinuit, ut saltem in locis populosis vitae necessaria non inveniret?

Alii sunt quos retrahit labor corporalis, quem oportet sustinere in discurrendo pedes. Sed Apostolus, praeter illos labores viarum in quibus erat, quasi continue laborabat manibus. 1 *Thess. 2:* Memores enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis; nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, praedicavimus vobis Evangelium Dei.

Alii sunt quos retrahit perversitas Ecclesiae rectorum, qui frequenter impediunt praedicationem, quam promovere deberent, similes Scribis et Pharisaeis inter Judaeos, et pontificibus templorum inter gentiles, qui semper studuerunt impedire praedicationem Christi: immo summe persecuti sunt praedicatores Christi, sicut patet ex *Actibus Apostolorum*, et *Legendis Sanctorum*. Sed si hoc retraxisset primos praedicatores, nondum esset fides Christi praedicata. Cum

autem persequutiones eorum graves non retraxerint primos praedicatores a praedicatione, quanto minus debet modernos retrahere hujusmodi perversitas?

Alii sunt quos retrahit indevotio populi. Libenter quidem praedicant populis vel auditoribus devotis: et indevotos, licet magis indigeant, derelinquunt. Verum Dominus misit prophetas non solum ad devotos, sed etiam ad populum durae cervicis. *Ezech. 2:* Filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.

Alii sunt quos retrahit malus eventus: ut cum forte aliquando exposuerunt se ad praedicandum, et minus laudabiliter cessit eis. Sed secundum hoc nunquam ars aliqua addisceretur. Quis enim unquam didicit loqui latinum, quin frequenter loqueretur falsum latinum; aut scribere, qui non frequenter male scriberet, et sic de aliis? Sed per hujusmodi frequentes lapsus venitur ad artis perfectionem. Unde Philosophus: Fabricando fabri fimus. Sic etiam usus praedicandi, licet in principiis homo frequenter in eo caespitet, ducit post ad bonum modum praedicandi.

Alii sunt quos retrahit multitudo praedicatorum. Dicunt enim: Quid necesse est me praedicare, cum tot sint alii praedicatores? Sed cum sit prophetizatum, in *Ps. 91,* quod in senecta uberi sint praedicatores multiplicandi, quid prodest hoc illi ad meritum qui est extra numerum istum? Et ideo sicut qui vult esse particeps piscationis adjungit se piscatoribus, ita qui vult esse particeps meriti praedicationis, debet et idem facere si potest. *Joan. ult.,* dixit Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum.

Alii sunt quos retrahit societas minus grata. Cum enim binos oporteat ire praedicatores, magis eligunt aliqui fructum praedicationis amittere, quam cum aliquibus ire. Sed licet scriptum sit: Non arabis in bove et asino, *Deut. 22,* tamen pauper homo magis eligit interdum adiungere asinum bovi ad arandum, quam dimittere terram incultam. Cum ergo boves sint praedicatores, secundum illud *Job. 24:* Bovem viduae, *Glossa:* Bos viduae, idest Ecclesiae, est unusquisque praedicator, numquid non potest bubulcus, qui habet reddere rationem patrifamilias de fructu terrae, conqueri de bove qui non vult arare cum equo, vel asino, cum non habeat alium bovem: quem non potest ei

dare cum non habeat? Huiusmodi ergo causis frivolis non obstantibus instandum est praedicationi ferventer, iuxta illud 2 *Tim. 4:* Praedica verbum, insta opportune, importune.

XVIII. De indiscreta praedicationis executione.

Circa indiscretam executionem praedicationis notandum est quod sunt quidam qui nolunt audire verbum Dei: et istis non est praedicandum. *Eccli. 32:* Ubi non est auditus, non effundas sermonem.

Alii sunt qui, si audiant, tamen non capiunt quae dicuntur, ut stulti. *Prov. 18:* Non recipit stultus verba prudentiae, scilicet intus in intellectu. Et istis etiam non est praedicandum. *Prov. 23:* In auribus insipientium ne loquaris.

Alii sunt qui praedicatorem mordendo dilacerant. Nec istis praedicandum est. *Matth. 7:* Nolite sanctum dare canibus. *Glossa:* Canes sunt qui oblatrant, et quod integrum est dilacerant.

Alii sunt qui doctrinam sanctam vilipendunt. Nec istis est praedicandum. *Matth. 7:* Neque mittatis margaritas ante porcos. *Glossa:* Porci sunt qui vilipendunt et conculcant.

Alii sunt qui imitatione peccatorum ita Dominum provocant, ut praedicationis gratia sint indigni. *Ezech. 3:* Adhaerere faciam linguam tuam palato tuo, et eris mutus, nec quasi obiurgans, quia domus exasperans est. *Glossa:* Domus exasperans est: Tantae amaritudinis sunt et contentionis contra Deum, ut obiurgantem audire non mereantur. Ex quo patet quod multitudo peccatorum facit peccatores indignos esse qui a Domino corrigantur.

Alii sunt peiores his omnibus, qui doctrinam evangelicam blasphemant, ut infideles aliqui. Et circa illos cavendum est ne eis solemniter praedicetur. *Act. 13:* Judaei contradicebant his quae a Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constantes Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes.

Item, notandum quod illis quibus praedicandum est non sunt omnibus eadem praedicanda: sed diversa diversis, prout eis competunt. Gregorius in *Pastorali, part. 3:* Ut longe ante nos venerandae memoriae Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eademque cunctis

exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Saepe namque aliis officiunt quae aliis prosunt, quia plerumque herbae quae haec animalia enutriunt, alia occidunt; et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat; et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; et panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat.

Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum.

Aliter namque viri, aliter admonendae sunt foeminae; aliter juvenes, aliter senes; aliter inopes, aliter locupletes; aliter laeti, aliter tristes; aliter subditi, aliter praelati; aliter servi, aliter domini; aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes; aliter impudentes, aliter verecundi; aliter protervi, aliter pusillanimes; aliter impatientes, aliter patientes; aliter benevoli, aliter invidi; aliter simplices, aliter impuri; aliter incolumes, aliter aegri; aliter qui flagella metuunt, et propter ea innocenter vivunt, aliter qui sic in iniquitate duruerunt, ut nec per flagella corrigantur; aliter nimis taciti, aliter multiloquio loquentes; aliter pigri, aliter praecipitantes; aliter mansueti, alite iracundi; aliter humiles, aliter elati; aliter pertinaces, aliter inconstantes; aliter gulae dediti, aliter abstinentes; aliter qui sua misericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt; aliter qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur, aliter qui et ea quae habent sua tribuunt, et aliena rapere non desistunt; aliter discordes, aliter pacati; aliter seminantes jurgia, aliter pacifici; aliter admonendi sunt qui sacra verba legis non recte intelligunt, aliter qui recte quidem intelligunt, sed humiliter non loquuntur; aliter qui cum praedicare digne veleant, prae nimia humilitate formidant, aliter quos a praedicatione imperfectio, vel aetas prohibet, et tamen praecipitatio impellit; aliter qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperant, aliter qui quae mundi sunt concupiscunt, sed adversitatis tamen labore fatigantur; aliter coniugiis obligati, aliter a conjungii nexibus liberi; aliter admixtionem carnis experti, aliter ignorantes; aliter qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum; aliter qui commissa plangunt, nec tamen deserunt, aliter qui deserunt, nec tamen plangunt; aliter qui illicita quaeque faciunt et laudant, aliter qui accusant prava, nec tamen deserunt; aliter qui repentina concupiscentia su-

perantur, aliter qui in culpa ex consilio ligantur; aliter qui licet minima, crebro tamen illicita faciunt, aliter qui se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur; aliter qui nec bona inchoant, aliter qui inchoata minime consummant; aliter qui mala occulte agunt et bona publice, aliter qui bona quae faciunt abscondunt, et tamen quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt. Haec Gregorius.

Item, notandum quod sunt quidam qui nimis raro praedicant, quidam qui nimis frequenter: utrumque est reprehensibile. Gregorius: Praedicatio, si rara est, non sufficit; si nimia est, vilescit. Ideo temperate est praedicandum. Illa enim pluvia utilis est quae non nimis rara, nec nimis assidua.

Item, notandum quod non idem modus loquendi habendus est semper in omni praedicatione: sed est diversificandus secundum diversitates eorum qui loquuntur, et eorum quibus loquuntur, et eorum de quibus loquuntur. Aliter enim decet loqui hominem parvae auctoritatis, aliter magnae auctoritatis hominem. Decet enim hominem modicae auctoritatis semper loqui humiliter, *Prov. 18:* Cum obsecrationibus loquitur pauper, scilicet ille qui est modicae auctoritatis. Ille vero qui est magnae auctoritatis potest loqui rigidius. Unde *ibidem:* Dives vero affabitur rigide. Sic faciebat Joannes Baptista, qui erat dives sanctae vitae plenitudine, dicens *Matth. 3*: Progenies viperarum, etc.; et Stephanus dives plenitudine Spiritus Sancti, dicens, *Act. 7:* Incircumcisi corde et auribus, etc.; et Paulus dives potestate a Deo sibi commissa, dicendo, *Act. ult.:* Bene locutus est Spiritus Sanctus per Isaiam Prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum, et dic eis: Aure audietis, et non intelligetis, etc.

Item, aliter loquebatur Dominus discipulis, aliter Scribis et Phariseis. Illis enim loquebatur dulciter, bona promittendo; *Luc. 6:* Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei! Istis terribiliter comminando; *Matth. 23:* Vae vobis, Scribae et Pharisaei!

Item, aliter est loquendum de peccatis hominum, aliter de bonis eorum a Deo datis. De illis enim tanquam de materia lugubri loquendum est cum compassione, cum Apostolo qui dicit, *Phil. 3:* Multi enim ambulant quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens

dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est; et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. De istis vero cum congratulatione, cum Apostolo qui dicit, 1 *Cor. 1*: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quae data est vobis in Christo Jesu, quoniam in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia.

Item, modo loquendum est grosse cum rudibus; modo subtilius cum sapientibus.

Item, modo cum audacia inter tyrannos; modo cum timore inter majores et bonos.

Item, modo cum fervore spiritus; modo cum temperamento prudentiae.

Item, modo consolatorie inter pusillanimes; modo desolatorie inter praesumptuosos: et sicut cantus variis modis formatur, ita et vox praedicatoris. Et quia difficile est semper competentem modum servare, ideo orat Apostolus, ad *Coloss. 4*, dicéns: Orantes et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi: pro quo vinctus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.

Item, notandum quod observandum est tempus aptum ad praedicandum. Est enim tempus tacendi et tempus loquendi, sicut dicitur *Eccle. 3*. Non est tempus aptum ad praedicandum, cum homines propter alias occupationes non possunt vacare ad audiendum verbum Dei. Vacabat enim Maria ut audiret verbum Domini, *Luc. 10*.

Non est etiam aptum cum homines prae dolore aliquo sunt ita absorpti, quod non possunt transferre animum ad audiendum verbum. Unde amici Job septem diebus non loquebantur ei, quia videbant dolorem esse vehementem; *Job. 2*.

Non est iterum tempus aptum cum homines praegravati somno non possunt vigilare. Dormientibus enim non est loquendum, secundum illud *Eccli. 22*: Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam. In quo innuitur quod dormientibus non est loquendum.

Non est etiam aptum ad loquendum cum est tumultus, qui non potest sedari sive quietari. Unde Paulus antequam loqueretur captabat manu silentium, *Act. 13* et *21*.

Non est etiam aptum cum homines contra praedicatorem sunt turbati. Unde propter hoc Paulus et Barnabas recesserunt a Judaeis commoventibus in eos persecutiones; *Act. 3.* Quia ergo omni negotio tempus est et opportunitas, sicut dicitur *Eccle. 8,* cavendum est praedicatori ne praedicet, cum non est tempus ad hoc opportunum, ne praedicatio per hoc careat effectu. Quia sicut dicitur a Gregorio super illo verbo: Praedica opportune, importune, 2 *Tim. 4,* dicturus: importune, praemisit: opportune, quia apud auditores mentem ipse sua utilitate se destruit, si habere opportunitatem importunitas nescit.

Item, notandum quod non omnis locus est idoneus ad praedicationem solemnem. Non est enim praedicandum in locis occultis, sicut faciunt haeretici: sed in loco publico, sicut faciebat Dominus, qui palam locutus est mundo, in occulto nihil, *Joan. 18.*

Non est etiam praedicandum in locis inhonestis, sicut faciunt quidam praedicantes in foris et in triviis, cum homines ibi sunt occupati, et circa saecularia: quod cedit ad irreverentiam verbi Dei; sed in locis honestis, sicut faciebat Paulus in synagogis, et Dominus in templo, vel etiam quandoque in loco campestri vacuo ab omni occupatione saeculari.

Non est iterum praedicandum in locis pericolosis hominibus: sed in talibus ubi possint convenire secure, ne contingat perditio aliquorum, sicut contigit illis qui sequebantur Theodam et Judam Galilaeum; *Act. 5.*

Ex praedictis colligitur quod quibusdam cito praedicandum, quibusdam non; iterum quod illis quibus praedicandum est, alia sint aliis praedicanda; et quod praedicatio debet esse sic temperata, ut nec sit nimis rara nec nimia; et quod alius modus loquendi est habendus in diversis casibus; et quod nec omni tempore, nec omni loco sit praedicandum; et quod indiscrete exequuntur hoc officium qui praedicant quibus non est praedicandum, vel quae non sunt praedicanda, vel non quantum est praedicandum, vel qualiter, vel quando, vel ubi non est praedicandum: et ideo interest praedicatoris ad hoc ut discrete hoc officium exequatur, ut attendat semper quibus praedicat, et quae, et quantum, et qualiter, et quare, et quando, et ubi, etc.

XIX. De his quae conferunt ad exequendum laudabiliter hoc officium.

Circa quae conferunt ad exequendum hoc officium laudabiliter, notandum quod ad hoc valet multum libertas ab occupationibus. Hinc est quod Apostoli posuerunt alios ad ministrandum mensis, ut ipsi liberius vacarent praedicationi, dicentes *Act. 6:* Non est aequum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Dominus quoque discipulo volenti vacare sepulturae paternae dixit, *Luc. 9:* Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, et anuntia regnum Dei. Paulus etiam propter hoc dimisit officium baptizandi, dicens 1 *Cor. 1:* Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare. Si autem tales viri tam pia officia dimiserunt, ut liberius praedicationi vacarent, quanto magis relinquendae sunt omnes aliae occupationes a praedicatoribus, ut habeat verus Abraham vernaculos expeditos! *Gen. 17.*

Item, tranquillitas a perturbatione. Perturbatio enim mentis multum impedit praedicationem. Gregorius in *Ezech. Hom. 12:* Loqui de Deo quiete vacuae et liberae mentis est: tunc namque lingua bene dirigitur in sermone, cum secure sensus quievit in tranquillitate.

Item, collectio omnium quae in scientiis saecularibus inveniuntur utilia ad aedificationem, sicut accidit in illo qui vult aedificare: colligit enim de diversis quod ad aedificium suum valere potest. 2 *Par. 20:* Venit Josaphat et omnis populus cum eo ad detrahenda spolia mortuorum. *Glossa:* Sancti doctores cum turba fidelium colligunt de spoliis hostium quidquid de Physica, Ethica, Logica, legendo, scribendo, docendo utiliter ediderunt, et in usum totius Ecclesiae convertunt: ut quod illi inutiliter possederunt, fideles utiliter ad salutem animarum possideant.

Item, confirmatio omnium quae dicuntur per sacram Scripturam. Gregorius: Qui ad verae praedicationis verba se praeparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat, ut quod loquitur a divinae auctoritatis fundamento revocet, atque in eo fundamentum suae locutionis firmet.

Item, admixtio orationis propriae. Virtute enim orationis fit praedicatio efficacior. Augustinus, *De Doct. Christ. lib. 4:* Agat eloquens quantum potest, cum bona et justa et sancta dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: et hoc se posse, si potuerit, pie-

tate orationum magis quam oratorum facultate non dubitet, sic orando pro se et pro illis quos allocuturus est: sit orator antequam doctor.

Item, impetratio orationum alienarum. Unde Paulus tantus doctor et praedicator in hoc confidens dicebat, 2 *Thess. 3:* Fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur ubique, sicut et apud vos.

Item, quietis recreatio. Sicut enim in mundi actionibus homines interdum quiescunt, ut fortius postea operentur: sic expedit praedicatorem interdum quiescere ab hujusmodi actione, ut resumptis viribus postmodum hoc officium fortius exequatur. Unde operarii Salomonis, qui caedebant ligna in Libano, per quos designantur secundum *Glossam* praedicatores, duobus mensibus quiescebant, et in tertio operabantur.

Item, valet ad hoc ut in hujusmodi quiete non sectetur otium, sed vacet aliquibus, ut est lectio, studium, meditatio, quae postmodum conferunt ad praedicandum. Gregorius: Praedicatores quieti contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes refundunt.

Item, valet ad hoc cautela circa pericula peccatorum, quae contingunt in praedicationis prosecutione. Sicut enim non est laudandus piscator marinus, qui prae amore piscandi non cavet maris tempestatem, et alia pericula: ita stulte exequitur praedicationem, qui pericula peccatorum incurrit ex zelo alios lucrandi; et ideo dicitur *Matth. 16:* Quid proficit homini si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat?

Item, discussio sui post praedicationis exercitium. Debet enim sapiens praedicator post praedicationis regressum ad se redire, et quae contigerunt subtiliiter considerare, ut abstergat sordes si quas contraxit, et reparet dissipata: sicut viator et sotulares abstergit, et reparat, cum venit ad hospitium, ut postmodum melius vadat. Unde Ezechieli, *Ezech. 3,* postquam fuit in campo dicitur: Ingredere, et includere in medio domus tuae. Gregorius: Post campum praedicator claudi praecipitur, ut post gratiam doctrinae, quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, et subtiliter discutiat.

Item, censura tacendi. *Ezech. 3:* Veni ad transmigrationem, et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus, moerens in medio eorum: cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me. Gregorius, *ibid.:* Missus ad praedicandum fuerat, et tamen septem diebus moerens tacebat, quia ille veraciter novit loqui, qui tacere didicit: quia quoddam nutrimentum verbi est censura silentii.

Item, sanctitas animae. *Eccli. 37:* Anima viri sancti enuntiat aliquando vera quantum septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Gregorius: Plus valet ad praedicandum sancti amoris constantia, quam exercitati sermonis scientia.

Item, consideratio praecedens. Ille enim laudabilius opus facit qui praemeditatur ante diligenter quid et qualiter sit ei faciendum. Et sic faciendum est praedicatori. 2 *Esdr. 2:* Egressus sum per portam vallis nocte, et considerabam murum Jerusalem dissipatum, et portas ejus consumptas igni, et transivi ad portam fontis, etc. Beda in *Glossa:* Diversa destructae urbis loca visitando pervagatur, et singula quomodo debeant reparari scrutatur sollicite. Doctorum quoque spiritualium est saepius nocte surgere, et solerti indagine statum Ecclesiae, quiescentibus aliis, inspicere, ut vigilanter inquirant quomodo ea quae vitiorum bellis sordidata vel dejecta sunt, corrigant et erigant.

XX. De iis in quibus consistit haec executio laudabilis.

Circa aliud notandum quod haec laudabilis executio in his consistit, videlicet ut libentius praedicetur ubi est major necessitas, Quid enim prodest assidue praedicare religiosis, beghinis, et huiusmodi personis, quae non multum indigent, et relinquere illos qui magis indigent? Ideo dicit Dominus, *Math. 9:* Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.

Item, ut libentius praedicetur ubi non est praedicatum per alios, quam ubi frequenter praedicatur. Quis enim hortulanus dimittit rigare partem horti aridam, et rigat semper bene rigatam? *Ad Rom. 15:* Praedicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus, sed, sicut scriptum est, quibus non est annuntiatum de eo videbunt, et qui non audierunt intelligent.

Item, ut non negligantur loca minus populosa, sicut faciunt illi

qui nolunt praedicare nisi in urbibus et magnis villis. Contra quod dicitur de Salvatore, *Matth. 6:* Circuibat castella, id est parva castra, in circuitu docens.

Item, ut non pertranseatur aliquis locus in quo non praedicetur, exemplo Domini de quo dicitur, *Matth. 4:* Circuibat Jesus totam Galilaeam docens in synagogis eorum, et praedicans Evangelium regni.

Item, ut non praetermittatur aliquod genus hominum cui non praedicetur, *Matth, ult.:* Praedicate Evangelium omni creaturae.

Item, ut praeferantur illi de quibus speratur fructus, obduratis relictis, sicut fecerunt Apostoli relinquentes Judaeos obstinatos, et transeuntes ad gentes; *Act. 13.* Et ad hoc invitans Dominus discipulos, dicit, *Joann. 4:* Levate oculos vestros, et videte regiones quoniam albae sunt jam ad messem. Quasi diceret: Quia paratae sunt, ite ad metendum.

Item, ubi increscit malitia, validius per praedicationem occurratur. Gregorius *in Hom.:* Cum malorum perversitas crescit non solum frangi praedicatio non debet, sed augeri.

Haec omnia supradicta sumpta sunt ex parte eorum quibus praedicatur.

Sunt autem et alia ex parte praedicantis, videlicet ut ipse non det aliquam occasionem ut praedicatio ejus impediatur, sicut faciunt qui incaute turbant clerum, vel populum, et alia hujusmodi faciunt, propter quae impeditur interdum cursus praedicationis suae. Contra quod, 1 *ad Cor. 9:* Omnia sustinemus ne offendiculum demus Evangelio Dei.

Item, ut non de facili retrahatur a praedicatione, sicut faciunt illi qui propter modicam turbationem vel difficultatem quae occurrit dimittunt praedicare. Contra quod, 2 *Tim. 4:* Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus, praedica verbum, insta opportune importune, etc.

Item, non solum voce, sed se toto praedicet, sicut Joannes, qui propter hoc dictus est Vox, quia totus loquebatur, *Is. 40.* Sicut in numismate metallum, et figura, et pondus inquiritur, ita in omni doctore ecclesiastico quid doceat, quid sequatur, quomodo vivat. Per

qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram similitudo patrum, per pondus humilitas designatur. Qui igitur ab his discrepaverit non metallum, sed terra erit: quod ideo dicitur quia non bene resonabit ut metallum, sed quasi nihil ut terra.

Item, ut continuet praedicationem. Sicut enim pluvia unius diei parum prodest in terra multum arida, nisi continuetur: ita parum prodest unus, vel pauci sermones. Ideo contra hoc dicitur de Domino, *Luc. 20:* Erat quotidie docens in templo.

Item, ut praedicationi adiungat singulares admonitiones tempore et loco, sicut faciebat Paulus dicens, *Act. 20:* Docens vos publice, et per domos. Et *post:* Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

Item, fideliter innotescat mandata Dei, sicut fidelis nuntius, cujus est precise mandatum acceptum nuntiare. *Jer. 1:* Quae mandavero tibi loqueris ad eos. Quid autem mirum si hoc observat verus praedicator, cum et Balaam de se dicat, *Num. 22:* Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei, ut plus vel minus loquar?

Item, ut ferventer exequatur hoc officium, sicut dicitur de Apollo, *Act. 18:* Judaeus quidam Apollo nomine, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis: hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quae sunt Jesu.

Item, ut fiducialiter dicat veritatem, praecipue inter sceleratos, sicut Apostoli qui cum fiducia loquebantur inter Judaeos verbum Dei. *Mich. 3:* Repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio, et virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum.

Item, sic temperetur modus loquendi ne asperitas offensionem inducat. Ambrosius: Sit monitio sine asperitate, exhortatio sine offensione.

Item, ut sollicitudo debita circa hoc exequendum adhibeatur: haec est enim sine qua pauca bene fiunt. 2 *Tim. 2:* Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, idest ad honorem Dei, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

XXI. Quare hoc officium licitia, circa quae viri spirituales solent se exercere, li-

Circa ultimum notandum est quod inter spiritualia exer-

benter est faciendum ab his qui habent in hoc gratiam.

bentius debent exercitari circa praedicationem illi qui in hoc habent gratiam, et hoc propter tria. Habet enim hoc exercitium quasdam praerogativas super alia. Sunt enim quidam qui circa afflictionem carnis se exercitant, jejuniis et abstinentiis, asperitate vestium, vigiliis, et hujusmodi carnem affliggendo. Hujusmodi exercitatio secundum Apostolum, 1 *Tim. 4,* ad modicum utilis est: praedicatio vero valet quam multum, sicut ostensum est supra, *cap.* VI.

Praeterea quis posset plene describere quantas afflictiones sustinet pauper praedicator, animarum zelator, in sollicitudine providendi, in discursuum labore, in indigentiis multis, in anxietate proficiendi, et hujusmodi? Et ideo comparatur mulieri parturienti, cujus sunt dolores inestimabiles. *Ad Gal. 4:* Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Dixit quidam, qui de ordine Cisterciensi transierat ad Fratres Praedicatores, quod plus mali sustinuerat quibusdam paucis diebus quibus fuerat in via, quam omnibus diebus quibus in ordine primo fuerat. Praeferendum est ideo praedicationis exercitium jejuniis et aliis afflictionis corporalis exercitationibus, cum haec et afflictiones graves secum habeat, et ultra haec ad proximos fructum multum.

Sunt alii qui circa opera misericordiae corporalia se libenter exercent: sed praedicatio vertitur circa pietatem animarum pereuntium; et ideo praeeminet istis operibus quantum animae corporibus. Ideo dicit Dominus, *Luc. 9,* volenti sepelire patrem suum: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, et annuntia regnum Dei. Si autem juxta mandatum sepultura patris, quod est inter piissima opera misericordiae, postponenda est praedicationi, quanto magis praeeminet praedicatio aliis omnibus operibus misericordiae corporalibus! Gregorius: Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem moriturae carnis pane terreno satiare.

Sunt alii qui plus vacant orationibus sanctis, non solum pro se, sed et pro aliis orantes: sed praedicatio hujusmodi orationibus praefertur, quia oratio peccatoris non prodest aliis, praedicationes vero multorum qui coram Deo valde mali sunt, multoties aliis valde prosunt, sicut prophetia Balaam profuit, et adhuc prodest, et proderit

sine fine. 1 *Cor. 13:* Si charitatem non habeam, factus sum sicut aes sonans, aut cymbalum tinniens, quod scilicet aliis prodest, etsi sibi noceat.

Alii sunt qui libenter vacant lectionibus sacris: sed si hujusmodi studium non dirigatur ad doctrinam praedicationis, quae utilitas in illo? *Eccli. 20:* Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque? Ideo dicit Apostolus, 1 *Tim. 4:* Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae. Praemittit lectionem, et subdit doctrinam, quia haec finis debet esse illius: finis autem melior est eis quae sunt ad finem.

Alii sunt qui ex quadam devotione frequentant sacra, missarum mysteria celebrant: sed licet hoc sacramentum perutile sit toti Ecclesiae, tamen multis propter indignitatem eorum vertitur in magnum periculum. Si enim qui indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit, sicut dicitur 1 *Cor. 2,* quanto magis qui conficit indigne? Non autem sic de praedicatione. Potest enim fieri sine peccato a peccatore, dummodo non sit notorius peccator.

Alii sunt qui libenter vacant confessionibus audiendis: sed praedicatio in hoc praecellit, quia per confessionum audientiam simul et semel non subvenitur nisi uni; praedicatio autem simul et semel proficit multis. Unde praedicante Petro appositae sunt animae circiter tria millia numero credentium, *Act. 2;* et alia die quinque millia, *Act. 4.*

Alii sunt qui libenter intendunt baptismo, extremae unctioni confirmationi, consecrationi virginum, ordinandis clericis, et hujusmodi sacramentis ecclesiasticis conferendis: sed haec non prosunt adultis sine vera cognitione et bona voluntate; quae duo confert praedicatio. *Job. ult.:* Auditu auris audivi te, scilicet in praedicatione; nunc autem oculus meus videt te: et hoc quantum ad primum. Idcirco ipse me reprehendo, etc.: et hoc quantum ad secundum. Haec autem prosunt sine sacramentis illis, et ideo praeferenda est praedicatio illis exercitiis.

Alii sunt qui libenter intersunt laudibus divinis, frequentando ecclesiam in officiis divinis: sed in officiis illis laici non intelligunt quid dicatur, in praedicatione vero intelligunt quod dicitur. Et ideo

per praedicationem clarius et apertius laudatur Deus. Et ideo praedicatio antonomastice dicitur laudatio divina. In *Ps. 72,* ubi secundum litteram nostram dicitur: Annuntient omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion, secundum aliam litteram dicitur: Omnes laudationes tuas.

Patet ex jam dictis quantas praerogativas habeat praedicatio super alia exercitia spiritualia.

Praeterea exempla sunt ad idem. Christus existens in hoc mundo non celebravit nisi unam missam, scilicet in die Coenae, confessiones non legitur audisse, sacramenta pauca et raro ministravit, laudibus divinis canonicis non multum intendit: similiter de omnibus supradictis invenies, nisi de oratione et praedicatione: praedicationi vero, postquam incoepit praedicare, plus etiam quam orationi legitur impendisse totam vitam suam.

Item, excellentissimus apostolus gratias agit Deo, *1 Cor. 1,* quod paucos baptizavit, dicens se non missum ut baptizaret, sed ut evangelizaret. Similiter non legitur tantum vacasse alii exercitio spirituali, sicut praedicationi. Nam de illa dicitur, *Rom. 15,* quod ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum mare replevit Evangelium Christi, et deinde venit ad occidentales partes.

Item, Apostoli et discipuli Domini quid aliud fecerunt in mundo universo, nisi plus praedicare quam aliis vacare? *Marc. ult.:* Illi autem profecti praedicaverunt ubique. Habemus ergo exemplum super hoc a Domino, a Paulo, immo et ab omnibus Apostolis et discipulis Christi.

Denique Dominus hoc specialiter videtur velle. Hoc enim tamquam rem sibi valde acceptam in recessu suo ultimo praecepit. *Marc. ult.:* Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.

Item, hujus officii executioni specialem retributionem, scilicet aureolam, reservandam ordinavit; de qua habetur *Exod. 25,* in *Glossa.*

Item, propter hoc laudabiliter exequendum summa magnalia fecit. Propter hoc enim idiotis altissimam scientiam subito infudit; propter hoc omnium linguarum genera eisdem dedit; propter hoc potestatem faciendi miracula eisdem contulit: ut per haec sermonem eorum confirmaret. Ex his ergo patet quantum plus istud officium quam alia placet ei.

Quia igitur tot habet praerogativas, et tam magna exempla, et tam acceptum est Domino hujusmodi exercitium, non immerito prae omnibus aliis est isti a viris spiritualibus, et ad hoc sufficientibus, vacandum: immo et necessitas eis incumbit. 1 *Cor. 9:* Vae mihi! si non evangelizavero: necessitas enim incumbit.

QUINTA PARS

DE DEFECTU SEU SUBTRACTIONE PRAEDICATIONIS

Circa subtractionem praedicationis notandum est primo de causis subtractionis, secundo de subtrahentibus se a praedicatione, tertio de damno hujus subtractionis.

XXII. De causis subtractionis praedicationis.

Circa primum notandum quod praedicatio quandoque subtrahitur ex causis soli Deo notis. Unde super illud *Luc. 10:* Vae tibi, Corozaim! dicit *Glossa:* Quare praedicatum sit non credituris, et non sit praedicatum credituris, novit ille qui omnia novit.

Quandoque ex procuratione diabolica. *Apoc. 7:* Post hoc vidi quatuor angelos terrae, tenentes quatuor ventos ne flarent super terram, neque super mare, neque super ullam arborem. *Glossa:* Diabolus nititur detinere praedicationem in omni loco per satellites suos. Nunquid enim non fuerunt satellites ejus Scribae et Pharisaei inter Judaeos, et pontifices templorum inter paganos, et Mahometus inter Sarracenos? Qui omnes hoc fecerunt quandoque propter bonum auditorum; *Act. 16:* Vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum in Asia. *Glossa:* Dominus qui novit corda, beneficii gratia doctorem removit ab Asia, ne detur sanctum canibus, et cor iniquum de contempta praedicatione gravius iudicetur.

Aliquando propter culpam auditorum. *Ezech. 3:* Adhaerere faciam linguam tuam palato tuo, quia domus exasperans est. *Glossa:* Aliquando pro vitio auditoris subtrahitur sermo praedicationis.

Aliquando subtrahitur ex defectu praelatorum. *Thren. 4:* Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis, scilicet nec sacerdos, nec archidiaconus, nec episcopus. Et hoc vel quia nesciunt, vel quia occupati aliis vilioribus praedicationi vacare nequunt, vel quia zelo salutis animarum carentes de hoc non curant.

Interdum ex eorum impedimento. Sunt enim multi praelati, qui non solum non praedicant, sed etiam ne alii, qui hoc laudabiliter possunt facere, faciant impediunt. *Sap. 18:* Filios tuos custodiebant inclusos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen saeculo dari. Includuntur siquidem praedicatores, cum non permittuntur libere praedicare.

Interdum ex curiositate humana, ut cum homines veniunt ad sermones, non animo proficiendi in opere, sed solum animo audiendi. Exemplum in *Vitis Patrum*. Venerunt quidam fratres ad abbatem Felicem, cum quibusdam saecularibus requirentibus verbum aliquod aedificationis. Qui cum diu stetissent, ait: Fratres, modo non est verbum. Quando enim ad senes veniunt homines qui nolunt facere quod audiunt, aufert Deus gratiam a senibus, nec inveniunt quid loquantur.

XXIII. De subtrahentibus se a praedicatione.

Circa secundum notandum quod quidam subtrahunt se a praedicatione ex procuratione diabolica. Non enim vult diabolus quod sui audiant praedicationem Christi, ne trahantur ad ipsum. Sic Mahometus eadem de causa ordinavit in lege sua ne Sarraceni audirent praedicationem de Christo. *Joan. 8:* Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, sed estis ex diabolo patre, ut dicitur in *eodem*.

Alii vero ex segnitie humana nolentes vel modicum laborare pro sermone audiendo. Sed contra hos surget Regina Austri in judicio, quae venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, *Luc. 11*.

Alii ex superbia dedignantes altitudinem suam humiliare cum popularibus et simplicibus ad pedes praedicantium. Sed iste contemptus nuntiorum Dei transit in ipsum Deum. *Luc. 10:* Qui vos spernit me spernit.

Alii ex verecundia. Conscii enim peccatorum multorum de quibus saepe fit mentio in sermonibus, ut est usura, fornicatio, et hujusmodi,

timent ibi notari de istis, et ideo non veniunt. *Joan. 3:* Omnis qui male agit, odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

Alii ex occupatione saeculari. Quo contra Martha occupata, Maria sedens secus Dominum audiebat verbum illius, et a Domino commendata est, *Luc. 10.*

Alii ex quadam sapientia fatua. Dicunt enim apud se quod melius est eis non agnoscere facienda, quam cognita non facere. Sed non attendunt miseri quod ignorantia affectata non excusat peccatum. Propter quod dicit Paulus, 1 *Cor. 14:* Si quis ignorat, ignorabitur.

Alii ex timore bene faciendi. Timent enim ne forte inspiraretur eis bona voluntas in sermone, si illuc irent. Isti sunt similes aspidi surdae et obturanti aures suas, ut non exaudiat vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter, ne amittat vim veneni, sicut dicitur in *Ps. 57.*

Alii ex fastidio. Fastidiunt enim frequentiam sermonum, quae est mensa animae: et tamen non fastidiunt mensam corporalem quotidianam. Quo contra, *Amos 8:* Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et mittam famem in terra: non famem panis, nec sitim aquae, sed audiendi verbum Dei. In hoc exprimitur quid vocatur fames.

Alii ex obstinata malitia, sicut Pharisaei et Legisperiti obduraverunt se contra Christum, ne ejus discipuli, vel auditores essent *Zach. 7:* Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.

Alii ex desperatione proficiendi, quando jam multoties experti sunt quod nihil profecerunt in sermonibus. Sed verbum Dei vix est sine aliquo fructu, vel sensibili, vel insensibili; vel statim, vel in futuro. *Is. 55:* Verbum quod egredietur de ore meo non revertetur ad me vacuum. Vae! autem omnibus istis. Sunt enim maledicti. *Jer. 11:* Maledictus vir qui non audierit verba pacti ejus.

XXIV. De damno subtractionis praedicationis.

Circa tertium notandum est quod ex defectu praedicationis relinquitur infidelitas. Propter hoc enim multae nationes adhuc remanent in antiquis erroribus. *Rom. 10:* Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?

Item, error in via morum. Propter hoc enim multi errant circa agenda, nescientes quid liceat, et quid non. Et ideo per vias malorum operum incedunt, quia non sunt illuminati per praedicationem circa ista. Unde, *Sap. 5,* dicunt damnati: Erravimus a via veritatis, idest quia lumen justitiae non luxit nobis. Quid autem est lumen justitiae, nisi praedicatio quae ostendit quid sit justum, et quid injustum.

Item, ignorantia sui. Verbum enim praedicationis est sicut speculum, sicut dicitur *Jacob. 1,* in quo homo cognoscit seipsum. Et ideo multi non cognoscunt se in quo statu sunt, in quo periculo, in quo defectu, et hujusmodi, quia non audierunt praedicationem.

Item, stulta aestimatio rerum. Doctrinam enim sanctae praedicationis docet quantum praevaleant spiritualia corporalibus, quantum aeterna temporalibus, quantum coelestia terrenis, et similia: et ideo frequenter qui non habent hujusmodi doctrinam errant circa rerum valorem. Ideo dicitur *Prov. 19:* Ne cesses, filii mi, audire doctrinam, ne ignores sermones scientiae. Sermones scientiae sunt quando de qualibet re scit quis dicere quantum valeat.

Item, sterilitas bonorum. Sicut enim ex carentia pluviae dessicatur terra, et fructum non profert: ita deficiente praedicatione homines fructum bonorum operum non producunt. *Prov. 19:* Ubi non est scientia animae non est bonum. Scientia animae siquidem est doctrina praedicationis. Nam circa animam vertitur hujusmodi scientia, cum aliae scientiae circa alia versentur.

Item, germinatio malorum. Sicut enim deficiente pluvia, terra non solum non profert fructum bonum, sed et multiplicantur spinae, et tribuli, et herbae malae: ita praedicatione deficiente increscunt mala. *Ose. 4:* Non est scientia Dei, quae scilicet per praedicationem habetur, in terra. Et ideo statim additur *ibidem:* Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.

Item, devastatio hostium. Ubi enim non exclamatur, facilius irruunt. Ideo dicitur e diverso *Ose. 8:* In gutture tuo sit tuba. *Glossa:* Aperta praedicatio. Et subdit causam dicens: Quasi aquila in domum Domini, scilicet diabolus qui quasi aquila propinquus est et paratus ad invadendum domum Domini.

Item, obdormitio in periculis. Sicut enim Jonas in periculo magno dormiebat sopore gravi in sentina navis, ita et multi nec vigilarent ut de se cogitarent, nisi praedicatio eos evigilaret, sicut et ipsum evigilavit gubernator dicens ei: Quid tu sopore deprimeris? Surge invoca Deum tuum. *Jon. 1.* Gregorius: Subtili occultoque Dei judicio a quorumdam mentibus praedicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

SEXTA PARS

DE EFFECTU PRAEDICATIONIS

Circa officium praedicationis notandum est quod praedicatio interdum nullum fructum affert, interdum adducit fructus malos, per occasionem, interdum fructus non omnino malos, sed nec multum bonos, interdum fructus optimos. Hoc autem ultimum provenit ex auditu verbi Dei devoto, et ex verbi impletione. Et ideo dicendum est hic primo de infructuositate praedicationis, secundo de malis fructibus ejus, tertio de fructibus minus bonis, quarto de fructibus optimis, quinto de auditu verbi Dei, sexto de impletione verbi auditi.

XXV. De praedicatione infructuosa.

Circa primum notandum quod interdum praedicationes multorum nullum fructum faciunt. Nec mirum, cum hoc contigerit in praedicatione Salvatoris, iuxta illud quod dicitur *Joan. 8:* Sermo meus non capit in vobis, ubi dicit *Glossa* quod sermo est sicut hamus. Tunc igitur sermo non capit, quando nec luxuriam, nec avaritiam, et sic de aliis, non ejicit de cordibus auditorum: sicut hamus dicitur non capere quando nullum piscem ejicit de aqua.

Porro hujusmodi infructuositas interdum accidit ex vitio auditorum. Sunt enim quidam sicut terra mala, quae quantumcumque excolatur, nunquam fert fructum. *Gen. 4:* Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos.

Interdum ex defectu praedicatoris. Sicut enim agricola industrius per diligentiam suam terram minus bonam facit fructiferam, et e contrario ex defectu qui est in agricola, quae bona est non fert fructum: ita ex defectu praedicatoris perit fructus interdum in auditoribus. *Prov. 24:* Per agrum hominis pigri transivi: et ecce totum repleverant urticae, scilicet propter pigritiam ejus.

Interdum ex inefficacia verbi. Sunt enim quidam qui proponunt interdum orationes, vel auctoritates, vel figuras, vel exempla ita inepta, quod quasi nullius sunt efficaciae. Et ideo nihil boni afferunt in auditoribus, sicut semen putridum non potest bonos fructus producere. Quo contra dicit Seneca: Non est opus multis, sed efficacibus.

Interdum ex carentia gratiae divinae. Sicut enim semen seminatum non fructificat sine pluvia vel rore, ita nec praedicatio proficit in mentibus auditorum, si non adsit gratia Spiritus. Gregorius: Nisi Spiritus Sanctus cordi assistat auditoris, otiosus est sermo doctoris. Et iterum: Per vocem homo instruitur, quando mens per spiritum ungitur.

Interdum ex insidiis inimici. Sicut enim avibus colligentibus grana seminata, non sequitur fructus, ita diabolus tollit verbum, et perit fructus. *Luc. 9:* Hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

Quod ergo praedicatio est sine fructu quandoque contingit ex parte auditorum, quandoque ex parte praedicatoris, quandoque ex parte verbi praedicati, quandoque ex parte carentiae gratiae, quandoque ex parte hostis.

Praeterea notandum alio modo quod sunt decem quae solent fructum hujusmodi impedire. Primum est cordis duritia. Sunt enim quidam qui habent cor diabolicum, induratum ut lapis, sicut tangitur in *Job. 41.* Et ideo sicut semen super lapidem non proficit, ita nec praedicatio in eis. Ideo dicitur e diverso in *Ps. 94:* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Secundum est stultitia. Stultus enim non capit quod dicitur, et ideo non proficit in eo verbum, sicut nec semen in terra quae illud non capit intra se. Ideo dicitur *Eccli. 22:* Cum dormiente loquitur

qui narrat stulto sapientiam, quia scilicet non capit eam, sicut nec dormiens.

Tertium est abundantia malitiae, sicut et abundantia veprium impedit fructum novalis, nisi primo purgetur. Ideo dicitur *Jacob. 1:* Abjicientes abundantiam malitiae, in mansuetudine suscipite insitum verbum. Quasi diceret: Non proficeret verbum, nisi primo abjiceretur hujusmodi abundantia.

Quartum est importunitas. Omni enim negotio tempus est, et opportunitas, *Eccle. 8;* et ideo cum non observatur opportunitas ista, non proficit praedicatio, sicut nec semen in tali tempore potest seminari. Ideo dicitur *Eccli. 20:* Ex ore fatui reprobabitur parabola, quia non dicit eam in tempore suo.

Quintum est animalitas. Sicut enim aliqua terra ad hordeum, vel milium, et hujusmodi grossa ferenda est apta, et non ad frumentum: ita homines multum animales inepti sunt ad spiritualia, quae per praedicationem feruntur. 1 *Cor. 2:* Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt: stultitia enim est illi. Si autem non percipit, quomodo potest in illis proficere?

Sextum est oblivio. Obliviosus enim est quasi vas perforatum, quod non retinet aquam. *Eccli. 21:* Cor fatui quasi vas confractum: omnem sapientiam non tenebit. Si autem non tenet, quomodo ex illa proficiet?

Septimum est fastidium verbi divini. Gregorius in *Hom. 15 in Evang.:* Cibus mentis est sermo Dei, et quasi cibus acceptus stomacho languente rejicitur, quando in ventre memoriae non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur.

Octavum est occupatio saecularis. *Luc. 8:* A sollicitudinibus vitae suffocantur, et non afferunt fructum.

Nonum est inobedientia erga verbum. Augustinus, *De Doctr. Christ. lib. 4:* Fit ut homines obedienter non audiant illum qui se ipsum non audit, et Dei verbum quod eis praedicatur simul cum ipso praedicatore condemnant.

Decimum est extraneitas a Deo: in qua multi sunt. *Joan. 10:* Oves meae vocem meam audiunt, et sequuntur me. Et in *eodem:* Alienum autem non sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum.

XXVI. De fructibus malis praedicationis.

Circa secundum notandum est quod interdum aliqui, licet audiant verbum Dei, non tamen faciunt. Quod dicitur, *Ezech. 33:* Sedet coram te populus meus, et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos. Et sic relinquitur eis malum inobedientiae.

Interdum vero non bene credunt quae dicuntur aut de poenis futuris, aut de praemiis, et hujusmodi. *Ps. 105:* Non crediderunt verbo ejus, et murmuraverunt in tubernaculis suis, dicentes scilicet: Quomodo hoc vel illud potest esse? Et sic relinquitur eis malum incredulitatis.

Interdum vero displicent quae dicuntur. *Eccli. 21:* Verbum sapiens audit luxuriosus, et displicebit ei. Et sic relinquitur malum displicentiae boni.

Interdum contemnuntur quae dicuntur. 2 *Par. ult.:* Parvipendebat sermones Domini. Et *Prov. 1:* Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Et sic relinquitur contemptus verbi Dei.

Interdum vertuntur in derisum ea quae dicuntur. 2 *Par. ult.:* Subsannabant nuntios Domini, illudebantque prophetis. Et sic relinquitur malum derisionis servorum Dei.

Interdum vero fit odiosus praedicans contra hominum voluntates. 3 *Reg. 22:* Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michaeas filius Iemla. Et sic relinquitur malum odii in diligendos.

Interdum vero aliqui non solum odiunt hujusmodi praedicatores, sed graviter persequuntur, ut patet in Apostolis et Judaeis. *Matth. 23:* Ecce ego mitto ad vos prophetas etc. Et *post:* Persequemini de civitate in civitatem. Ista sunt zizania superseminata bono semini a diabolo, in fine comburenda. *Matth. 13:* Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Et *post:* Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburrendum.

Item, sunt spinae et tribuli terrae: quae terra super se venientem bibens imbrem, proferens autem et spinas et tribulos, reproba est, et maledictio proxima, cujus consummatio in combustionem erit; *Hebr. 6.*

Item, hujusmodi homines sunt illa vinea quam Dominus excolens diligenter, expectavit dulcedinem vini, et ministrat ei amaritudinem. *Deut. 32:* Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Sed timendum est quod sequitur: Nonne haec condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore.

XXVII. De fructibus praedicationis minus bonis.

Circa tertium notandum est quod praedicatio interdum affert fructus aliquos, qui licet sint boni, tamen sunt minus salutares. Horum unus est intelligentia. *Ps. 118:* Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Sed quid prodest intellectus bonus non facienti? *Jacob. 4:* Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

Alius est delectatio. Sunt enim aliqui qui cum magna delectatione audiunt verbum Dei, sicut auditur dulcis cantus. *Ezech. 33:* Et est eis, scilicet sermo Domini, quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono cantatur. Sed improperatur quibusdam talibus, cum ad talem dulcedinem cantuum non movent pedes. Unde *Matth. 11:* Cecinimus vobis, et non saltastis: quia non sufficit hoc sine illo. Ideo in *Ps. 31:* Laetamini in Domino, scilicet in corde; et exultate, hoc est extra saltate per opera justi.

Alius est commotio. Sunt enim aliqui qui in praedicatione moventur interdum vel ad compunctionem, sicut illi de quibus dicitur *Act. 2:* His auditis compuncti sunt corde; vel ad timorem, sicut Felix, qui audito Paulo tremefactus est, *Act. 24;* vel ad aliquam bonam sollicitudinem, sicut illi qui predicante Paulo Athenis dixerunt, *Act. 18:* Audiemus te de hoc iterum; vel ad alium pium affectum, *Ps. 76:* Illuxerunt corruscationes tuae orbi terrae, scilicet praedicationes tuae; commota est et contremuit terra. Sed hoc non prodest quibusdam, quia statim post sermonem refrigescunt, sicut olla fervens elongata ab igne; sola vero hujusmodi commotio non sufficit ad salutem. *3 Reg. 19:* Non in commotione Dominus. Et notandum quod isti tres fructus praedicti sunt in corde secundum tres vires.

Alius est judicium. Sciunt enim multi optime judicare, dicentes: Bene dixit, male dixit, nimis fuit longus sermo, nimis fuit brevis,

nimis subtilis, nisi grossus, et hujusmodi, juxta illud *Job. 12:* Nonne auris verba dijudicat? Verum quid sunt hujusmodi verba? Nonne paleae? Qui ergo nihil aliud reportant de sermone, sunt quasi campus in quo nihil invenitur de tritico, sed solum paleae. Sed dicitur, *Jer. 23:* Quid palea ad triticum, dicit Dominus? Id est quid valet palea in comparatione ad triticum?

Alius commendatio praedicantis. Quod quidam faciunt ad modum illius mulieris, quae loquente Jesu ad turbas extollens vocem de turba dixit: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti; *Luc. 11.* Sed quia hoc parum prodest sine verbi impletione, dixit ei Jesus: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud! *Luc. 11.*

Alius est scientia docendi. Ad hoc enim aliqui audiunt libenter sermones ut addiscant et ipsi alios docere: sed quia hoc parum valet illi qui se primo non docet, dicit Apostolus, *Rom. 2:* Qui alios doces, te ipsum non doces. Porro isti alii tres fructus sunt in verbo solum, et ideo parum valent: quia non in sermone est regnum Dei, sed in virtute, sicut dicit Apostolus 1 *Cor. 14.*

Alius est conceptio boni propositi. Ideo dicitur verbum Dei semen, quia facit concipere ut semen. Sed sunt multi qui hujusmodi conceptum nunquam pariunt: et ideo parum prodest eorum conceptio. Propter quod dicitur 4 *Reg. 19*: Cum dolore venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.

Alius est consilii requisitio. Ad hoc enim interdum proficit sermo in aliquibus ut requirant consilium de salute sua. Unde *Act. 2,* compuncti in sermone Petri, dixerunt ad Petrum et ad alios Apostolos: Quid faciemus, viri fratres? Sed sunt multi qui etsi consilium requirant, tamen non faciunt, et ideo parum prodest eis: sicut infirmo parum prodest consilium medici non servatum, secundum philosophum in Ethicis. *Prov. 1*: Tunc invocabunt me, et non exaudiam. Et *post*: Eo quod non aquieverint consilio meo.

Alius est incoeptio boni. Sed sunt quidam qui non perseverant. *Luc. 8:* Nam qui supra petram, hi sunt qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt: et ideo non perducuntur ad salutem, quam sola perseverantia apprehendit.

Isti autem tres ultimi fructus sunt circa opus, vel conceptum, vel consultum, vel inchoatum.

XXVIII. De fructibus praedicationis optimis.

Circa quartum notandum est quod decem sunt fructus praedicationis valde boni, qui quandoque ex ea sequuntur.

Primus est conversio infidelium ad fidem, sicut patet in praedicatione Apostolorum et discipulorum Christi, quae totum mundum convertit ad Christum, *Act. 11*. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii et Cyrenaei, qui cum introissent Antiochiam loquebantur ad Graecos, annuntiantes illis Dominum Jesum, et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.

Secundus est poenitentia virorum malorum. *Luc. 11*: Viri Ninivitae poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae.

Tertius est humiliatio mundanorum. Multi enim de superbia saeculi humiliati sunt ad humilem vitam, propter auditum verbum Dei. 3 *Reg. 21*: Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam; jejunavitque, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.

Quartus est peccatorum confessio. Multi enim propter ea quae audiunt in sermonibus moventur ad confitendum quae nunquam fuerant confessi. *Matth. 3*: Tunc, scilicet praedicante Joanne, exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judaea, et regio circa Jordanem, confitentes peccata sua.

Quintus est receptio Spiritus Sancti. Multi enim in sermonibus eum recipiunt. *Act. 10*: Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus supra omnes qui audiebant verbum Dei.

Sextus est sanctificatio a peccatis. Habet enim verbum Dei potestatem sanctificandi, juxta illud *Joan. 17*: Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est; et *Joan. 15*: Jam vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis.

Septimus est augmentatio corporis Christi mystici, quia per praedicationem adjuncti sunt ei multi. *Act. 2*: Et appositae sunt in illa die animae circiter tria millia, scilicet ad praedicationem Petri.

Octavus est liberatio praedae diaboli. *Job. 29*: De dentibus illius

auferebam praedam. Quod exponitur de praeda diaboli quae eripitur per praedicationem.

Nonus est delectatio Angelorum. Delectantur enim cum audiunt per praedicationem Christi gloriam dilatari. *Cant. ult.*, dixit Christus: Ecce, quae habitas in hortis, amici auscultant te. *Glossa:* Id est angeli. In quo innuitur quod delectantur in hujusmodi auditu: hoc enim importat verbum auscultandi.

Decimus est effugatio diabolici exercitus. Ad praedicationem enim effugatus est diabolus cum exercitu vitiorum de multis provinciis, de multis civitatibus, de multis villis, de multorum cordibus. *Judic.* 7: Insistebant trecenti viri buccinis personantes, immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se caede truncabant fugientes. Quod exponitur de praedicatoribus Trinitatis.

XXIX. De auditu verbi Dei.

Circa quintum notandum est primo quare verbum Dei libenter est audiendum; secundo qualiter est audiendum.

Porro ad audiendum verbum Dei debet movere magnitudo loquentis. Libentius enim auditur persona quanto major est vel auctoritate, vel sapientia, vel aliis hujusmodi. Verba autem sacra non sunt tradita ab homine sicut verba aliarum scientiarum, sed ab ipso Deo inspirante. Et ideo dicit Dominus, *Luc.* 10, praedicatoribus: Qui vos audit me audit; quia sunt os ejus, verba ejus proferentes. Ad audiendum autem hac de causa verba sua dicebant prophetae in fine verborum: Dicit Dominus; quasi dicerent: Ideo debetis audire, quia non sunt haec verba mea, sed Domini.

Item, magnitudo materiae de qua est verbum Dei. Non est enim verbum Dei de materia modica vel vili, sed de magna valde. Et haec solent libentius audiri. Ideo dicit Sapientia, *Prov.* 8: Audite quoniam de rebus magnis loquutura sum.

Item, utilitas verbi. Verba enim juris prosunt ad res temporales, verba medicorum ad corporum sanitatem, verba philosophorum ad veritates sciendas: sed ista prosunt ad salutem. Ideo si auditur libenter documentum quod confert salutem corporis, quanto magis ista quae valent ad salutem animae! Et ideo dicit Jacobus, *Jac.* 1:

in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Item, situs aurium corporalium. Non enim sunt in homine versus terram, ut in pecudibus, sed sursum in capite. Quasi diceret: Natura ad hoc eas sic posuit, ut sint paratae ad audiendum verba superna. Ideo dicitur *Luc. 8*: Qui habet aures audiendi, idest ad audiendum Dei verbum factas, audiat.

Item, instinctus naturae. Naturaliter enim agnus, et pullus gallinae, currunt ad vocem matris: et sic in multis animalibus. Et ideo similiter faciendum est homini ad vocem sui Creatoris. Ideo dicitur *Joan. 8*: Qui ex Deo est verba Dei audit.

Item, frequentia admonitionum sanctarum. Quis enim posset numerare quoties scriptum est in Salomone, in David, in Prophetis, et in aliis libris sacris: Audi! Audite! Ideo Beatus Jacobus nullum excusans ab hoc dicit: Sit omnis homo velox ad audiendum, *Jacob. 1.*

Item, exemplum primitivae Ecclesiae, in qua ad sermones Joannis et Christi, etiam in deserto, undique concurrebant, sicut patet *Matth. 3* et *Joan. 6.* Si autem sic faciebant Judaei, quanto magis hoc debent facere Christiani?

Item, gratia specialis, quae in hoc aliquibus exhibetur. *Ps. 147*: Qui annuntiat verbum suum Jacob. Et *post*: Non fecit taliter omni nationi. Vae! autem gratiam talem repellenti! Ex hoc enim se judicavit vitae aeternae indignum. *Act. 13*: Quoniam repellitis verbum, indignos vos judicatis vitae aeternae.

Item, salarium hujusmodi doctoris. In aliis enim scholis datur salarium magistro a scholaribus: hic autem est e contrario, et non modicum. Quis enim dicere posset quot et quanta bona dat Dominus suis auditoribus? Ideo dicit Sapientia aeterna, *Prov. 8*: Beatus qui audit me, et qui vigilat ad fores meas tota die, et observat ad postes ostii mei! Sunt autem fores ejus praedicatores; et postes ostii sui, sacrae Scripturae.

Quia ergo tot sunt rationes pro audiendo verbo Domini bene dicitur, *Jer. 22*: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini!

Circa modum audiendi verbum Domini notandum quod sunt quidam qui quando percipiunt quod debeat apud eos fieri praedicatio,

tristantur, cum deberunt gaudere. *Ps. 118*: Laetabor ego super eloquia tua, quasi qui invenit spolia multa.

Alii sunt qui etsi veniant ad sermonem, tamen tardi. Quo contra, *Luc. 8:* De civitatibus properabant ad eum, scilicet audiendum; et *cap. 21*: Omnis populus manicabat, idest mane surgebat, ad eum venire, in templo audire illum.

Alii sunt qui ante completionem sermonis recedunt, juxta illud *Zach. 7*: Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes; et ideo amittunt quandoque indulgentias; quandoque orationes, quae fiunt in fine; quandoque quod melius est de sermone, quod interdum in fine servatur; quandoque meritum auditus, quia magis dependet illud a fine quam a principio. Perseverandum est ergo in sermone usque ad completionem, quia melior est finis orationis, idest loquutionis propositae, quam principium, *Eccle. 7;* sicut in quolibet opere bono, melior est consummatio quam inchoatio.

Alii sunt qui modo sedentes, modo stantes, modo egredientes, modo redeuntes, sic negligentes sunt in audiendo quod non apponunt aliquam curam, ut stando prope, vel in loco apto, et hujusmodi, possint audire vel intelligere quae dicuntur. Contra quos dicit Augustinus, *Hom. 27, lib. 5*: Non minus reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quam qui sua negligentia corpus Christi in terra cadere permiserit.

Alii sunt qui tumultum faciunt, cum e contrario requiratur ibi silentium auditorum. *Nehem. 8*: Porro levitae silentium faciebant in populo ad audiendam legem; et *Act. 13*: Surgens Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israelitae, et qui timetis Deum, audite!

Alii sunt qui alios inquietant modo intrando in turbam, modo exeundo, modo pingendo, modo modis aliis molestanda. Contra quod *Eccli. 5*: Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Quod ideo dicitur, quia sicut animal mansuetum non inquietat aliud animal, mordendo, vel percutiendo, vel aliter: sic debet se habere quilibet in sermone, ut pacifice audiatur.

Alii sunt qui hora sermonis, orantes, vel legentes, vel circa aliud hujusmodi occupati non possunt attendere ad ea quae dicuntur. Quo contra verbum Dei est attente audiendum, juxta illud, *Ps. 77*. At-

tendite, populo meus, legem meam: hoc est attente audite. *Act. 8*: Attendebant autem turbae his quae a Philippo dicebantur, unanimiter audientes.

Alii sunt qui cum fastidio audiunt. Quo contra avide et cum esurie est audiendum. *Act. 17*: Nobiliores qui erant Thessalonicae susceperunt verbum Dei cum omni aviditate.

Alii sunt quibus de facili vertitur verbum Dei in taedium propter prolixitatem sermonis. Quo contra dicitur de Judaeis, *Nehem. 8*: Legit Esdras de mane usque ad medium diem in conspectu virorum, et mulierum, et sapientium: et aures omnis populi erant erectae ad librum. Grandis res, quod in tam prolixo sermone nullus est attaediatus! Hoc ergo exemplo habenda est longanimitas in audiendo.

Alii sunt qui in sermone de facili incurrunt in impatientiam, propter aliqua quae quandoque dicuntur minus eis placentia. Sed e contrario patientia est eis necessaria in talibus. Unde, *Act. 26*, dixit Paulus ad Agrippam: Obsecro, patienter me audias.

Alii sunt qui nullum signum devotionis ostendunt in audiendo verbum Dei. Quo contra legitur de Maria quod sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Bernardus: Devote est verbum Dei suscipiendum et audiendum. Ut ergo debitus modus servetur in audiendo verbum Domini, suscipiendum est cum gaudio, veniendum est cum festinatione, perseverandum est usque ad completionem, audiendum est diligenter, silenter, pacifice, attente, avide, longanimiter, patienter et devote.

XXX. De impletione verbi Dei auditi.

Circa sextum notandum quod ex solo auditu sine impletione verbi sequuntur multa mala in auditore. Unum est conversio boni in malum. Agnitio enim justitiae, quae in se est bona, convertitur talibus in malum. 2 *Petr. 2*: Melius erat illis non agnoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.

Aliud est aggravatio peccati. Qui enim scit et non facit, magis reus est quam si nesciret, nec faceret. *Luc. 12*: Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non se praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Cur autem hoc? Quia plus offendit.

Aliud est abominatio. Magis est enim abominabilis qui cognitas sordes in se non abstergit, quam si nesciret. Talis autem est iste. *Jacob. 1*: Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.

Aliud est fatuitas operationis. *Matth. 7*: Omnis qui audivit verba mea, et non facit ea, similis erit viro stulto qui aedificavit domum suam supra arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flâverunt venti, et cecidit, fuitque ruina ejus magna.

Aliud est desperatio vitae, sicut est in habente abominationem stomachi. *Ps. 106*: Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis. Ergo cibus mentis est sermo Dei. Quisquis autem alimenta non retinet, hujus vita profecto desperatur.

Aliud est condemnatio coram Deo. *Joan. 12*: Si quis audierit verba mea, et non custodierit ea, ego non judico eum. Et *post*: Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die, idest erit occasio damnationis. Ideo dicitur *Matth. 5*: Esto consentiens adversario tuo, scilicet verbo Dei, quod adversatur voluntati humanae, cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.

Item, notandum quod ex completione verbi Dei auditi sequuntur multa bona; et unum est discipulatus Christi. Non enim solus auditus facit esse discipulum hujus magistri, sicut apud alios magistros fit: sed impletio verbi sui facit. *Joan. 8*: Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.

Aliud est amicitia ejusdem: quod plus est. *Joan. 14*: Qui habet mandata mea, scilicet praedicationem sibi traditam, et servat ea, ille est qui diligit me.

Aliud est fraternitas ipsius: quod maximum est. *Luc. 8*: Fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.

Aliud est benedictio Dei. *Hebr. 6*: Terra super se venientem bibens imbrem, et generans herbam oportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Domino.

Aliud est justificatio. *Ad Rom. 2*: Non enim auditores legis justi sunt, sed factores legis justificabuntur.

Aliud est beatificatio. *Luc. 2*: Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

Quia ergo tot mala sequuntur ex solo auditu verbi Dei sine impletione, et tot bona ex impletione verbi Dei auditi, danda est omnis opera ad implendum verbum auditum.

SEPTIMA PARS

DE ANNEXIS PRAEDICATIONI

Circa annexa praedicationi sciendum est quod ista sunt octo, scilicet discursus per mundum, conversatio inter homines, colloquutiones familiares, hospitatio apud extraneos, occupationes circa aliqua negotia hominum, requisitio consiliorum, auditus confessionum, prothemata materiae sermonum seu collationum.

Circa discursum praedicatorum notandum est quod significatus est in Scripturis. Sunt tamen aliqui ad hoc pigri: et ideo sunt ad hoc incitandi; aliqui vero circa hujusmodi discursum committunt aliqua reprehensibilia: et ideo sunt reprehendendi; aliqui vero in hoc se habent laudabiliter, et ideo commendandi. Dicendum ergo est primo de hujusmodi significatione, secundo de incitamentis ad hujusmodi discursum, tertio de reprehensibilibus circa hoc, quarto de laudabilibus circa istud.

XXXI. De significatione discursus in Scripturis.

Circa primum notandum est quod hujusmodi discursus significatus est per discursum nubium, quae modo versus orientem, modo versus occidentem, modo ad austrum, modo ad aquilonem discurrunt, ad magnificentiam Creatoris. *Deut. 33*: Magnificentia ejus discurrunt nubes. *Glossa*: Praedicando.

Item, per discursum fulguris. *Eccli. 9*: Dominus dedit discurrentia fulgura super terram. Gregorius: Vadunt fulgura, cum praedicatores miraculis coruscant, et superna reverentia auditorum corda transfigunt.

Item, per discursum animalium sanctorum, quae ostensa sunt Ezechieli euntia et redeuntia: quae significant praedicatores. *Ezech. 1*: Haec erat visio discurrens, idest visio discurrentium.

Item, per discursum equorum robustorum, de quibus *Zach. 6*: Equi, qui erant robustissimi, exierunt; quaerebant ire et discurrere per omnem terram. Equi siquidem sunt praedicatores, secundum *Glossam*, super illud *Job. 39*: Numquid circumdabis collo equi hinnitum?

Item, per discursum nuntiorum de quibus *Esth. 8*: Missae sunt litterae ex regis nomine per veredarios, qui per omnes provincias discurrentes veteres litteras nuntiis novis praevenirent. Quod exponit *Glossa* de praedicatoribus.

Item, per discursum militum, de quibus habetur 2 *Mach. 5*: Contigit autem per universam Jerosolymarum civitatem videri per dies quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastas. Quod ideo dicitur in mysterium, quia hujusmodi praedicatores toto tempore poenitentiae discurrunt per Ecclesiam.

XXXII. De incitamentis praedicatoris ad discurrendum.

Circa secundum notandum est quod licet praedicatores frequenter in Scriptura dicantur pedes, eo quod eorum est discurrere causa praedicationis, tamen sunt quidam qui ex pigritia quadam, vel aliis de causis minus bonis, de quibus supradictum est in titulo XVII *De causis frivolis retrahentibus a praedicatione*, tardi sunt ad exeundum in praedicationem, et ideo sunt ad hoc incitandi.

Sunt autem multa quae ad hoc incitare valent. Primum est sacrae Scripturae admonitio. *Prov. 6:* Discurre, festina, suscita amicum tuum.

Secundum est exempla excellentia. Ipse enim Christus, postquam incoepit praedicare, non habuit domum in qua reclinaret caput: sed circuibat per castella, et civitates, et per totam Galilaeam praedicans, ut dicunt Evangelia *Matth. 4*, et *Marc. 6*. Ipsi etiam Apostoli non leguntur habuisse proprias habitationes, in quibus morarentur: sed

euntes in mundum universum praedicabant ubique; *Marc. ult.* Quales ergo sunt praedicatores qui semper quiescere volunt in domibus, vel in claustris suis?

Tertium est aemulatio adversariorum. Pharisaei enim circumeunt mare et aridam, ut faciant unum proselytum, *Matth. 23.* Haeretici cum periculo corporis non cessant per domos et villas discurrere, ut pervertant animas, sicut significatum est in discursu vulpium Samsonis, *Judic. 15.* Ipse etiam diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, 1 *Petr. 5.* Magna verecundia! Isti discurrunt in damnationem animarum, et praedicatores quidam nolunt movere pedes pro salute earum!

Quartum est consideratio proprii officii. Non enim est officium praedicatoris stare, sed ire. *Joan. 15*: Posui vos ut eatis.

Quintum est necessitas hominum. Solent enim homines currere ad subveniendum proximis, cum instat eis periculum. Ideo dicitur, *Is. 18,* angelis, in figura praedicatorum: Ite, angeli, veloces ad gentem convulsam et dilaceratam.

Sextum est magna voluntas mittentis. Dominus enim adeo voluit praedicatores ire, quod propter persecutiones noluit eis parcere ab hoc. Unde, *Luc. 10,* dicit: Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Septimum est provocatio saecularium negotiatorum. Ipsi enim adeo sunt ardentes ad lucrum, quod non cessant multi eorum toto tempore vitae suae circuire per mundum pro lucris augendis. Et sic etiam fecerunt Apostoli, per diversas provincias discurrentes pro lucro animarum. Quid ergo dicent in die judicii, cum requiretur ab eis lucrum, quibus dictum est: Negotiamini dum venio, *Luc. 10;* et ipsi, sicut servus piger, ligant et abscondunt pecuniam domini sui, nec discurrunt ad lucrandum aliquid de ea? Gregorius super praedicto verbo: Ecce venit; de negotio nostro lucrum quaerit. Quale lucrum de negotiatione nostra demonstrabimus? Ibi Petrus cum Judaea conversa, quam post se traxit, apparebit; ibi Paulus, ut ita dixerim, mundum ducet; ibi Andreas post se Achajam, Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectu sui Judicis conversas ducent. Quid nos miseri tunc dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus?

XXXIII. De reprehensibilibus circa discursum praedicatorum.

Circa tertium notandum quod sunt quidam praedicatores qui ex sola levitate sunt faciles ad discurrendum. De quo *Jer. 14*: Haec dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos. Et hoc est reprehensibile. Unde sequitur: Et Domino non placuit. Quia, ut dicit Seneca, argumentum bonae mentis est secum consistere, et secum morari: et ideo a contrario sensu, contrarium est signum contrarii.

Alii discurrunt ut fugiant disciplinam claustri, sicut pueri fugiunt scholas. *Gen. 16*: Agar, affligente eam Sarai, quae significat religionem, fugam iniit. Sed dixit ei Angelus in *eodem*: Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu ejus.

Alii causa ventris, cum tenuem victum habent in claustro, sicut canes de quibus dicitur in *Ps. 58*: Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Isti sunt similes goliardis, qui eadem de causa discurrunt per domos diversas. Contra quod dicit Dominus discipulis suis, *Luc. 10*: Nolite transire de domo in domum, scilicet causa comestionis. Unde praemittitur: In eadem domo manete, edentes et bibentes quae apud illos sunt.

Alii sunt propter amicitiam carnalem volentes frequenter visitare modo istos, modo illos amicos carnales. Contra quod legitur in *Vitis Patrum* quod frater quidam noluit videre etiam matrem suam, quae venerat ad eum; sed mandavit ei quod sufficeret ei ut in alio saeculo videret eum. Sed dixit Psaltes, *Ps. 44*: Obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Quomodo igitur visitandi sunt frequenter quos oblivisci debemus?

Alii propter negotia saecularia, ut sunt testamenta, et hujusmodi. Contra quod dicitur, 2 *Tim. 2*: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit.

Alii ex curiositate volentes videre modo istos, modo illos: et scrutari quaedam, et audire ad eos impertinentia: similes mulieribus, de quibus dicitur, 1 *Tim. 5*: Otiosae discunt circuire domos: non solum otiosae, sed etiam verbosae, et curiosae; loquentes: quae non oportet. Isti sunt de genere illorum monachorum, quos beatus Benedictus vocat girovagos, et summe detestatur.

Alii ex indiscreta praelatorum missione qui nimis passim subditos

faciunt discurrere, et quandoque in damnum eorum non modicum. *Jer. 50:* Grex perditus factus est populus meus. Pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus. De monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.

Alii quod pejus est, quandoque praeter missionem obedientiae discurrunt ubi non mittuntur. *Jer. 23:* Non mittebam prophetas, et ipsi currebant. Quandoque etiam praeter formam suae professionis equitantes, vel pecuniam deferri facientes, et similia. Contra quod, *Matth. 10:* Praecipit ne quid tollerent in via, neque etiam virgam. Quandoque infructuose, fructum nullum facientes in via. Contra quod *Joan. 15*: Posui vos ut eatis, et fructum afferatis.

Postremo notandum quod ex nimietate discursus praedicatoris religiosi sequuntur tria mala. Primum est fastidium hominum. Nimietas enim fastidium generare solet. Ideo dicitur, *Prov. 25:* Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te.

Secundum est damnum proprium spirituale. Difficile enim est diu inter saeculares commorari, sine aliqua sui deterioratione. Seneca: Quoties inter homines fui, minus homo redii.

Tertium est vilipensio sui status. Ea enim de quibus major habetur copia solent minus appretiari. Ideo dicitur *Luc. 4:* Nemo propheta acceptus est in patria sua: in qua scilicet diutius est conversatus, et frequentius visus; et ideo hujusmodi nimietas, etiam si sit discursus rationabilis, est cavenda.

XXXIV. De laudabili discursu praedicatoris.

Circa quartum notandum est quod ad hoc ut discursus praedicatoris sit laudabilis, septem requiruntur. Primum est ut ad hoc habeat aptitudinem. Non enim quilibet ad hoc est aptus. Propter quod dicitur *Luc. ult.*: Vos autem, sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto.

Secundum est intentio fructus spiritualis, secundum illud *Rom. 1:* Obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis.

Tertium est ut condiatur obedientiae bono. Unde Isaias, licet haberet voluntatem eundi, tamen petiit hoc sibi imponi, dicens: Ecce ego: mitte me; *Is. 6.*

Quartum est ut cautelam circa se diligentem habeat. Facile enim viator amittit bona quae habet secum, vel per hostes, vel per casum, vel aliis multis modis, nisi sit cautus. Ideo dicitur, *Eph. 5:* Videte quomodo caute ambuletis.

Quintum est ut ubique sive in via, sive in domo, sive cum paucis, sive cum multis, intendat fructui faciendo. *Ps. 125:* Euntes, ibant et flebant mittentes semina sua, scilicet non solum stando, sed et eundo.

Sextum est ut laborem viae temperet. Quidam enim tantas diaetas faciunt, quod dum veniunt ad hospitium, nec celebrare, nec horas reverenter dicere, nec praedicare, nec alia hujusmodi facere possunt; sed solum quiescere habent necesse prae nimia fatigatione. Contra quod dicitur, *Ezech. 1,* de sanctis animalibus quae praedicatores designant: Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, qui scilicet incedit mature.

Septimum est ut iter suum continuis muniat orationibus, exemplo David, qui frequenter facit hujusmodi orationes. *Ps. 5:* Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Et ideo solent religiosi viri dicere speciales orationes quotidie pro itinere in quo sunt constituti.

XXXV. Quare praedicatori necessaria est bona conversatio inter homines.

Circa conversationem praedicatoris inter homines notandum est primo quare est necessaria bona conversatio inter homines, secundo in quibus consistit, tertio quae sunt quae valent ad eam habendam.

Circa primum notandum est quod ad praedicatorem pertinet ut sic vivat quod non solum in verbis, sed etiam in exemplis ejus glorificetur Deus, juxta illud quod dictum est primis praedicatoribus: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in coelis est; *Matth. 5.* Hoc autem confert bona conversatio. 1 *Petr. 2:* Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.

Item, praedicatorum interest procurare salutem aliorum modis quibus possunt. Quandoque vero melius procuratur per bonam con-

versationem quam per verbum. 1 *Petr. 3:* Mulieres subditae sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant. Si autem tam efficax est sola bona conversatio in muliere, quanto magis in praedicatore adjuncta verbo erit efficax!

Item, ad ipsos pertinet juvare infirmos non solum sermonibus vel orationibus, sed et meritis. Haec autem consistunt in bona conversatione: et ideo per illam juvantur infirmi frequenter. *Eccli. 38:* Ipsi vero Dominum deprecabuntur ut dirigat requiem eorum et sanitatem propter conversationem illorum. Quod exponitur de medicis tam corporalibus quam spiritualibus.

Item, debent honorare ministerium suum, exemplo Apostoli qui dicit, *Rom. 11:* Quamdiu ego quidem sum Gentium apostolus, ministerium meum honorificabo. Hoc autem fit per bonam conversationem. Propter quod dicitur, 2 *Cor. 6:* Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; *Glossa:* Ministerium apostolatus. Quod utique vituperaretur, si nos hoc faceremus, idest si quod verbo docemus, operis exemplo non exhiberemus.

Item, ipsorum est adversarios confutare in facie. Ad quod valet sancta conversatio. 1 *Petr. 3:* Cum modestia et timore bonam habentes conscientiam, ut in eo quod detrahunt de vobis confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Non solum autem confutare in facie, sed et eorum ora obstruere: ad quod valet eadem conversatio. 1 *Petr. 2:* Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Non solum autem ora eorum obstruere, sed et corda eorum reprimere. Quod fit etiam per sanctam conversationem. *Ad Tit. 2:* In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Patet etiam ex jam dictis, quod bona conversatio valet ad Dei glorificationem, ad animarum salutem, ad adjuvandum animos infirmos, ad honorandum officium praedicationis, ad resistendum adversariis. Quae omnia pertinent ad praedicatorem. Et ideo liquet quod necessaria sit ei bona conversatio inter homines.

XXXVI. In quibus consistit hujusmodi bona conversatio.

Circa secundum notandum quod multa sunt in quibus consistit bonitas conversationis praedicatoris inter homines. Primo in hoc quod sit bona coram Deo. Alioquin totum quicquid exterius praetenderetur esset hypocrisis. De hoc Paulus, *Act. 23:* Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum.

Secundo quod non sit solum bona in occulto coram Deo in conscientia, sed in publico coram hominibus. 1 *Tim. 4:* Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

Tertio quod non solum sit bona secundum quid, sed totaliter, idest quoad omnia. *Hebr. ult.:* In omnibus bene volentes conversari. Et quoad omnes; *Rom. 12:* Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Et ubique; 2 *Cor. 1:* In gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. Non solum in parte una, sed continue; *Act. 23:* In omni conscientia bona conversatus sum apud Deum, usque in hodiernum diem. Ideo dicitur; 1 *Petr. 1:* Sancti in omni conversatione sitis: in omni, scilicet quoad omnia, et quoad omnes, et in omni loco, et in omni tempore.

Quarto quod sit matura. Non enim decet praedicatorem aliquid puerile vel levitatis habere in moribus. Gregorius: Non facile praedicatio praedicatoris accipitur, si levis in moribus esse videatur.

Quinto quod sit firma. Sunt enim aliqui boni qui quando miscentur cum malis conformantur eis, sicut cameleon fit concolor ei cui applicatur, juxta illud *Ps. 105:* Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum. Quo contra dicitur, *Jer. 15:* Ipsi convertantur ad te, et tu non converteris ad eos.

Sexto quod sit fructuosa. Non enim convenit quod praedicator sit unquam otiosus apud eos inter quos conversatur: sed semper debet alicui fructui vacare, exemplo Pauli qui dicit, *Act. 20:* Per triennium nocte dieque non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

Septimo quod sit accepta, sive amabilis. De quo *Tob. ult.:* Omnis cognatio ejus et omnis generatio ejus in bona vita, et sancta

conversatione permansit, ita ut accepta esset tam Deo quam hominibus, et cunctis habitantibus terram.

Porro ad hujusmodi amabilitatem faciunt multa. Unum prudentia in verbis, *Eccli. 20:* Sapiens in verbis amabilem se facit.

Aliud est mansuetudo in operibus. *Eccli. 3:* Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.

Aliud est conformitas in moribus. Propter quod Paulus omnibus se conformabat, prout rationabiliter poterat. *Eccli. 13:* Omne animal diligit simile sibi.

Aliud est obsequium in negotiis. Unde sapiens: Obsequium amicos parat. Unde Paulus 1 *ad Cor. 10:* Per omnia omnibus placeo, quaerens non quod mihi utile est, sed quod multis. Quasi diceret: Propter hujusmodi obsequium placeo.

Aliud est humilitas in conversatione. *Eccli. 10:* Odibilis est Deo et hominibus superbia. Ex quo relinquitur a contrario sensu quod humilitas amatur ab hominibus.

Aliud est pietas in compassione. Hoc enim multum acceptat quilibet, quando invenit hominem sibi compatientem. *Eccli. 44:* Homines misericordiae invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

Aliud est evidentia virtutis. Tanta enim est vis virtutis, quod in quocumque manifeste apparet, facit eum amari; sicut dicitur de Sebastiano, quem Deus gratia sua perfuderat: Necessarium erat ut ab omnibus amaretur. Tullius *De amicitia:* Nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum.

XXXVII. De his quae valent ad habendam hujusmodi conversationem.

Circa tertium notandum quod quia scire quare bona conversatio est necessaria praedicatori, et scire etiam in quibus consistit parum prodest non habenti eam, ideo videndum est de his quae valent ad habendam eam. Horum autem unum est consideratio boni exemplaris: sicut patet in pictore, qui ad bonum exemplar, cum habet illud prae oculis, melius pingit. *Prov. 24:* Exemplo didici disciplinam. O quam bonum exemplum dedit de hoc Filius Dei! De quo Bernardus: O bone Jesu, quam dulciter cum hominibus conversatus es! Quam bonum Apostolus, qui senioribus presbyteris congregatis, in exemplum conversationis dicit ita, *Act. 20:* Vos scitis a prima die qua ingressus sum

in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim serviens Domino cum omni humilitate, et mansuetudine, et lacrymis, et tentationibus quae mihi acciderunt ex insidiis Judaeorum: quomodo nihil subtraxerim vobis utilium quominus anuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos.

Aliud est instructio, sicut patet in novitio qui ad instructionem magistri scit facere quae pertinent ad disciplinam, quae ante facere nesciebat. Circa hoc autem instruit idem apostolus praedicatorem dicens sic, 1 *Tim. 3:* Haec scribo tibi, fili Timothee, sperans me venire ad te cito: si autem tardavero, scias quomodo oportet te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi.

Aliud est mandatum, sicut patet in servo cui dicit dominus: Fac hoc et facit. Circa hoc autem dat idem mandatum cito praedicatori, dicens, *Tit. 2:* In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, et in integritate, et in gravitate.

Aliud est sapientia. Haec enim docet hominem bene conversari in medio pravae et perversae nationis. *Jacob. 3:* Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione opera sua in mansuetudine.

Aliud est studiositas, sicut patet in muliere, quae ad habendam pulchritudinem ornatui multum apponit studium. Et eodem modo sancti viri debent facere ad habendam pulchritudinem conversationis. *Eccli. 44:* Pulchritudinis studium habentes, idest pulchrae conversationis. Quod dicitur de viris sanctis.

Aliud est conatus. Difficile enim est inter sordes ambulare, et immaculatum se custodire. Et ideo magna cura est circa hoc apponenda. Et ideo beatus Petrus, loquens de virtutibus quae pertinent ad bonam conversationem, dicit, 2 *Petr. 1:* Vos autem magnam curam subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

Aliud est mutatio malae consuetudinis, sicut deponunt veteres vestes qui novis volunt indui ad ornatum. *Ephes. 4:* Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem. Et *post:* In-

duite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Aliud est diligentia circa custodiam sui ipsius. Facile enim amittitur bonum inter malos, nisi diligenter custodiatur, sicut et vestis in malis hospitiis. Ideo dicitur *Apoc. 16*: Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. Hujusmodi vero vestimenta sunt exterior bona conversatio.

Aliud est frequens immunditiarum contractarum ablutio, sicut fit de vestibus quae sordidatae lavantur ad hoc ut decentes sint; et ideo dicitur, *Lev. 15:* Si quis hominum horum, id est immundorum, aliquid tetigerit, lavabit vestimenta sua. Per quae significatur exterior conversatio. Et ideo viri sancti frequenter vitam suam considerant, et de ea inquirunt ab aliis. Et quod malum inveniunt, contritione, confessione et correctione abstergunt.

Circa colloquutiones familiares praedicatorum notandum est quod sunt quidam qui extra praedicationem sunt ita taciturni, quod quasi nunquam dicunt aliqua aedificatoria in familiari colloquutione cum hominibus. Et hoc est reprehensibile.

Alii vero sunt qui, quod pejus est, affluunt verbis incautis ad modum saecularium.

Alii vero sunt, qui medium tenentes, nec nimis tacentes, nec incaute loquentes, affluunt verbis aedificatoriis. Et hoc est laudabile.

XXXVIII. Contra praedicantes qui extra praedicationem non habent verba aedificatoria.

Circa primos notandum est primo quod hujusmodi exemplum non habent a Domino Jesu Christo. Ipse enim non solum in publicis praedicationibus, sed et in familiaribus colloquutionibus, affluebat verbis aedificatoriis. Quandoque in via: et hoc, modo ambulando, *Luc. ult.:* Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de Christo erant. Hoc autem factum est in via ambulando. Unde dicunt *post:* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et aperiret Scripturas?

Modo quiescendo in ipsa via. *Joan. 4:* Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Et sequuntur verba multa bona, quae ibi habuit cum muliere Samaritana.

Item, in via se concomitantibus. *Matth. 8:* Sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis quod multi ab occidente et oriente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno coelorum, etc.

Modo sibi occurrentibus. *Luc. 17,* dixit leprosis sibi occurrentibus: Ostendite vos sacerdotibus.

Item, quandoque in hospitiis: modo ante convivium dum parabatur convivium, ut patet in Maria, quae sedens ad pedes suos, audiebat verbum illius, dum Martha parabat, *Luc. 10.*

Modo in ipso convivio. *Luc. 14:* Dicebat autem et ad invitatos parabolam, attendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, etc.

Modo post convivium, ut patet *Joan. 13,* in sermone quem fecit discipulis post Coenam.

Item, quandoque de nocte, ut patet in verbis quae habuit cum Nicodemo, *Joan. 3;* quandoque de die, ut patet in verbis quae habet cum Nathanaële, *Joan. 1.*

Item, quandoque discipulis suis, ut patet frequenter in Evangeliis.

Item, quandoque adversariis. *Luc. 14:* Respondens Jesus dicit ad Legisperitos et Pharisaeos.

Item, non solum ante Passionem, juxta illud: Haec sunt verba quae loquutus sum vobis, cum adhuc esse vobiscum, *Luc. ult.;* sed post ressurrectionem; *Act. 1:* Per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.

Praeterea non solum Christus, sed et egregius praedicator reliquit hujusmodi exemplum, qui dixit, *Act. 20:* Per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

Habetur ergo exemplum a Christo, et a summo praedicatore post ipsum de his familiaribus colloquutionibus aedificatoriis.

Item, a quolibet sacerdote sic est faciendum. Unde Gregorius in homilia *Designavit,* ad sacerdotes sic dicit: Quisquis ad vos se junxerit, ex linguae vestrae sale condiatur. Cum vagantem quempiam et lubricum videmus, admonendus est ut cum coniuge fraenare stu-

deat iniquitatem suam: quatenus per hoc quod licet discat superare quod non licet. Cum coniugatum quempiam videmus, admonendus est ut sic exerceat curam saeculi, ne postponat amorem Dei; sic placeat voluptati coniugis, ut non displiceat Creatori. Cum clericum videmus, admonendus est quatenus sic vivat, ut exemplum vitae saecularibus praebeat: ne si quid in illo juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostrae aestimatio gravetur. Cum monachum videmus, admonendus est ut reverentiam habitus sui in actu, in loquutione, in cogitatione sua semper circumspiciat, ut ea quae mundi sunt perfecte deserat, et quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus praetendat. Iste igitur jam sanctus moneatur ut crescat; ille vero qui adhuc iniquus est, moneatur ut se corrigat: quatenus quisquis se ad sacerdotem junxerit, sale sermonis illius conditus a malo recedat. Haec Gregorius.

Praeterea non solum sacerdotibus est hoc mandatum, sed etiam cuilibet christiano. Unde summus Papa Petrus, 1 *Petr. 4:* Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Et summus doctor, *Ephes. 4:* Omnis sermo malus ex ore vostro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Quid ergo debent circa hoc facere praedicatores quorum est docere, cum quilibet sacerdos, immo quilibet christianus de hoc habeat mandatum?

Item, notandum quod colluquutio specialis de bono frequenter fructuosior est proximo quam sermo communis: et hoc duabus de causis. Una est quia in illa suadetur homini de magis sibi necessariis: sicut medicus de magis competentibus loquitur infirmo in domo sua, quam in loquutione communi in scholis. Et sic facere docemur, *Eccli. 37,* ubi dicitur: Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, et cum iniusto de iustitia, et cum muliere de his quae aemulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione.

Alia causa autem est quia hujusmodi verba frequenter altius infiguntur, sicut sagitta directa in aliquem frequenter infigitur for-

tius in illo quam si jaceretur in incertum. Unde *Tob. 4,* dixit pater ad filium loquens ei familiariter: Audi, fili mi, verba oris mei, et ea in corde tuo quasi fundamenta, quae scilicet profunde jaciuntur, construe. Quibus auditis respondens filius dixit: Omnia quae praecepisti mihi faciam. Quis, obsecro, sic unquam dixit de omnibus auditis in sermone communi?

Item, notandum quod hujusmodi sermones valent ad famam sic loquentis. Maximum enim argumentum est quod homo Deum multum habet in corde, cum de ipso libenter et frequenter loquitur. Unde Gregorius: Apud omnes homines corda pensamus ex verbis. Et Isidorus: Mores hominum pandit lingua; et qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Et ideo hujusmodi homines, qui de Deo frequenter loquuntur, solent boni et sancti homines reputari.

Item, valent ad meritum. Quia sicut operarius qui laborat manibus, quanto frequentius applicat manus ad opus, tanto plus lucratur: ita praedicator, quanto frequentius utitur lingua in bonum, non solum in communi sermone, sed et in singularibus exhortationibus, tanto plus meretur. Ideo dicitur *Eccli. ult.:* Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam.

Sequitur ergo ex hujusmodi colloquutionibus utilitas propria praedicatoris, et quoad famam, et quoad meritum.

Patet ergo ex jam dictis quod sunt quatuor quae movere debent praedicatorem ad affluendum verbis aedificatoriis in familiaribus colloquutionibus, videlicet exemplum majorum, mandata minorum, fructus ad proximum, utilitas propria.

XXXIX. Contra praedicatores qui in familiaribus colloquutionibus loquuntur vana, ad modum saecularium.

Contra secundos notandum quod quidam praedicatores sui status immemores, in colloquutionibus familiaribus affluunt verbis vanis. Et impletur in istis illud *Ps. 40:* Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur. Et *post:* Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum. Quia sive ingrediantur claustrum ad contemplandum, referunt rumores forinsecus vanos fratribus; et egredientes idem faciunt cum saecularibus.

Porro hoc solet accidere quandoque ex istinctu diabolico. Libenter enim procurat diabolus ut os quod Dei laudes personat, et

fructum animarum procurat, per verbum hujusmodi vilificetur, et fiat aliis in malum exemplum. Chrysostomus super *Matth.*: Omnis sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur.

Quandoque ex cordis vanitate. Lingua enim non educit de corde, nisi quod est in eo: et ideo vana loquens lingua vani cordis est indicium. Isidorus: Sermo vanus vanae conscientiae, vani cordis est index.

Quandoque ex inconsideratione. Multi enim non praemeditantur quae loquuntur: sed quicquid venit ad os hoc statim proferunt, et ideo frequenter affluunt verbis vanis. Exemplum in *Vitis Patrum*, ubi dicitur quod duo fratres ibant ad visitandum beatum Antonium. Cum autem essent in via, adjunctus est eis quidam senex volent ire ad eumdem. Cum autem essent in navi, illi fratres loquebantur multa inania. Et cum venissent ad beatum Antonium, dixit Antonius illis fratribus: Bonum socium habuistis itineris senem istum? Et illi dixerunt: Bonum. Iterum dixit seni illi: Bonos socios habuisti itineris fratres istos? At ille dixit: Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet januam: quicumque voluerit ingreditur, et soluit asinum. Hoc autem dixit quia quicquid veniebat eis ad os loquebantur. Contra quod dicitur de viro justo quod os ejus meditabitur sapientiam, *Prov. 10*, quia praemeditabitur de iis quae loquitur. Ambrosius: Sermo prius veniat ad limam quam ad linguam.

Quandoque ex inopia bonorum verborum. Propter hoc enim multi vana loquuntur, quia non habent in promptu aliud quod loquantur. Sed in hoc casu melius esset tacere cuilibet, ut ex hoc, etiamsi stultus esset, sapiens reputaretur. *Eccli. 20*: Est autem tacens non habens sensum loquelae.

Quandoque ex longo consortio cum hominibus vaniloquis. Ex hoc enim accidit quod addiscunt linguam eorum, et suam obliviscuntur, licet sit melior: sicut Gallicus commorans inter homines alterius linguae suam linguam pro parte obliviscitur, et aliam addiscit. *Nehem. ult.*: Filii Judaeorum quorumdam ex media parte loquebantur azotice et nesciebant loqui judaice, et loquebantur juxta linguam populi et populi. Et hoc propter uxores patrum, quae erant illius linguae.

Quandoque propter defectum staterae. Sicut enim accidit in domo in qua non datur vinum vel annona ad mensuram, quod nimis effunditur inutiliter: ita et stultus, qui non moderatur in statera verba sua, effundit verba superflua; *Eccli. 21.* Gregorius: Qui verba sua metiri nesciunt, proculdubio ad otiosa verba dilabuntur. Sunt autem multae rationes quare praedicatores debent valde cavere ab hujusmodi verbis. Ipsi enim sunt os Dei, juxta illud *Jer. 15:* Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Quod exponitur de praedicatore. Valde autem est indecens quod os Domini proferat hujusmodi verba.

Item, os praedicatoris est fons unde egreditur dulcis aqua sapientiae. Unde contra naturam est quod inde egrediatur amaritudo verbi stulti. *Jacob. 3:* Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

Item, os praedicatoris consecratum est ad divina. Et idem magis cavere debet a saecularibus verbis: quod enim consecratum est Deo, non debet in usus saeculares redigi. Bernardus: Os tuum consecrasti Evangelio: nugis iam aperire illicitum est, assuescere sacrilegum.

Item, boni praedicatores non sunt de hoc mundo, sicut et Christus non fuit de hoc mundo: sed desursum sunt, sicut et Christus. Et ideo cum vadunt per mundum, non debent dimittere linguam coelestem propter linguam mundi, sicut Gallicus, quocumque vadat, non de facili dimittit linguam propter aliam, et propter nobilitatem linguae suae, et patriae suae. *Joan. 3:* Qui est de terra, de terra loquitur. Et *post:* Quem autem misit Deus, verba Dei loquitur, non mundi.

Item, pueri in scholis, quibus imposita est lex loquendi latinum et non romantium, quando incidunt etiam casualiter in verbum romantium, statim puniuntur cum ferula in confusionem suam: quanto magis digni sunt confusione et poena, illi quorum interest loqui utilia, quando loquuntur vana! *Matth. 12:* De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines reddent rationem in die judicii. Quanto magis praedicatores!

Item, dicit Bernardus de sacerdote: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent: non nugas aut fabulas. Quanto magis hoc requiritur ab illo qui et sacerdos et praedicator est, ut nugas vel fabulas os ejus non proferat!

Item, legitur in *Vitis Patrum* quod duae sorores, uxores duorum fratrum habitantium in eadem domo, dixerunt adinuicem quod de ore earum non egrederetur verbum saeculare usque ad mortem. Magna verecundia! Mulieres quibus non licet praedicare, sic cavent a verbis saecularibus: et praedicatores in verbis saecularibus se infundunt!

Item, dicit Isidorus, *De Summo bono:* Vani sermones in ore christiani esse non debent. Nam sicut mali mores colloquia bona corrumpunt, ita bonos mores colloquia mala. Si autem hujusmodi corruptio verborum sic cavenda est a quolibet christiano, quanto magis a praedicatore, cujus est verbis alios aedificare!

Item, saeculares, si loquantur saecularia, habent qualemcumque excusationem, quia non noverunt Scripturas, in quibus continentur utilia ad loquendum: praedicatores vero qui Scripturas noverunt, non possunt hujusmodi excusationem habere. Ambrosius: Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei et opera quae fecit, in *Genes.* et in *Exod.* et in *Levit.* et in *Num.*, et in *Deut.*, et in *Jhesu Nave,* et in *Judic.*, et in *Esdr.*, et in *Regum,* et in *Evangeliis,* et in *Actibus Apostolorum,* si illis praetermissis loquaris quae saeculi sunt, et audias quae saeculi sunt.

Item, dicit Gregorius in *Dialogis:* Loquendo cum saecularibus fit ut ab otiosis ad noxia, a levibus ad graviora veniamus, et os nostrum ab omnipotente Deo tanto minus exaudiatur in prece, quanto amplius inquinatur stulta loquutione. Ex quo apparet quantum damnum incurrit sibi praedicator hujusmodi verbis affluens, qui pro utilitate aliorum discurrit, cum ex hoc cassae fiant ejus orationes, ad quas recurrere debet praedicator post praedicationis laborem.

XL. De praedicatoribus quibus est cura habere verba aedificatoria.

Circa tertios notandum est quod praedicatores qui in colloquutionibus privatis intendunt alios verbis aedificare, multa debent considerare. Gregorius: Pensare debet doctor quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, et quantum loquatur; et adde et qualiter loquatur.

Porro consideranti quid loquatur notandum est quod in hujusmodi loquutionibus quandoque dicenda sunt verba sancta, quandoque exempla aliqua bona recitanda, quandoque etiam aliqua verba saecularia referenda.

Sed circa verba sancta hujusmodi attendendum est ne passim quaelibet proferantur, sed solum valde notabilia, et quoad claritatem ut bene intelligantur, et quoad amabilem materiam ut libenter audiantur, et quoad utilitatem ut conferantur.

Circa exempla vero attendendum est ut sint competentis auctoritatis, ne contemnantur; et verisimilia, ut credantur; et aliquam aedificationem continentia, ne inutiliter proferantur.

Circa verba vero saecularia, si quandoque dicantur, propter quamdam cum hominibus conformitatem, tamen cavendum est ne talia dicantur quae sint longe a verbis Dei, juxta illud 1 *Petr. 4:* Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Et hujusmodi etiam rara dicantur; et cum dicuntur, aliqua spiritualis utilitas admisceatur eisdem.

Consideranti vero cui loquitur notandum quod sunt quidam quibus hujusmodi verba non sunt dicenda, sicut dictum est supra in titulo XVIII, *De indiscreta praedicationis executione;* quibusdam vero quibus etsi sit loquendum, non tamen a quolibet. Non enim decet quod quilibet modicae auctoritatis vel gratiae majoribus sic loquatur, juxta illud *Eccli. 32:* In medio magnatum non praesumas, et ubi sunt senes non multum loquaris. Quidam vero sunt quibus omnes habentes sensum loquelae loqui possunt, ut sunt minores, et simplices, et laici.

In consideratione vero quando loquitur, cavendum est quod non loquatur omnibus hominibus, nisi quando sunt sobrii: quia in tali statu viget ratio ad intelligendum; et quando sunt liberi ab occupationibus: non enim Dominus loquebatur Marthae occupatae, sed Mariae vacanti; et quando sunt ad audiendum parati, quia ubi non est auditus non est sermo effundendus: ideo Dominus volens loqui Pharisaeo, paravit sibi primo audientiam praedicens ei: Simon habeo tibi aliquid dicere; et ille: Magister dic. *Luc. 7.* Tunc autem maxime verba hujusmodi in medium sunt proferenda, quando caute et latenter possunt per hujusmodi verba saecularia et mala verba interrumpi.

In consideratione vero quantitatis loquutionis videndum est ne nimis continue, vel nimis multa, vel nimis prolixa loquatur, ne fasti-

dium genereretur. Tunc ergo erit modus in quantitate moderatus, quando interpolate, et pauca numero, et brevia proferentur.

In consideratione vero modi loquendi, notandum quod varius modus est habendus secundum varietatem personarum, et juxta doctrinam Pauli dicentis, 1 *ad Tim. 5:* Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; juvenes, ut fratres; anus, ut matres; juvenculas, ut sorores in omni castitate.

Item, quandoque loquendum est ad partem secreto; quandoque coram aliis, secundum doctrinam Salvatoris; *Matth. 18.*

Item, quandoque pauca et breviter, quandoque diffusius, secundum conditiones personarum, et materias de quibus est sermo.

Sunt et alia multa de ista materia supra in titulo XVIII, *De indiscreta praedicationis executione.*

XLI. De his quae requiruntur circa hospitalitatem pauperum praedicatorum.

Circa hospitalitatem pauperum praedicatorum notandum quod sunt quidam qui ex minore fiducia de Deo, quandoque quando discurrunt sunt nimis solliciti de hospitio in quo habeant necessaria. In quorum reprehensionem dicit Dominus, *Luc. 22:* Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.

Alii sunt qui non solum sunt circa hoc solliciti, sed propter hoc declinant interdum loca in quibus majorem fructum facerent, declinantes mala hospitia, et sectantes bona. Et hoc est contra exemplum Salvatoris, qui frequentius praedicabat in Jerusalem: ubi tamen cum praedicasset, propter defectum hospitii, oportebat eum recedere circa noctem, et ire in Bethaniam causa hospitii, sicut patet *Matth. 21,* in textu, et in *Glossa* finali.

Alii sunt qui pejus facientes, propter hujusmodi diffidentiam portant aliquam provisionem sibi interdictam. Contra quod dicitur *Luc. 9:* Nihil tuleritis in via, neque peram, neque pecuniam, neque panem.

Alii sunt qui minus cauti circa hospitii conditiones animadvertendas, quandoque declinant ad personas infames vel suspectas. Contra quod dicitur, *Matth. 10:* In quacumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit. *Glossa:* Testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne ejus infamia praedicatio laedatur.

Alii sunt qui multas superfluitates in cibis et potibus vel procurant, vel sustinent pro se fieri: quod est valde indecens in pauperibus Christi. Contra quod dicitur, *Luc. 10:* Edentes et bibentes quae apud illos sunt. Quasi diceret: Sufficiant vobis quae sunt in domo: itaque propter vos nihil extra quaeratur.

Alii sunt qui in hospitiis signa sanctitatis parva aut nulla ostendentes, non relinquunt de se aliquam bonam famam. Quo contra dicit hospita Elisei ad virum suum de Eliseo, 4 *Reg. 4:* Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui pertransit per nos frequenter. Et vide quantum ex hoc augmentata fuit in ea devotio; nam sequitur: Faciamus ei coenaculum parvum, et ponamus in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos maneat ibi.

Alii sunt qui ex nimia frequentatione gravant hospites devotos. Sed Paulus ut hoc caveret etiam propriis manibus laborabat. 1 *Thess. 2:* Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

Alii sunt qui ab hospitibus multa beneficia recipientes, tamen ingrati eis nihil rependunt. Quo contra legitur de viris sanctis quod valde grati extiterunt hospitibus suis pro eis laborantes apud Deum, et apud homines. Exemplum Eliae qui pro filio viduae hospitae suae clamavit, 3 *Reg. 17:* Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus? Et ad preces ejus suscitatus est.

Item, exemplum de Eliseo, 4 *Reg. 4,* qui dicit hospitae suae: Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis. Quid vis ut faciam tibi? Numquid habes negotium, et vis ut loquar regi, sive principi militiae? Qua respondente se carere filio, ei filium impetravit; et eumdem postea defunctum suscitavit.

Item, exemplum de Paulo, qui dicit, *Rom. ult.:* Commendo vobis Phoeben sororem nostram, quae est in ministerio Ecclesiae, quae est Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa astitit multis, et mihi ipsi. Ista mulier, secundum *Glossam*, erat nobilissima, et sustentabat ecclesiam quae erat Cenchris, et venerat Romam pro quibusdam negotiis, et ideo Paulus gratus ei pro ea sic rogabat.

Alii sunt qui contra eos qui eis negant hospitia commoti, quandoque prorumpunt in obloquutiones, et alia mala verba. De quibus, *Luc. 9:* Ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. Et misit nuntios ante conspectum suum, et euntes intraverunt civitatem Samaritanorum ut pararent illi, et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes dixerunt: Domine, vis dicimus ut descendat ignis de coelo, et consumat illos, sicut Elias fecit? Sed notandum quod Dominus statim compescuit illos; unde sequitur: Et conversus illos increpavit dicens: Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare.

Ex praedictis colligitur quod ad bonum praedicatorem Christi pauperem pertinet non esse multum sollicitum de hospitio, nec propter hoc loca apta fructui declinare, vel provisionem portare; suspecta cavere hospitia, ubique paucis esse contentum, bonam famam post se in hospitio relinquere, a gravamine hospitum cavere, hospitantibus gratos esse, negantibus hospitium non indignari.

XLII. De occupationibus praedicatorum circa negotia saecularia hominum.

Circa occupationes praedicatorum circa negotia hominum, notandum quod sunt quidam praedicatores qui adeo hoc refugiunt, quod etiam in piis negotiis non juvant auditores suos: similes struthioni, qui de pullis suis non curat. Verum hoc exemplum non habetur a Domino: Ipse enim ita compassus fuit turbae sequenti sermones suos, quod pavit eos in deserto miraculose, ne deficerent in via; *Joan. 6.* Auditoribus suis etiam conferebat sanitates, et alia beneficia multa. *Act. 10:* Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.

Paulus etiam modo scribebat pro conversis ad fidem, sicut patet *Rom. ult.,* et 1 *Cor. ult.;* modo faciebat collectas pro eis, sicut patet 1 *Cor. ult.,* et 2 *Cor. 9;* modo ex compassione sic erat sollicitus pro eis, quod dicit, 2 *Cor. 2:* Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?

Apostoli etiam in primitiva Ecclesia sic curabant de his qui

convertebantur, quod omnibus necessaria ministrabant, sicut patet in *Act. Apost.* in fine.

Praeterea tanta cura est haereticis perfectis de auditoribus suis, quod non cessant discurrere et congregare eleemosynas, ut de illis sustentent credentes suos pauperes, et alliciant alios socios ad credendum eisdem: quanto magis pertinet hujusmodi pium opus ad veros praedicatores!

Praeterea super illud *Joan. 6:* Pasce oves meas, dicit *Glossa:* Terrena subsidia, si necesse fuerit, providete; et super illud *Petr. 5:* Pascite qui in vobis est gregem Domini providentes, dixit *Glossa:* Providentes subditis de omnibus necessariis.

Patet ex jam dictis quod pertinet ad bonum praedicatorem non ita se abstrahere a negotiis auditorum, quin pro loco et tempore in piis negotiis et necessitatibus juvet eosdem. Unde Gregorius, in *Pastorali, part. 2:* Quidam sic sibimet vacare appetunt ad spiritualia, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime occurrunt. Quorum nimirum praedicatio plerumque despicitur, quia dum delinquentium facta corripiunt, et tamen eis necessasia vitae praesenti non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem sermo doctrinae non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiae non commendat. Tunc autem semen verbi facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas praedicantis rigat.

Alii sunt qui e contrario circa negotia hominum nimis implicantur: modo circa negotia amicorum, modo circa negotia mulierum, modo circa quoscumque ad se occurrentes; de quibus Gregorius in *Pastorali, part. 2:* Nonnulli velut obliti quod fratribus animarum causa praelati sunt, toto cordis nisu saecularibus curis inserviunt; has, cum adsunt, se agere exultant; ad has, cum desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidae aestibus anhelant. Cumque ab his cessante oportunitate quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent, si actionibus deprimuntur; laborem reputant, si in terrenis negotiis non laborant.

Et notandum quod ex hujusmodi nimia occupatione in praedica-

tore paupere et religioso sequuntur tria mala. Primum est deturpatio status sui. Quod deplorans Jeremias, secundum Gregorium in *Pastorali,* dicit *Thren. 4*: Quomodo obscuratum est aurum, et mutatus est color optimus? Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Gregorius: Aurum obscuratur in terrenis actibus, sanctitas vitae polluitur. Color optimus mutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, existimatio minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore mutato ante humanos oculos, ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii lapides in plateas disperguntur, cum causarum saecularium foras lata itinera expetunt hi qui ad ornamentum Ecclesiae internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii, vacare debuerunt.

Secundum est debacchatio diaboli. Hujusmodi enim occupationes saeculares sunt quasi retia. Et quando diabolus praedicatorem, quem multum persequitur, invenit illaqueatum in hujusmodi occupationibus, facilius capit eum, et desaevit in eum sicut venator in feram quam invenit in retibus. *Job. 18:* Immisit enim in rete pedem suum, et in maculis illius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis, idest diabolus, secundum *Glossam;* qui dicitur sitis, quia sitit mortem hominis.

Tertium est impedimentum praedicationis. Hujusmodi enim occupationes impediunt sic occupatum a praedicatione. Quod cavendum est praedicatori. Ideo dicitur praedicatoribus, *Luc. 10:* Nolite portare peram. Gregorius: Quid per peram, nisi onera saeculi? Qui ergo praedicationis officium suscipit, dignum est ut onus saecularium non portet, ne, dum hoc ejus colla deprimit, ad praedicandum coelestia non assurgat.

Et nota quod Dominus ne impediretur praedicatio, cohibuit discipulum a sepultura patris dicens, *Luc. 9*: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, et annuntia regnum Dei.

Item, propter hoc idem noluit ut discipuli aliquem salutarent in via, dicens, *Luc. 10:* Neminem per viam salutaveritis. Gregorius: Praedicatori neminem per viam salutandum conceditur, ut sub quanta festinatione iter praedicationis peragi debeat ostendatur.

Item, propter hoc voluit ut de necessariis vitae curam sollicitam

non haberemus, dicens, *Luc. 10:* Nolite portare sacculum. *Glossa* Gregorii: Ne dum mens eorum occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna.

Si ergo sepultura patris, salutatio in via, provisio necessariorum, sunt dimittenda propter impedimentum praedicationis, quanto magis alia negotia saecularia?

Patet ergo quod propter status honorem, et propter insidias hostis, et propter praedicationis impedimentum, cavendum est praedicatori ab hujusmodi occupationibus.

Ad hoc etiam facit quod Jethro gentilis reprehendit Moysen super nimia occupatione circa negotia populi, *Exod. 18.* Si autem ille qui curam habebat super hoc reprehensibilis fuit, quanto magis praedicator hujusmodi cura carens! Gregorius in *Pastorali, part. 2:* Moyses Jethro alienigenae reprehensione judicatur quod terrenis negotiis populorum stulto labore deserviat, moxque sequitur consilium ut pro se alios ad negotia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spiritualium arcana cognoscat.

Hinc est etiam quod Paulus apostolus viros aptos ad spiritualia nolens occupari circa hujusmodi negotia, dicit 1 *Cor. 6:* Saecularia negotia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum. Gregorius: Ut ipsi videlicet terrenis dispensationibus inserviant, quos dona spiritualia non exornant.

Hinc est etiam quod Salvator voluit summos et primos praedicatores esse pauperes, ne per occupationem circa negotia temporalium intellectus eorum circa spiritualia obscuraretur. Gregorius, *ubi supra:* Subjectis vero inferiora agenda sunt, a rectoribus summa cogitanda; ut scilicet oculum, qui providendis gressibus praeeminet, cura pulueris non obscuret.

In quo notandum est quod qui nolunt praedicatores circa propria temporalia in aliquo occupari, non multum acceptant quod circa aliena temporalia nimis occupentur.

Quia ergo reprehensibile est in praedicatore et a negotio hominum se omnino abstrahere, vel in aliis se nimis ingerere, dicit Gregorius in *Pastorali* de rectore, cujus est etiam per praedicationem aliis prodesse: Sit rector interiorum curam in exteriorum occupa-

tione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus quae foris debet proximis non impendat. Hinc est quod dicitur *Eccli. 44:* Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Gregorius, *ubi supra:* Sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subiectorum nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent: sed tondentes tondeant, videlicet capita sua, ut et curae temporalis sollicitudinis, quantum necesse est, provideant; et tamen recindantur citius, ne immoderatius crescant.

Circa hoc ergo tenendum est medium. Ad quod tenendum debet praedicator cavere ne unquam se occupet circa negotia saeculum sapientia, ut est occupatio circa negotia carnalia carnalium amicorum; sed circa talia quae Dominum sapiant, ut sunt opera pietatis, ut sunt tractatus pacis, intercessio pro personis miserabilibus, consilium dare simplicibus, et hujusmodi. Inde est quod Paulus, qui interdicit Timotheo circa negotia saecularia occupationem, incitat eumdem ad opera pia, dicens, 1 *Tim. 4:* Exerce autem te ipsum ad pietatem.

Item, quia ipsius interest cavere ab offensis hominum, ne impediatur fructus animarum, exemplo Pauli, qui per omnia omnibus placebat, sicut 1 *Cor. 10* dicitur. Debet cavere odiosas occupationes, ut sunt receptio compromissorum, inquisitiones, visitationes, et hujusmodi judicialia, in quibus frequenter oportet multos offendere. Unde Dominus cuidam dicenti sibi ut diceret fratri suo ut cum eo divideret haereditatem, *Luc. 12,* respondit: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? Si ergo judex vivorum et mortuorum, factus praedicator, hujusmodi judicialem occupationem sic remittit, quanto magis alii quicumque pauperes praedicatores debent hoc facere!

Item, sunt quaedam negotia periculosa, quae incertos eventus habent, ut procuratio matrimoniorum, ut promotio ad dignitates vel beneficia Ecclesiastica, assistere magnatibus in consiliis, et similia. Haec debet similiter evitare praedicator sapiens, ne dum alios vult juvare, se ipsum perdat. Quid enim prodest homini si universum

mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? sicut dicitur *Matth. 16.*

Item, sunt quaedam quae sunt nimis prolixa, ut exequutio testamentorum, cura personarum aliquarum, obligatio per provisiones ad aliqua facienda, et similia. Et haec etiam sunt cavenda praedicatori, qui semper debet se servare liberum ad suum officium exequendum. Propter quod signanter dicit Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, 2 *Tim. 2.* Implicare enim est sic intrare, quod non possit homo exire cum voluerit.

Item, hujusmodi negotia, si quandoque assumuntur, semper potius sunt assumenda ex necessitate quam ex amore. Unde Gregorius in *Pastorali:* Saecularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda.

XLIII. De consiliis praedicatorum.

Circa consilia danda a praedicatoribus notandum est quod frequenter solet accidere quod homines veniant ad praedicatores causa consiliorum. Unde, *Luc. 3,* dicitur quod turbae, et publicani, et milites venerunt ad Joannem praedicantem in deserto, quaerentes ab eo: Quid faciemus.

Item, *Matth. 19,* dicitur quod quidam accedens ad Dominum Jesum Christum dixit ei: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?

Item, *Act. 2,* dicitur quod praedicante Petro, auditis verbis ejus, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: Quid faciemus, viri fratres?

Sed notandum quod quidam accedebant ad Dominum interrogantes eum non animo bono, sed animo tentandi. *Matth. 19:* Accesserunt ad Jesum Pharisaei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Et dicunt iterum Pharisaei eidem tentando: Licet censum dare Cesari, an non? Et *Luc. 10:* Quidam legisperitus surrexit tentans eum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? Verum Dominus circa tales caute se habuit, et cognoscendo eorum astutias, et prudenter respondendo, sicut patet in eisdem capitulis, dans in hoc exemplum futuris praedicatoribus, ut se similiter ad tales haberent.

Alii sunt qui interdum quaerunt consilia de temporalibus: quod

etiam non est negandum, cum pietas hoc requirit, ab illis qui noverunt in talibus; exemplo Joseph, qui dedit consilium Pharaoni de congregandis fructibus pro communi bono terrae; *Gen. 41.*

Alii sunt qui quandoque requirunt consilia de corporali necessitate, ut infirmi. Quod etiam non est negandum ab eis qui in talibus noverunt; exemplo Pauli qui consuluit Timotheo modico vino uti, propter stomachum et frequentes infirmitates; 1 *Thim. 5.*

Alii sunt qui, quod melius est, requirunt interdum consilia de pertinentibus ad animam et ejus salutem; et circa hoc cum majori diligentia est praedicatori vacandum, quia ex his, si bona vel mala fuerint, salus vel damnatio dependet.

Verum sunt aliqui qui dant interdum mala consilia de pertinentibus ad salutem. Et hoc quandoque ex ignorantia: et ideo a sapientibus semper sunt quaerenda consilia, et non a fatuis, ne erretur propter eorum ignorantiam. *Eccli. 8:* Cum fatuis consilium non habeas.

Quandoque ex pusillanimitate. Non enim audent dicere quidam quibusdam magnatibus in consiliis veritatem, dissimiles valde Joanni Baptistae, qui dicebat audacter Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui; *Marc. 6.*

Quandoque propter adulationem. Quidam enim volentes placere quibusdam, loquuntur placentia circa restitutiones, et hujusmodi, quae gravia sunt: similes prophetis illis malis de quibus dicitur *Ezech. 13:* Vae! qui consuunt puluillos suos sub omni cubito manus, et cervicalia sub capite universae aetatis, ad capiendas animas! Quod secundum expositorem, moraliter exponitur de adulantibus peccatoribus in malis suis. Quia sicut super puluillum et cervical requiescitur, ita peccatores propter hujusmodi adulationes quiescunt in malis suis.

Quandoque propter falsam pietatem, sicut faciunt illi qui compatientes quibusdam pauperibus, dant eis fiduciam quod non oporteat eos omnia vendere propter restitutiones, et similia. Contra quod dicitur *Exod. 23:* Pauperis non misereberis in judicio.

Quandoque propter cupiditatem, sicut faciunt illi sacerdotes qui de eis de quibus debent fieri restitutiones faciunt missas celebrari,

vel fieri anniversaria, et hujusmodi, ut haec ad eos deveniant. *Ezech. 13* dicitur de eis: Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt, mentientes populo meo.

Quandoque propter favorem hominum habendum, sicut faciunt illi qui dicuntur facere bonum forum de poenitentiis, ut plures ad eos concurrant. Isti sunt similes Absaloni, qui omnes venientes ad judicium dicebat habere causam bonam, ut post se populum traheret, 2 *Reg. 1.*

Porro ex hujusmodi malis consiliis sequuntur multa mala. Unum est deceptio sic consultorum. Confidunt enim in hujusmodi consiliis, et sic decipiuntur, quia per haec non excusantur quin eis imputetur si ea faciunt. *Eccli. 27:* Facienti consilium nequissimum super ipsum devoluetur. Et ideo dicitur in *eodem libro 37:* A consiliario malo serva animam tuam.

Aliud est damnificatio aliorum multorum. Interdum enim consilium malum datum alicui nocet aliis multis, sicut patet in Roboam, qui ad consilium malum juvenum populum multum gravare studebat: unde multa mala secuta sunt in toto regno Israel; 3 *Reg. 12.* Sic etiam ex malo consilio dato alicui magnati circa regnum terrae suae multa mala sequuntur in subditis suis.

Aliud est propria damnificatio sic consulentis. Non enim excusatur male consulens circa salutem animae, sicut nec medicus male consulens circa salutem corporis et ignoranter, quin cum caeco, quem ipse caecus ducit consulendo, cadat in foveam. Ideo dicitur 2 *Paral. 19:* Quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

Aliud est confusio status consulentis. Sicut enim redundat in confusionem curiae alicujus magnatis, cum habet malos consiliarios: ita redundat in confusionem alicujus ecclesiae, vel collegii, vel religionis, cum habet malos consiliarios circa animarum salutem. Ideo Dominus in consolationem Ecclesiae destitutae bonis consiliariis dicit, *Is. 1:* Restituam judices tuos ut fuerunt, et consiliarios tuos sicut antiquitus; scilicet ut fuerunt in statu primitivae Ecclesiae.

Aliud est periculum praelatorum. Vertitur enim in periculum animarum eorum, cum tales ponunt circa animas consulendas qui

non habent adhuc competentem sufficientiam: ideo Mathathias non dedit quemlibet filiis suis pro consiliario, sed probatum et sufficientem, dicens, 1 *Machab. 2*: Simon, frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite semper. *Deut. 16:* Iudices constitues et magistros, idest tales judices qui sint, vel reputari possint magistri.

Aliud est scandalum finale. Licet enim aliquanto tempore lateant hujusmodi consiliarii animarum, tamen interdum denudantur, et venit ad notitiam praelatorum majorum eorum insipientia, et sequuntur inde multa mala, scandala et turbationes. *Job. 12:* Adducit consiliarios in stultum finem. Quod exponitur secundum *Glossam* de quibusdam malis praedicatoribus.

Deinde notandum quod ad vitandum hujusmodi periculum animarum circa consilia, notandum est et studendum diligenter hujusmodi consiliariis circa ea quae traduntur a sapientibus circa restitutiones, circa simonias, circa censuram ecclesiasticam, circa irregularitates et dispensationes in eis, circa vota, circa matrimonia, circa juramenta et promissiones: quoniam circa haec magnae et periculosae difficultates occurrunt. Et sunt horum duo prima de jure naturali, duo alia de jure positivo inducta, quintum vero ab hominis voluntate inductum circa Deum, sextum vero ab eodem circa hominem, septimum vero ab eodem circa utrumque.

Item, ad idem vitandum reservandi sunt casus difficiles, cum occurrunt, majoribus et sapientibus, sicut dicit Moyses, *Deut. 1*: Si difficile aliquid vobis visum fuerit, referte ad me, et ego audiam.

Item, quandoque differenda est responsio, ut interim deliberetur melius, et consilium habeatur, exemplo Job, qui dicit: Causam quam nesciebam diligentissime investigabam; *Job. 29.*

Item, quandoque sub quadam dissimulatione, quasi non habeatur potestas in hujusmodi casu, vel alia occasione, hujusmodi dimittenda est responsio. Melius est enim nullum consilium *(de)* incertis dare, quam incerta proferre. *Eccli. 5:* Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tua super os tuum.

Ex praedictis colligitur quomodo quaeruntur consilia a praedicatoribus; item, circa quae danda sunt consilia ab eisdem; item, ex quibus causis interdum dant mala consilia circa animarum salutem;

item, quanta mala sequantur ex hujusmodi consiliis pravis; item, de rimediis contra ista prava consilia.

XLIV. De auditu confessionum a praedicatoribus.

Circa audientiam confessionum a praedicatoribus notandum quod multi in praedicatione commoti solent interdum libenter venire ad confitendum praedicatori: sed sunt aliqui praedicatores qui omnino refugiunt confessiones audire, quamvis ad hoc habeant competentem sufficientiam. Isti sunt similes agricolae, qui libenter seminat, et nihil vult metere. Per praedicationem enim seminatur, per confessionem vero colligitur fructus. Quo contra, *Is. 37:* Seminate et metite.

Alii sunt qui etsi confessiones interdum audiant, tamen nolunt audire, nisi solum aliquarum personarum specialiter. Sed sicut auditorium in judicio forensi dicitur esse commune, ita et auditorium in foro animae. *Deut. 1:* Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum.

Alii sunt qui licet multos et diversos audiant pro tempore, tamen in audiendo praeferunt quandoque personas minus peccatrices, minus indigentes magis indigentibus. Contra quod est illud, *Matth. 9:* Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. Dicitur quod cum quidam joculator esset in quadam ecclesia in quadragesima, et observaret venientes ad confessionem ad quemdam bonum virum, vidit quod ipse semper primo recipiebat juvenculas ad confessionem, repellens vetulas cum se ingerebant. Quo viso recedens incoepit clamare per vicos et plateas: Vetulae non habent animas! Vetulae non habent animas! Cum autem super hoc delatus fuisset episcopo civitatis quasi haereticus, et accusatus coram eo, et requisitus fuisset si ista dixisset, respondit constanter quod sic, et paratus erat hoc probare. Data autem super hoc audientia, dixit: Domine, vos nostis bene talem sacerdotem, quod sit bonus homo et bonus clericus? Quo concesso, dixit: Vidi oculis meis quod non vult recipere vetulas ad confessiones, sed solum juvenculas. Constat autem quod si haberent animas, magis indigerent confessione quam juvenculae, quae minus vixerunt, et minus peccaverunt. Ex hoc ergo quod ipse et bonus homo est, et bonus clericus, et non vult audire vetulas, relinquitur quod vetulae non habent animas. Quo dicto, versum est verbum ejus in risum.

Et vere non est solum risus, sed et derisus, quando pueri innocentes, et juvenculae, et beghinae, et hujusmodi, qui non multum indigent, praeferuntur peccatoribus magnis in confessione, cum non sit opus valentibus medicus, sed male habentibus sicut dicitur *Matth. 9.*

Alii sunt qui quamvis minus personati, vel minus firmi contra tentationes, vel minus sufficientes in sensu vel natura, non timentes pericula scandalorum, vel tentationum quae oriuntur ex his quae in confessione audiuntur, vel consiliorum quae oportet dare in confessione, audacter se exponunt ad confessiones audiendas omnium, inducti quandoque curiositate audiendi secreta hominum; quandoque amore standi cum hominibus, quia secum vix stare possunt; quandoque zelo animarum quem habent, sed non secundum scientiam: quia dum alios nituntur trahere ad salutem, cum ipsis interdum pereunt, sicut qui naufraganti interdum vult succurrere projiciens se cum illo in periculum perit cum illo, *Eccl. 3:* Qui amat periculum, peribit in illo.

Alii sunt qui tanta zelotypia ligati sunt cum personis confitentibus sibi, quod non possunt aequo animo portare quod aliis confiteantur, quamvis certum sit quod expedit multoties quod infirmus multis medicis suam infirmitatem ostendat. Non sic fecit Salvator, sed leprosos ab eo petentes misericordiam misit ad alios dicens eis, *Luc. 17:* Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Alii sunt qui auditum confessionum vertunt ad quaestum, magis attendendo interdum fructum temporalem, qui inde sequitur, quam animarum salutem. Quo contra dicit Apostolus, *Philip. 4:* Non quia quaero datum, sed requiro fructum, scilicet spiritualem. Et, 2 *Cor. 12:* Non quaerimus quae vestra sunt, sed vos.

Alii sunt qui occasione confessionum tantas contrahunt familiaritates cum mulieribus aliquibus interdum, quod se ipsos et religionem maculant turpiter. Quod quam grave sit ostendit Augustinus dicens: Pejus est quam moechia continentiam ducere criminosam, et infamem facere sanctimoniam. Blasphemiam ingerit religioni, et continentiae bonum frustra interius laborioso agone custodit qui forinsecus officit et infamat.

Alii sunt qui circa confessiones minus instructi, aut de instru-

ctionibus super hoc traditis non curantes, frequenter male se habent in exequendo hoc officium: quandoque in inquirendo, quandoque in absolvendo, quandoque in consulendo, quandoque in aliis multis, de quibus habetur copiose in *Tractatu de officiis Ordinis, Cap. ult.*, cum tamen non sit virtus vel ars laudabilis in faciendo aliquid, sed in bene faciendo, juxta quod dicitur *Marc. 7:* Bene omnia fecit.

Ex praedictis colligitur quod ad praedicatorem, si sit sufficienter idoneus ad confessiones audiendas, pertinet quod eas libenter audiat, et in audiendo personas non accipiat, magis indigentes minus indigentibus praeferat. Reprehensibile est autem quod minus sufficiens ad eas audiendas sit nimis pronus. Item, quod confitentes sibi, si aliis confiteantur non graviter ferat, vel confessionum audientiam ad quaestum non vertat, vel earum occasione nimias mulierum familiaritates non contrahat, vel in exequendo minus bene in aliis se habeat.

XLV. De prothematibus.

Circa prothemata notandum quod quandoque non oportet prothema aliquod vel orationem sermoni praemittere, sicut in capitulis religiosorum qui ex usu habent frequenter sermones apud se solos familiares.

Aliquando vero sufficit solum orationem praedicatore petente praemittere, sicut in parochiis in quibus fiunt sermones frequenter.

Quandoque vero praeponenda sunt prothemata sermoni: ut quando sunt sermones valde solemnes; vel quando expectatur multitudo auditorum, quae nondum venit; vel quando sermo fit ex improviso, ut ante sermonem innotescat causa sermonis praesentis.

Porro circa prothema providendum est ut sit tam breve, quod fastidium non generet, ne sermo sequens totus vertatur in taedium, si primo proposita fuerint fastidiosa.

Item, quod sit tam gratiosum, quod auditores reddat attentos et benevolos, et dociles, sicut faciunt auctores in prooemiis librorum.

Item, quod semper in fine prothematis devote petantur orationes ab auditoribus pro habenda gratia in sermone, exemplo Pauli qui dicit, 2 *Thess. 3:* Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur.

Notandum vero quod prothema quandoque sumitur a persona

praedicantis, ut quando aliquis ignotus praedicator de ordine Fratrum Praedicatorum, vel Minorum, vult praedicare in aliqua parochia, in qua est ignotus ipse et status ordinis sui, exponit in principio statum suum et ordinis sui, ne forte credatur esse quaestuarius praedicator, dicens illud Pauli, 2 *Cor. 12:* Non quaerimus quae vestra sunt, sed vos; vel quod insufficientiam suam cognoscens, ipsam praetendit exemplo Hieremiae, *Hier. 1:* A, a, a, Domine, quia puer ego sum, et ecce nescio loqui; vel quando necessitatem quam habet praedicandi ratione officii praelationis vel obedientiae, exponit, dicens illud 1 *Cor. 9:* Si non evangelizavero, vae mihi! Est necessitas mihi, Necessitas enim mihi incumbit; et similia.

Quandoque vero sumitur ab iis quibus praedicatur, ut cum quando praedicator proponit thema per quod inducere intendit auditores ut non solum audiant, sed potius audita faciant, juxta illud *Jac. 1:* Estote factores verbi, et non auditores tantum; vel proponit thema per quod ostendit diversitates auditorum, in quorum multis perit praedicatio, vel in aliquibus proficit, secundum illam Salvatoris parabolam, *Luc. 8:* Exiit qui seminat etc.; vel cum bonis auditoribus bona promittit, malis vero mala minatur, juxta illud *Hebr. 6:* Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, etc.; et hujusmodi multa.

Quandoque sumitur a materia de qua praedicatur: sicut cum praedicatur de aliqua re alta et profunda, ut est Trinitas, Incarnatio, Sacramentum corporis Christi, et hujusmodi, proponitur verbum per quod petitur ut detur intellectus ad loquendum de his ut oportet, exemplo Pauli qui dixit, *Colos. 4:* Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi; vel cum praedicatur de re laudanda, ut de sanctis qui laudandi sunt ad Dei gloriam, ad ipsorum honorem, ad hominum utilitatem, proponitur verbum pertinens ad eorum laudem, juxta illud *Eccli. 44:* Laudem eorum annuntiat Ecclesia; vel cum praedicatur de re multum utili ad salutem, ut est poenitentia, sumitur verbum per quod invitantur auditores ad audiendum libenter hujusmodi praedicationem, juxta illud *Jac. 1:* In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Quandoque sumitur a verbo proposito pro themate, ut cum est

obscurum et difficile ad intelligendum, proponitur verbum per quod petitur Spiritus Sanctus, ut eodem Spiritu exponatur quo fuit editum, juxta illud *Sap. 9:* Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis; vel cum est de magna materia, proponitur verbum per quod ratione magnitudinis hujusmodi incitantur auditores ad diligenter auscultandum, juxta illud, *Prov. 8*: Audite me, quoniam de rebus magnis loquutura sum; vel cum ostenditur magnitudo loquentis: in quolibet enim verbo divinae Scripturae non loquitur homo, sed Deus, quia Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Propter quod dicebant frequenter Prophetae: Audite verbum Domini. Quasi dicerent: Ideo debetis audire, quia Dominus est qui loquitur. Et hujusmodi multa.

Quandoque sumitur a tempore in quo fit praedicatio, sicut in Adventu ostenditur quod justum est praedicare de pertinentibus ad tempus illud, cum de illo prophetaverint omnes prophetae, juxta illud *Act. 3:* Omnes prophetae, a Samuel et deinceps, qui loquuti sunt, annuntiaverunt dies istos; vel cum in Quadragesima, quod est tempus poenitentiae, ostenditur quod justum est tunc praedicare de poenitentia, cum Joannes et Salvator exemplo hujus temporis de hoc primo et principaliter praedicaverint; vel cum in tempore Paschali ostenditur quod indignum est quod in illo tempore taceat lingua carnis, quo tempore caro resurrexit auctori, sicut dicit Gregorius; et similia.

Quandoque sumitur a conditione praedicationis, ut cum ostenditur quod debet tendere ad fructum, juxta illud 2 *Cor. 2:* Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei: quod fit quando non quaeritur fructus, sed voluptas; vel cum ostenditur quod debet esse facilis, juxta illud *Prov. 14:* Doctrina prudentis facilis; vel cum ostenditur quod debeat esse brevis, juxta illud *Cant. 4:* Sicut vitta coccinea labia tua; et similia.

Sic ergo patet quod interdum prothemata sunt praeponenda sermoni, quandoque vero non; item, qualia debent esse; item, a quibus sumenda sunt diversimode.

Hic explicit tractatus De Eruditione Praedicatorum. *Cui postea adjunxit Humbertus noster suum tractatum alterum* De modo prompte cudendi sermones: *egregium sane opus, sed a re nostra alienum, quo centum continentur schemata* « *Sermonum seu collationum ad omne genus hominum;* » *et alia centem* « *secundum varietatem negotiorum in Ecclesia.* »

EPISTOLAE

BEATI HUMBERTI DE ROMANIS

EX CAPITULIS GENERALIBUS AD ORDINEM SCRIPTAE (1)

I.

(an. 1254).

Filiis (2) in Filio Dei charissimis fratribus universis Ordinis Praedicatorum in provincia Franciae constitutis Frater Humbertus, ejusdem ordinis servus inutilis, salutem in Domino Jesu Christo.

Quod in persona cujuslibet praelati humilitatis affectu Sponsa dicit in *Cant. 1:* Vineam meam non custodivi, hoc non tam mihi dicendum in veritate comperi quam plangendum. Sive enim propriam conscientiam vineam meam vocem, sive commissam mihi prius ad regendum provinciam, (3) vere neutram prout oportuit custodivi: et tamen, permittente Domino, secundum suorum inscrutabilem abyssum judiciorum, Fratres nostri, quibus eligere Magistrum Ordinis ex officio incumbebat, posuerunt me custodem in vineis, provinciis videlicet nostri ordinis universis. Et ecce post multas fluctuationes et angustias in mari praelationis diversae toleratas, cum ad portum suspirarem

---

(1) Epistolas Humberti encyclicas e Capitulis Generalibus Ordini missas, hic subjicimus, quales invenire licuit. Quia variis ex monumentis depromptae sunt, hinc illa nos singillatim de unaquaque epistola indicabimus. — (2) Prima haec epistola, post electionem ad Magistri officium continuo scripta, mutatis mutandis singulae provinciae missa videtur. Habetur autem ex Archivio publico Divionensi, Cod. Membran., n. 220, fol. 109. Hanc nec non et alias, infra notandas qua eodem archivio asservatas, nobis officiosissime exhibuit A. R. P. Ligiez, cui nullus, nisi ignarus, vel piger aut invidus, eximias laudes propter innumera documenta spectantia Ordini vel undequaque investigata, vel malevolis erepta, vel caeteris incuriosis asservata, non tributurus sit.

quietis (et) securitatis propriae, qui periclitabar in aliorum regimine, in profundam pelagi altitudinem repentino venti turbine retro actus, horrore non mediocriter concutior et stupore, considerans quantis quamque perniciosis subjaceam periculis, qui pene defeceram in minoribus paulo ante; attendens pariter quantae cogar succedere sanctitati, tantorum patrum sedium tam indignus; quantae insuper fratrum praeesse cogar excellentiae tam modicus et tantillus; quantorum denique pateam oculis, factus spectaculum toti mundo. Miseremini ergo mei, miseremini affectu pariter et effectu, vos, amici mei, charissimi fratres et filii, continuam et vestris orationibus habentes mei memoriam, et Ordinis in me periculis expositi non modicis, aliisque de me timentibus idipsum curetis negotium devotius commendare! Miseremini etiam, quaeso, vestri! Quanto minus sufficientem vos sentitis habere rectorem, tanto magis unusquisque periculum proprium expavescat! Quanto pauperior est vobis pater, tanto thesaurizare vobis satagite cumulos meritorum; providentes bona coram Deo et hominibus, pro honestate detis operam efficacem secundum evangelicae ac regularis observantiam disciplinae. Haec enim quanto faciet (1) (minus) mihi periculum reddendae in vos rationis, (2) tanto efficacius portandi ipsius oneris taedium super omnia relevare poterit, et subortam mihi ex hoc cordis amaritudinem dulcius consolari. Filius Dei benedictus in saecula procurare dignetur per gratiam suam.

Datum post Generale Capitulum Budae celebratum, anno Domini MCCLIV.

II.

(an. 1255).

Charissimis (3) in Christo Fratribus Praedicatoribus universis frater Humbertus, servus eorum inutilis, salutem in omnium Salvatore.

---

(1) Cod.: faceret. — (2) Cod.: ministratio rationis. - Quae corrupte dicta videntur. — (3) Tres epistolas hoc anno, scilicet 1255, scripsit ad Ordinem B. Humbertus: quarum duas priores ipse solus misit; tertiam vero una cum fratre

Noverit vestra dilectio quod cum Dominus Papa Alexander charitative nos monuisset (1) ac diligenter, ut super quaerimoniis, quas multi praelati de diversis partibus contra ordinem nostrum movebant, tale consilium apponeremus ne Ecclesia Romana cogeretur aliquid grave nobis super hoc ordinare, Nos, auditis (2) quaerimoniis praedictis et memoriae commendatis, habita super iis collatione cum diffinitoribus capituli generalis Mediolani celebrati, de consilio eorum omnium et assensu, prout continetur inferius duximus ordinandum.

Una quaerimonia est quod aliqui dant et ministrant interdum sacramenta Eucharistiae, vel Baptismi, vel Extremae Unctionis. Super hoc ordinamus ut non fiat (3) nisi in casu necessitatis, vel de licentia Episcoporum vel sacerdotum, nec est utendum talibus (4) licentiis, nisi multum rationabilis causa hoc exigat.

Alia est quod fratres diebus Dominicis et Festivis recipiunt parochianos alienos ad divina officia, et ita non veniunt (5) ad parochias suas sicut tenentur. Super hoc ordinamus (6) ut non fiat, et quod fratres praedicent, et doceant, et consulant, tam publice quam private, quod parochiani debeant diebus praedictis ad suas parochias convenire, et ibidem audire divina officia, et mandata Eeclesie devote suscipere, et oblationes debitas reddere; nec debent fratres scienter aliquid facere vel dicere ad hoc ut dicti parochiani retrahantur a suis ecclesiis, et ad nostras veniant. (7)

Alia est quod fratres praedicant illa die vel hora qua Episcopi praedicant, non deferentes (8) Episcopis prout debent, et per hoc

---

Joanne Parmensi, Minorum Generali ministro ad utrumque Praedicatorum et Minorum Ordinem scripsit. - Hanc praesentem ex codd. Ruthenensi et Florentino Codicibus exhibemus, de quibus fusius dicendum erit in *Capitulorum Generalium Collectione*. Adnotasse hic sufficiat Ruthenensem saeculi XIII desinentis esse, Florentinum vero Humberto coaevum. Istius tamen, qua incorrectioris, varias lectiones in margine addimus plerumque. - De rebus hac epistola significatis cf. Brémond *Bullar. Ord.* De Consensu Bullar. *Tit.* VII, IX, etc. — (1) Cod. Flor.: admonuisset. — (2) Cod. Flor.: ne Romana Ecclesia aliquid grave nobis super hoc ordinaret. Nos vero auditis..... — (3) Cod. Flor.: Super quo dicimus quod hoc non fiat. — (4) Cod. Flor.: Nec est utendum licentiis in talibus. — (5) Cod. Flor.: ita quod non vadunt. — (6) Cod. Flor.: Super quo dicimus. — (7) Cod. Flor,: conveniant. — (8) Cod. Flor.: nec deferant.

dant occasionem (1) ut Episcopi pauciores habeant auditores. Super hoc ordinamus ut illa hora qua Episcopus praedicat, vel alius loco ejus facit solemnem praedicationem et consuetam, fratres non faciant sermonem ad populum, nisi forte in casu aliquo hoc fieret de ejus beneplacito.

Item, si interdicunt Episcopi quod de tota illa die fratres non praedicent, acquiescant eis. (2) Si verò in iis casibus vellent concedere Episcopi quod fratres Praedicatores praedicarent, et non Minores, non utantur fratres istis licentiis, nisi communiter concederentur utrisque, ne ex hoc aliqua turbatio nascatur inter fratres Minores et nostros.

Alia est quod faciunt praedicationes in diebus Dominicis et Festivis, quibus debent parochiani convenire ad ecclesiam, illa hora qua debent populi ad suas parochias convenire, et sic retrahuntur a suis parochiis parochiani. Super hoc ordinamus quod in locis in quibus habemus domos, Fratres non faciant sermones (3) in domibus nostris, vel in plateis, vel locis communibus hora praedicta, nisi hoc fieret in casibus aliquibus de licentia Episcopi, vel beneplacito sacerdotum, vel in festis nostris, vel nisi essent ecclesiae nostrae parochiales.

Alia est quod fratres praedicant in parochiis ante receptionem oblationum, et hac ratione (4) defraudantur sacerdotes oblationibus consuetis. Super hoc ordinamus ut hoc non fiat contra beneplacitum sacerdotum, nisi forte in casu de ordinatione Episcopi. (5)

Alia est quod fratres ordinant fere de omnibus testamentis, et defraudantur clerici de bonis quae solebant eis de testamentis obvenire. (6) Super hoc ordinamus quod fratres non se ingerant notabiliter ad testamenta; sed si aliquando eos contigerit interesse, (7)

---

(1) Cod. Flor.: et occasionem dantes per hoc ut. — (2) Cod. Flor.: ne tota die illa praedicent, tunc fratres acquiescant eis. — (3) Cod. Ruth.: sermonem. — (4) Cod. Flor.: occasione. — (5) Cod. Flor.: Unde ad hoc ordinamus quod hoc non fiat nisi ad beneplacitum sacerdotum, nisi forte in casu et de voluntate episcopi. — (6) Cod. Flor.: fratres ordinant de omnibus testamentis, et tunc defraudantur clerici bonis illis quae solebant eis de testamentis talibus evenire. — (7) Cod. Flor.: si autem eos aliquando interesse.

debent inducere testatores ad benefaciendum ecclesiis suis et clericis, cum ad hoc multis de rationibus (1) teneantur.

Alia est quod occasione fratrum amittunt ecclesiae saecularium sepulturas, quia relictis ecclesiis saecularibus, multi apud nos sepulturas eligunt, et non redditur eis (2) a fratribus portio quae secundum jura debetur de bonis quae fratribus obveniunt occasione sepulturarum. Super hoc ordinamus quod nullus frater avertat aliquem quin eligat sepulturam in ecclesia sua; si autem aliquis sepultus fuerit apud nos, reddant fratres sine omni difficultate ecclesiis a quibus assumuntur corpora quicquid secundum varias consuetudines ab aliis ecclesiis in casu simili fieri consuevit.

Alia est quod occasione fratrum videntur saeculares aversi a sacerdotibus et a clero. Super hoc ordinamus quod fratres tam publice quam private inducant laicos ad exhibendum reverentiam praelatis, sacerdotibus et clero; ad reddendum eis jura, et foveant eos (3) in devotione ad ecclesias saeculares.

Alia est quod fratres audiunt confessiones sine licentia Episcoporum et sacerdotum. Super hoc ordinamus quod fratres propter indulgentias Ordinis non omittant quin petant licentias de (4) audiendis confessionibus ab Episcopis vel sacerdotibus parochialibus.

Hanc autem ordinationem nostram volumus in scriptis deferri ad quemlibet conventum totius ordinis, et diligenter servari. (5)

Datum Mediolani, in Capitulo Generali, (6) anno Domini MCCLV. (7)

---

(1) Cod. Flor.: causis. — (2) Cod. Flor.: eis ob hoc. — (3) Cod. Flor.: faveant eis. — (4) Cod. Flor.: pro. — (5) τὸ « in Capitulo Generali, » ex cod. Flor. — (6) In *Capitulorum Generalium Collectione* edendus erit elenchus authenticus Decem articulorum S. Pontifici a nostris exhibitus de modo et ratione pacem cum clero habendi. Qui elenchus in Cod. Ruthen. min., sic a nobis dicto, de quo alias, asservatur, p. 320. — (7) Qui turbas adversus Fratres praedictis rationibus suscitatas recte intelligere voluerit legat tunc temporis poetas vulgares, v gr. Rutebenf, Guill. de Lorris, aliosve a DD. Méon, Jubinal, etc. editos.

III.

(an. eod.).

Charissimis (1) in Dei Filio Fratribus universis Frater Humbertus, servus eorum inutilis, salutem, et in hac valle lugubri de sancti Spiritus consolatione gaudere.

Apostolicis qui praesunt edocentur exemplis ut de sibi commissis subditis tantam gerant sollicitudinem quod non solum praesentes verbo, sed etiam absentes scripto, spiritualibus illorum commoditatibus vigilanter intendant. Quid enim aliud resonant illae sanctae (2) epistolae quas Apostolorum sollicitudo tam studiose conscripsit, et misit Christifidelibus per nationes diversas? O sollicitudo felix! O felices epistolae! O felix plane sollicitudo et omni laude dignissima, quam non occupatio mundana, non cura rei familiaris, non caro et sanguis, sed solus zelus animarum induxit! Felices certe epistolae et omni praeconio extollendae, quae nihil carnale, nihil saeculare redolent, sed solum Spiritum sapiunt, et totum fecerunt mundum redundare coelestium charismatibus gratiarum!

Recordamini, Benedicti Domini, quomodo fratres sanctae memoriae, quos divina providentia pro diversis temporibus dedit nobis, imitantes haec Apostolica digna omni imitatione exempla, frequenter sal.berrimas, et nunquam oblivioni tradendas transmisere nobis epistolas. (3)

Et videte quanta cura de communi bono totius Ordinis, et singulorum fratrum profectibus spiritualibus fuit illis, qui cum suam non potuerunt nobis omnibus exhibere praesentiam, ex qua colligeremus fructum consolationis et gratiae spiritualis, fructum hujusmodi per litteras tam commendabiles nobis plene mittere studuerunt, damnum absentiae corporalis pretiosarum epistolarum pretio redimentes.

---

(1) Haec epistola ex iisdem ac praecedens codicibus eruitur. — (2) Cod. Flor.: sacrosanctae. — (3) Utinam juxta Humberti votum oblivioni non traditae fuissent, immo et deperditae! Hinc disce iterum morem Magistrorum Generalium a principio fuisse ut epistolas monitorias frequentius ad Fratres mitterent.

Reminiscamur (1) harum, Dilectissimi, obsecro, ut earum continentiam nobis incorporantes, charitatem primam, quae nos omnia propter Christum fecit relinquere, solide teneamus.

Non refloreat mundus in nostris cordibus, quem jam calcavivimus sicut lutum.

Inveniat nos hostis malignus in suis insultibus viros virtutum et strenuos bellatores.

Ambulemus in sapientia ad eos qui foris sunt, ut eorum, heu! qui de facili nostram calumniantur conversationem, scandalum caveamus. (2)

Exhibeamus nos superioribus nostris tractabiles, amicabiles sociis, omnibus vitae speculum et sanctitatis exemplum, puros et simplices coram Deo.

Diligamus ordinem tam utilem omnibus, in quo et nos spem salutis adepti sumus, et gratiam consecuti. Quod quidem nos facere liquido apparebit, si ad reparandum ruinas ejus ad ipsum attrahere personas idoneas satagamus; si pro bono statu ipsius zelo zelaverimus; si ad ejus onera portanda libenter humeros supponamus.

Demus etiam operam, dum tempus habemus, thesaurizare nobis cumulum meritorum, quae docemus et intelligimus non segniter operando, malis omnibus nos viriliter opponendo, laudabilia semper exempla sequendo, et quae se habent aliter penitus respuendo, bona quaeque pro viribus proponendo, adversa irruentia laete suscipiendo, et a bono nunquam cessando, non implicantes nos saecularibus negotiis, non sequentes otia, sed semper divinis actibus occupati, vigiles in crebris orationibus, suspensi in sacris meditationibus, diligentes in digne persolvendo (3) Divinum Officium, sacrum nunquam fastidientes studium, religiosi in silentio, prudentes in verbis, maturi in moribus, in periculis cauti, charitativi in alterutrum, pacifici cum omnibus, non laxantes rigorem Ordinis, ad meliora nos invicem provocantes, correctiones et reformationes suscipientes sine murmure,

---

(1) Cod. Ruth.: reminiscamini. — (2) Cod. Flor.: ut ab eorum qui heu! facile nostram.... scandalis caveamus. — (3) Cod. Flor.: diligentes et diligenter solvendo.

consolationibus mutuis nos roborantes in Domino, quae retro sunt obliviscentes, quae bene coepimus laudabiliter consummantes, in omnibus gratias agentes et divino plene semper adjutorio confidentes. Haec igitur, si adsint et abundent in nobis, facient nos divites meritis; nec veniemus vacui, sed repleti justitiae fructibus ante conspectum gloriae summi Dei.

Adhuc (1) significo charitati vestrae quod inter multa desideria cordis mei, quae ratione suscepti regiminis in me reperio suscitata, illud est non modicum, scilicet ut per ministerium ordinis nostri et schismatici christiani revocarentur ad ecclesiasticam unitatem, et nomen Domini nostri Jesu Christi defferretur coram perfidis Judaeis, coram Saracenis a pseudopropheta suo tanto jam tempore deceptis, coram paganis, idolatris, coram barbaris et gentibus universis, ut essemus testes ejus et salus omnibus usque ad ultimum terrae.

Sed effectui rei hujus obviant duo quaedam. Unum est defectus linguarum, quibus addiscendis vix ullus frater vult intendere, multis curiositatem multimodam utilitati praeponentibus in studendo; aliud est amor soli natalis, cujus dulcedo sic multos illaqueavit, natura nondum in eis per gratiam transformata, quod de terra et de cognatione sua nolunt egredi, nec oblivisci populum suum: sed vivere volunt et mori inter cognatos et notos suos, non expavescentes quod Salvator inter hujusmodi etiam a matre propria non potuerit inveniri.

Expergiscimini, Fratres a Deo vocati, et videte si in exemplaribus apostolicis tale aliquid reperitur! Numquid non omnes Galilaei fuerunt? Et quis eorum remansit in Galilaea? Nonne alius peregrinatus est in Indiam, alius in Æthiopiam, alius in Asiam, alius in Achaiam: et sic omnes per diversas nationes longe lateque diffusi, fructum quem nunc videmus protulerunt in mundo?

Quod si aliquis dicat: Gravia sunt haec: nos infirmi eos non possumus imitari, vae nobis! si praedicatores esse volumus, et a praedicatorum talium vestigiis deviare! (2)

---

(1) Cod. Ruth. hic habet in margine: « Devota exhortatio ut fratres velint intendere conversioni et praedicationi infidelium nationum; » in Codice Cracoviensi *Capitulorum Generalium* additur, et optime quidem: « Nota valde. » — (2) Cod. Flor.: declinare.

Praeterea numquid hoc dixerunt patres illi nostri primitivi, quos sanctus Pater noster Beatus Dominicus omnes tam novitios quam alios dispersit per orbem ?

Non ascendat, Electi Dei, hujusmodi dejecta cogitatio corda nostra, sed professionis nostrae vocationem et obedientiae prompte praemium (1) attendentes, exponamus nosmetipsos ad omnia pro animarum salute, et Salvatoris gloria dilatanda.

Quod si quis, inspirante divina gratia, cor suum invenerit secundum voluntatem gubernantis paratum ad linguam arabicam, graecam, hebraicam, seu aliam barbaram addiscendam, ex quo sibi mercedem adquirere possit in opere salutari in tempore opportuno; sive etiam repererit se dispositum ad exeundum castra (2) propriae nationis, transiturus ad provinciam Terrae Sanctae, Graeciae, vel alias infidelibus vicinas, quae proculdubio multum indigent fratribus qui parati sint multa pati pro Ordine, pro fide, pro animarum etiam salute, et propter nomen Domini nostri Jesu Christi, precor et moneo ut statum animi sui circa hoc mihi scribere non omittant.

Fratres, magnifice gratias agite Domino Deo nostro, (3) qui secundum magnam misericordiam suam de magnis nuper periculis Ordinem liberavit, et in curia Summi Pontificis ipsius fecit Ordinis negotia prosperari. (4)

Quin insuper in Italiae partibus a tempore mortis Beati Petri, (5) fratris nostri, sic confudit haeresim, sic veritatem fidei sublimavit, innumerabiles haereticos ad fidem sine violentia reducendo, quod stupent qui vident (6) conspiciendo oculis quae antea incredibilia videbantur. (7)

Cujus etiam gratia mediante quae agenda erant in Capitulo Generali nuper praeterito creduntur laudabiliter ordinata.

---

(1) Cod. Flor.: gloriosum praemium. — (2) Cod. Flor.: extra castra. — (3) Cod. Flor.: Domino Deo nostro Jesu Christo. — (4) Hic alludit ad turbas a Guill. de S. Amore provocatas. Cf. Echard. *Script.* T. I, p. 242; Brémond, *Bullar.* T. I, p. 207. — (5) Die 7ª aprilis, an. 1252 interiit. Cf. Brémond, *Bullar.* T. I, p. 230. — (6) Cod. Ruth.: quod stuperet qui videt. — (7) Quod confirmatur ex Romani Pontificis testimonio, in Bulla Canonizationis. Cf. Brémond, *Bullar.* T. I, p. 228.

Sciatis etiam quod ibidem sunt trecentorum fratrum obitus recitati, qui nos praecesserunt ad Dominum paulo post sequuturos. (1) Quos cum aliis qui jam antea decesserant, etiam cum eis qui adhuc peregrinantur in corpore, et meipsum servum vestrum, gravibus propter vos expositum periculis et laboribus non paucis, vestris orationibus intime recommendo.

Commendo vos omnes et singulos gratiae Salvatoris et gloriosissimae Matris ejus, Advocatae nostrae, cujus patrocinium specialiter his diebus Ordini affuisse creditur, et (2) plurimum profuisse. (3)

Datum Mediolani, in Capitulo Generali, anno Domini MCCLV.

IV.

(an. eod.).

Charissimis (4) et dilectissimis (5) in Jesu Christo Fratribus Minoribus et Praedicatoribus per universum orbem diffusis, frater Ioannes eorumdem fratrum Minorum Generalis Minister, (6) et frater Humbertus eorumdem Fratrum Praedicatorum servus inutilis, salutem et in sancta vocatione digne et laudabiliter ambulare.

Salvator saeculi, qui amat animas, (7) et neminem vult perire, post primam humani generis ruinam, ad ejusdem reparationem multimoda remedia per ministros varios generationibus singulis adhibens incessanter, novissimis diebus istis in fine (8) saeculorum, duos

(1) Cod. Flor.: Qui jam nos praecesserunt paulo post ad Dominum sequuturos. — (2) Cod. Flor.: his diebus pie creditur. — (3) Quod ita enarrat Frater Stephanus de Salhanaco: « Cum dictus Magister (Humbertus) ad B. V. Mariam Ordinis nostri Patronam devotissime confugisset, ipsa expedivit feliciter quod hominibus impossibile videbatur. » (Cf. Echard, T. I, p. 142). — (4) Hanc epistolam ex iisdem ac duas proxime praemissas codicibus edimus. Eamdem habes apud Wadding, *Annal.* T. III, p. 380. Hic collige variantes lectiones, si libuerit. — (5) Cod. Flor.: desideratissimis. — (6) Scilicet Ioannes Parmensis, in Ministrum Generalem sui ordinis an. 1247 electus. — (7) Cod. Flor.: Salvator, qui salvat omnes. — (8) Cod. Flor.: in fine videlicet.

nostros ordines in ministerium salutis, prout indubitanter creditur, suscitavit, vocans ad eos viros non paucos, et ditans eos donis coelestibus, per quae non solum suam, sed aliorum efficaciter possent operari salutem verbo pariter et exemplo. (1)

Hi sunt, ut ad gloriam Dei loquamur, non nostram, duo magna luminaria, quae lumine coelesti sedentes in tenebris et umbra mortis ubique terrarum illuminant et illustrant. (2)

Hi sunt duae tubae argenteae veri Moysis, Christi Domini Dei nostri, quorum ministerio multitudinem innumerabilium populorum jam ad suum servitium convocavit.

Hi sunt duo Cherubim pleni scientia, mutuo se respicientes dum idem sentiunt, et alas suas extendentes (3) ad Propitiatorium, dum parati reperiuntur secundum obedientiae volatum super omnem populum disseminare scientiam salutarem.

Hi sunt duo ubera Sponsae, ex quibus parvuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur, et augmenta recipiant in salutem.

Hi sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt Dominatori universae terrae, prompti ad ejus imperium, quocumque voluntas ipsius eos duxerit, (4) suas legationes implere.

Hi sunt duo testes Christi, qui saccis amicti jam praedicant et testimonium perhibent veritati.

Hi sunt illae duae stellae lucidae, (5) quae, secundum Sibyllinum vaticinium, habentes species quatuor animalium in diebus novissimis, nomen Agni vociferant in directione humilitatis et voluntariae paupertatis.

Quid plura? Quis enim enumerare plane valeat sacros binarios qui iis sacris ordinibus possunt coaptari, dummodo digne quae ad suam curationem pertinent exequantur? (6)

Non caret autem ratione binarii hujus productio, si quis discutiat

---

(1) Adeas hic Dante, *Parad.* x-xii. Liberatore, *Composto umano,* cap. iv, art. iv. — (2) Cod. Ruth.: ministrant. — (3) Cod. Flor.: expandentes. — (4) Cod. Flor.: voluntas ejus duxerit. — (5) Cod. Flor.: lucidissimae. — (6) Cod. Flor.: qui iis sacris possent ordinibus coaptari, dummodo quae ad suam curationem pertinent fideliter exequantur.

diligenter. Noluit siquidem illa Sapientia, quae prudenter in certo numero cuncta fecit, unicum ordinem producere; sed duos insimul, ut emolumentum ex societate mutua tam ipsis quam aliis proveniret: ipsis quidem, dum in calore sancto sese mutuo confoverent, dum contra insurgentes se alterutrum adjuvarent, dum sancta aemulatione ad meliora se invicem provocarent; aliis vero, quorum saluti daturi erant operam, dum virtus duplicata reperitur magis efficax in opere salutari, dum quod uni deesset ex imperfectione humana reperiretur in altero, dum testimonium quod perhibituri erant veritati ex ore duorum (1) potius quam unius credibilius redderetur.

Pensate, Dilectissimi, pensate quantum debet inter vos dilectionis sinceritas abundare, quos eodem tempore genuit Mater Ecclesia; quos ad idem opus, salutem scilicet animarum communiter operandam, aeterna Charitas ordinavit; quos professiones in modico differentes sic assimilant, ut tamquam similia animalia nos mutuo diligamus!

Denique quomodo veri discipuli Christi cognoscemur, nisi dilectionem habuerimus ad invicem evidentem? (2)

Quomodo charitatem illam mutuam quae ante omnia ab omnibus est habenda praedicationibus nostris aliorum cordibus inseremus, si laesa, vel tenuis reperiatur in nobis?

Quomodo stabimus contra tot persequutiones imminentes, si inter nos perturbatione aliqua dividamur?

O quantum exemplum mutuae charitatis et pacis reliquerunt nobis patres nostri Beatus Franciscus et Beatus Dominicus, caeterique fratres nostri primitivi, qui sic in vita sua se tenere dilexerunt, tamque sincerae charitatis indicia sibimet ostenderunt in videndo se sicut angelos Dei, suscipiendo se invicem sicut Christum, honore seipsos praeveniendo, profectui mutuo congaudendo, alternis se praeconiis extollendo, utilitates mutuas promovendo, a scandalis et turbationibus alterutris cavendo cum summa diligentia et prudentia!

Et, quod antiquus vidit et invidit hostis, quanta aedificatio populi, quanta utilitas nostra, quanta materia glorificandi Deum ex supradictae charitatis glutino sequebatur! Vidit hoc proculdubio et

---

(1) Cod. Flor.: duorum testium. — (2) Cod. Ruth.: evidenter.

invidit, et conatus est et conatur charitatem antiquam suis machinationibus perturbare.

Cavete, Benedicti Domini, cavete ne quando glorietur et dicat: Praevalui adversus eos, quia recedentes a patrum vestigiis, jam secundum assuetam non ambulant charitatem. Inveniat vos ille nequam viros virtutum sibi viriliter resistentes in defendenda pretiosissima substantia praedictae charitatis relicta a patribus, et omni custodia conservanda. (1)

Quod ut fiat implorandum est adjutorium Altissimi, quod nunquam nos deserat contra hostem, et cavendum est ab omnibus diligenter quae turbare possent illam quam ad invicem habuimus charitatem.

Proinde cavendum est ne nostrum aliqui propriam adeo prosequantur commoditatem, quod cum gravi turbatione aliorum, loca nimis notabiliter eis vicina recipiant: sed potius, secundum legem amicitiae, damnum proprium propter amicum negligant in hoc casu.

Et rursus cavendum ne propinquitatem aliorum alii sic abominentur, (2) quod hostilitas inter nos, et non fraternitas videatur.

Cavendum iterum ne conceptum transeundi ad alterum nostrorum ordinum, quem aliquis invenerit in aliquo, debilitet vel extinguat zelo attrahendi ipsum ad suum ordinem: sed potius incoeptum propositum foveat et confirmet.

Item, ne familiares et benefactores alterius ordinis aliquis a sua devotione avertere, et ad ordinem suum convertere conetur, ut ad alterum ordinem derivetur fructus devotionis hujusmodi qui alii provenire solebat.

Item, ne loca quae aliqui pro domibus construendis accipere proponunt, praesentientes haec alii caute subripiant alios excludendo.

Item, ne eleemosynas quas devotio fidelium aliquibus facere proponit, alii impediant ut ipsi habeant: sed potius, cum intersunt testa-

(1) Cod. Flor.: Inveniat nos ille nequam tamquam viros virtutum sibi viriliter resistentes in defendendo pretiosissimam substantiam charitatis relictam a patribus, et omni custodia conservandam. — (2) Cod. Flor.: abhorreant.

mentis aut aliis negotiis, (1) bona fide sint memores aliorum, pias subventiones eisdem fieri procurando.

Item, ne alii sermones impediant aliorum, vel auditores subtrahant, aut ipsos sermones sibi subripiant alternatim. Quae enim esset charitas subtrahere personas, subtrahere amicos, subtrahere loca, subtrahere eleemosynas, subtrahere sermones, cum secundum charitatis regulam, non quae sunt nostra, sed quae sunt alterius, suadente Apostolo, quaerere debeamus?

Cavendum etiam ne quis nostrum sic sanctos suos, sic statum suum impudenter et imprudenter extollat, quod in aliorum depressionem laus talis fieri videatur.

Item, ne quis obloquatur de aliis, (2) non solum in publico coram multis, sed nec in clanculo coram extraneis: immo nec inter fratres proprios in secreto.

Item, ne sinistrum, si quid alii sciverint de aliis, denudent, ubi nulla est utilitas, (3) neque fructus; sed potius sic culpabiles charitative corripiant, vel ostendant correctoribus eorumdem. Quis enim nesciat quantum per hujusmodi depressiones, obloquutiones, criminationes laedatur charitas: immo proculdubio pellatur ab omni genere amicorum?

Cavendum insuper ne quis mala sibi relata de aliis, facta, vel dicta, vel injuriam aliorum leviter credat, vel hujusmodi inter fratres suos referat, et referendo aggravet, corda fratrum concitet, et sic in eis charitatem concutiat, in quibus potius fuerat confirmanda.

Cavendum praeterea ne nostrum aliqui, si laesi fortasse fuerint interdum ab aliis, minus juste patientiae quae de charitate procedit obliti, sic suam extendant impatientiam, quod propter unius vel paucorum stultitiam contra alterius ordinis sive aliorum fratrum innocentiam moveantur.

Illud autem omnino cavendum ne fratres, qui in se abhorrent haec et similia, in aliis ea dissimulent; sed potius, si quid tale viderint in aliquo, zelo sancto succensi statim fraterna correctione utantur,

---

(1) Cod. Flor.: aut hujusmodi negotiis. — (2) Cod. Flor.: de aliquo. — (3) Cod. Flor.: denudetur, ubi non est utilitas.

vel per illos quorum interest corrigi faciant hujusmodi delinquentes. Illos autem qui curam habent aliorum super omnes esse reprehensibiles judicamus, si in praedicta correctione fuerint negligentes.

Obsecramus igitur dilectam fraternitatem vestram per charitatem quae Deus est, ut ab hujusmodi et similibus offendiculis sollicite praecaventes, omnes et singuli sectemini diligenter quaecumque valere possunt ad pacem nostram, et mutuam in Domino charitatem, et indissolubilem unitatem: scientes quod uterque nostrum pleno corde vult et desiderat (1) plene hoc a suis subditis observari fideliter, et transgressores tanquam inimicos unitatis et pacis a suis correctoribus corrigi diligenter et digne, secundum suorum exigentiam meritorum. Et proponimus circa correctionem hujusmodi opportuno tempore (2) non inveniri desides vel remissos, sed invigilare cum zelo non modico et fervore.

Hoc autem idcirco vobis scripsimus ut exhortationis paternae debitum, quod ore non possumus, saltem scripto vobis omnibus redderemus, et incitaremus corda vestra, de quorum bona voluntate plenam habemus fiduciam, ad id quod ordinibus nobis commissis perutile reputamus super materiam supradictam; et ut in extremi judicii examine, cum de vobis nos oportebit reddere rationem, nostras possimus super his animas liberare.

Ne autem per ignorantiam et oblivionem circa supradicta frater aliquis de provincia Provinciae (3) possit se aliquatenus excusare, ego frater Humbertus, Magister Ordinis Fratrum Praedicatorum, injungo vobis priori provinciali ejusdem provinciae, quatenus circa ista de confirmanda charitate inter nos et charissimos fratres nostros Minores litteram hanc, vel ejus transcriptum sub sigillo vestro faciatis legi per omnes domos provinciae vobis commissae, exclusis novitiis, et fratribus illiteratis exponi vulgariter, et in domibus singulis ad horum habendam memoriam retineri, et cum tali conservari diligentia ne ad eos qui non sunt de praedictis ordinibus, possit transcriptum

---

(1) Cod. Flor.: uterque nostrum vult et pleno corde desiderat. — (2) Cod. Flor.: suo tempore. — (3) In singula epistolarum encyclicarum transcriptione nonnunquam inserebatur olim nomen provinciae cui mittenda erat.

factum ab aliquo fratre, seu alias horum notitia devenire, quod penitus est cavendum.

Sciatis autem quod per singulas provincias ordinis nostri similes litteras destinavi. Sed et venerabilis Pater Frater noster (1) Minister Generalis Fratrum Minorum idem fieri per ordinis sui provincias similiter ordinavit.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen. (2)

Datum anno Domini MCCLV, 4.° nonas Februarii.

V.

(an. 1256).

Dilectis (3) in Dei Filio Fratribus Praedicatoribus universis frater Humbertus, eorum servus inutilis, salutem et gaudium in Sancto Spiritu.

Imposita fragilitati meae cura regiminis animarum vestrarum requirit ut non solum paterna sollicitudine vos ad meliora provehere sanctis exhortationibus studeam, sed in affectu materno vobis intendam pro tempore consolandis, ut spiritus vestri in Domino confortati ad omnia sustinenda pro Christi nomine se recipiant fortiores. Hinc est, Charissimi, quod sollicitudinem omnem gerens vobis de communi vestra consolatione, quaedam etiam de profectu Ordinis et animarum salute, quae mihi notificata magno fuere solatio, vel innotescere dignum duxi, ut et vos mecum in Domino gaudeatis.

Ecce, Dilectissimi, sicut ad nostram devenit notitiam per multiplices litteras, multorum narratione veridica, Fratres per orbem jam multiplicati per gratiam Ejus qui eos vocavit, et in se proficiunt coram Deo et hominibus, et fructum quamplurimum in aliis faciunt:

---

(1) τὸ « Frater noster » ex cod. Flor. — (2) Cod. Flor.: Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper cum omnibus vobis. Amen. — (3) Quae epistola habetur ex cod. Flor.

qui non parvi secundum numerum tantae multitudinis, satis paucam materiam gravium nobis corrigendorum excessuum in nuper capitulo praeterito ministraverunt.

Quis autem plene exprimeret quanto benevolentiae favore Ordinem nostrum, et nos qui stamus in sancta vocatione, Sancta Romana prosequatur Ecclesia? Quanta benevolentia praelati quamplurimi complectantur? Quanto venerationis honore reges, principes et magnates? Quanta charitate fere omnes religiosi pertractent? Quantam denique devotionem exhibeant ubique terrarum populi christiani? Porro pauci illi perditionis filii, qui, imitatores apostatae Angeli, suum reliquerunt domicilium, non solum cum eo solvent poenas aeternas, sed in praesenti etiam saeculo justo Dei judicio, in oculis omnium, dolorum initia praegustantes, perfusi confusione et ignominia, miserabilem vitam miserabiliori claudunt exitu, sicut constat vobis per casus varios evidenter.

Scripsimus namque *(sic)* in praeterito capitulo quod fratres qui voluntarium habeant animum ad relinquendam nationem suam, et transeundi ad barbaras nationes, atque ad desudandum in addiscendis litteris et linguis extraneis propter Nomen Domini nostri Jesu Christi, ac ejus gloriam dilatandam, suum nobis propositum intimare curarent. O quantum vestra charitas una mecum gauderet super fratrum sancto fervore, si sciretis quot et quanti de diversis provinciis ad labores hujusmodi ardentissimo se desiderio obtulerunt, mortis etiam pavore contempto!

Neque etiam desperandum est de profectu in iis qui variis seducuntur erroribus, cum fructus plurimus jam in eis appareat manifeste. Profecerunt siquidem et proficiunt fratres qui laborant in diversis provinciis ad extirpationem haereticae pravitatis, in tantum ut paulo ante incredibile videbatur id posse fieri quod per eos jam Dominus dignatus est operari a duobus annis et citra. Cumanorum, circa quos fratres fuerunt solliciti baptizare, est plurima multitudo. Maronitarum etiam populi, diu schismatici et subversi, libros suos dicuntur obtulisse corrigendos omnino ad voluntatem fratrum provinciae Terrae Sanctae, qui circa eorum rectificationem solliciti extiterunt. Fratres vero qui profisciscuntur ad Tartaros de via sua mihi

prospera nuntiaverunt. Fratres nostri, magnae auctoritatis et mirabilium viri virtutum, qui jam (inter) Georgianos in remotissimis partibus Orientis XVIII annis et amplius vitam asperissimam *(sic)* duxerunt, suis litteris cum charitatis ardore repletis, et exemplis mirificis, nostram miserabilem inertiam reprehendunt. In Hispanicis partibus fratres qui jam multis annis inter Saracenos in Arabico studuerunt, non solum laudabiliter in lingua proficiunt: sed, quod est laudabilius, ipsis Saracenis ad salutem cedit cohabitatio eorumdem, ut patet in pluribus qui jam baptismi gratiam susceperunt. Prucenorum maxima natio, de novo subjugata (est) dominio Christianorum: illorum multi, paganorum ritu relicto, ad baptismi gratiam convolant. Quis igitur, his consideratis, non sperabit de fructu faciendo in nationibus errabundis?

Nam mandatum (est) in praeterito Capitulo ut magnalia gesta in Ordine, vel occasione Ordinis, nondum in scriptis redacta, intimarent mihi qui eorum habent notitiam, ut per diligentiam nostram scripto mandarentur, oportuno tempore publicanda. O quantum cordibus vestris ingererent laetitiam quae jam mihi scripta sunt super istis, si tempus sufficeret ad scribendum! Sed haec vobis nota fient, Domino concedente. (1) Consolamini igitur invicem in Domino, et gratias agite incessanter.

Non conturbet vos si audieritis fratres nostros tribulationes interdum alicubi sustinere. Ipsi enim scitis quod in iis majorum virtutum occasio ministratur, et in hoc positi sumus si volumus esse discipuli Salvatoris. Nec latet nos etiam quod haec in brevi momentanea finem habent. Numquid non recolitis quam cito imposuit Dominus finem tribulationibus magnis nobis in curia Summi Pontificis suscitatis?

Fratrum nostrorum Parisiensium tribulationes graves jam sunt per Dei gratiam temperatae, licet quaedam supersint reliquiae ad exercitium nostrum. De quibus confidimus in Domino quod ad utilitatem animarum et honorem Ordinis debeant terminari. Tantum fecit Dominus fratribus ipsis cum tentatione proventum, quod tem-

---

(1) Quod reipsa factum est in libro *De vitis Fratrum.*

pore pacis nunquam largius provisum fuit in necessariis Parisiensi conventui, sicut dicitur fuisse factum tempore tribulationis, sive persecutionis supradictae: quia tantus fuit concursus saecularium ad sermones, et Generale Capitulum nuper ibidem celebratum; tanta visitatio nuper Francorum regis, praelatorum, principum et magnatorum recommendantium se devote orationibus fratrum, quod nunquam aliud capitulum cum tanta solemnitate vidimus celebratum.

Sed et reliquiae beati Petri martyris, praesente rege, cum archiepiscopis et episcopis multis, principibus et populi multitudine copiosa, praeter morem Parisiensem, cum tanta tunc temporis receptae sunt devotione et reverentia, quod vix antea credi potuisset. Sic non obliviscitur Pater misericordiarum suis post tempestatem tranquillum facere, et consolationem adducere post dolorem.

Adhuc noveritis quod diversitas Officii Ecclesiastici, circa quod unificandum multa jam capitula sollicitudinem non modicam adhibuerunt, per Dei gratiam, ad unitatem incertis exulantibus (?) est reducta. Rogo autem ut detis operam ad correctionem illius secundum illa, ut uniformitas Officii diu desiderata in Ordine inveniatur ubique. Sciatis etiam quod voluntatum fratrum circa praedictum fuit officium tam diversa petentium varietas, quod impossibile fuit in ipsius ordinatione satisfacere voluntatibus singulorum; propter quod quilibet vestrum ferre debet patienter, si fortassis occurrerit ei aliquid in ipso officio suae sententiae minus gratum. Ut autem scire possitis utrum totum habeatis officium, noveritis XIV esse volumina in quibus multipliciter continetur, videlicet: *Ordinarium, Antiphonarium, Lectionarium, Psalterium, Collectarium, Martyrologium, Libellum processionale, Graduale, Missale majoris altaris, Evangelistarium ejusdem, Epistolarium ejusdem, Missale pro minoribus altaribus, Pulpitorium* et *Breviarium portatile.*

Vos autem, Fratres charissimi, qui vos ad transeundum ad extraneas nationes et ad linguarum studium subeundum tam devote voluntarie obtulistis, quorum ad praesens desideria non implentur, rogo quod patienter feratis. Tanta enim multitudo fuit se offerentium ad praedictum, quod, licet ad hoc sint plures assumpti, omnes tamen instanti necessitate necessarii non fuerunt. Vos ergo per bonam erga Deum voluntatem indubitanter multum meritum acquisistis.

Me servum vestrum, multis propter vos expositum periculis, vestris orationibus recommendo.

Sciatis igitur CCCXX fratres hoc anno migrasse ad Dominum: quorum sunt obitus nuper in capitulo recitati. Ex quibus duo a paganis sunt pro justitia interfecti; duo a Saracenis decapitati sunt in Terra Sancta: quorum nos orationibus magis (quam) ipsi nostris forsitan indigemus.

Bene valete.

Datum Parisiis, anno Domini MCCLVI, in Capitulo Generali.

VI.

(an. 1257).

Dilectis (1) in Dilecto Dei Filio Fratribus Praedicatoribus universis, frater Humbertus, servus eorum inutilis, cum religionis plenitudine spiritualium gratiam gaudiorum.

Quamdiu peregrinamur in hac valle tristitiae, mutuis in Christo consolationibus nos invicem confovere debemus, ut inter vitae et viae hujus varietates, in loco peregrinationis nostrae non deficiamus, sed cantantes in viis Domini laeti coeptum iter ad patriam (2) perficere festinemus. Ad quod tanto me reputo vobis magis obnoxium, quanto me ducem vestri itineris elegistis, et me super vos officium matris consolantis filios sentio suscepisse.

Certe, Charissimi, philosophantibus in naturis liquet clare quod quidquid est sub coelo, ubi status est uniformis, varietati subjacet, et in statum alterum facile permutatur: (3) sicut in aere nunc est quies, nunc perturbatio; in terris nunc temperies, nunc spiritus procellarum; in mari quoque nunc tranquillitas, nunc tempestas.

Percurrentes veteres historias legitis quod Dei populus non in eodem statu permansit: sed nunc exaltatus, nunc dejectus; (4) nunc promotus extitit, multipliciter nunc afflictus.

---

(1) Epistola ista ex cod. Divionensi prius relato, necnon et cod. Flor. habetur. Isti imprimis qua correctiori adhaeremus. — (2) τὸ « ad patriam » ex cod. Div. — (3) Cod. Div.: transmutatur. — (4) Cod. Flor.: ejectus.

Recogitate statum Ecclesiae et progressum: nonne et ipsa per prospera et adversa sibi continue succedentia hucusque pervenit?

Sic ordo noster in omni bono Dei dono dudum promotus, et cum omni felici successu subcrescens, post roborationem et firmitatem omnimodam assecutam, expositus est his temporibus tribulationibus in quibusdam regionibus, et maxime in partibus Gallicanis circa Parisios, superna idipsum Providentia disponente in bonum nostrum, ut ibi permitteret fieri conflictum graviorem ubi major et melior nostra militia, de diversis mundi partibus congregata, omni armatura abundans resistere possit validius adversariis, ipsosque virilius (1) impugnare.

Nolite ergo vos, aeterni Regis, Domini Majestatis, et Dei Sabaoth strenui bellatores, nolite, inquam, mirari si persecutiones novas et tribulationes inconsuetas sentitis: haec enim sunt assertiones apostolicae, et evangelicae promissiones; haec sunt plane oracula prophetarum, et omnium exempla sanctorum.

Quis enim pie volens vivere in Christo, secundum Apostoli sententiam, persecutiones non patitur? Si persecuti sunt Dei Filium, numquid servi ejus majores ipso erunt, et pacifice pertransibunt, et fraudabuntur (2) verba Evangelii veritatis? Deus omnipotens, qui per os omnium prophetarum praenuntiavit (3) pati Christum suum, nonne per eosdem praedixit passuram familiam ejus, cum eo regnare volentem? Sic Abraham, sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui Deo placuerunt, non solum per prospera, sed per multas tribulationes transierunt fideles. Vos igitur qui supradicta patimini, talium et tantorum consortes effecti, gaudete in Domino Jesu Christo.

Vos vero qui hujusmodi non sentitis, adversa fratribus vestris patientibus compatimini, vos in hoc unum (4) membrum ejusdem corporis ostendentes, omnes autem recordantes (5) pariter quantos et quam gloriosos fructus tribulationes afferunt.

Advertamus praeter (6) alia quod inundationes diluvii non

---

(1) Cod. Flor.: viribus. — (2) Cod, Div.: et fraaudabunt verba Evangelii veritate. — (3) Cod. Flor.: annuntiavit. — (4) Cod. Div.: verum. — (5) Cod. Div.: recolentes. — (6) Cod. Div.: inter.

submerserunt arcam, sed in sublime potius extulerunt: sic Salvatoris clementia faciente, qui cum tentatione facit proventum, et de malis elicere bona novit, praedictae momentaneae tribulationes ad nostri profectum ordinis accident, (1) sacrosancta Romana Ecclesia totius orbis magistra, praedictarum occasione, profectionem ipsius evidentius declarante, et statum firmum roborante, adversariis nostris multimoda confusione confusis, Illustrissimo Rege Francorum specialissimo nostri ordinis dilectore, imo totius veritatis ferventissimo zelatore, continue nobis et efficaciter assistente.

Proinde tantis patronis (2) non ingrati pro eis orate devote, et specialissime pro domino Beatissimo Papa nostro, cujus benignatio ad Ordinem vix exprimi lingua posset. (3)

Deinde superest, Fratres, ut in omnibus gratias agentes simus in persecutionibus patientes, et Dominum pro ipsis persecutoribus exoremus; non murmur in nobis resonet, non querimonia; non tangat nos, deambulante nobiscum Dei Filio, fornax babilonica, nec contristet.

In corde patientia, in vultu laetitia, in labiis gratia diffundatur. Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. *Eccli. 6.*

Sic placeant Deo viae nostrae, ut inimicos quoque nostros convertant ad pacem.

Simus inter haec diligentes in studio, in obedientia prompti, firmi in observantia regulari, in oratione assidui, in praedicatione ferventes, ad eos qui foris sunt in sapientia abundantes, in universa morum honestate praeclari.

Sic enim nobis agentibus, in servis suis Dominus miserebitur, et sperare poterimus quod pacem nobis restituet, quam mundus crudeliter perturbavit.

Recommendo orationibus vestris animas defunctorum, et me, servum vestrum in communi (4) vestro servitio laborantem inces-

---

(1) Cod. Div.: acciderunt. — (2) Cod. Flor.: patrociniis. — (3) Cod. Div.: cujus benevolentiam ad ordinem vix exprimere lingua posset. — (4) Cod. Div.: in omnium.

santer, tanto devotius quanto deficientibus viribus appropinquare (1) magis ac magis video finem vitae.

Recommendo etiam vobis affectuose Dominum Hugonem (2) cardinalem, fidelissimum ac necessarium amicum Ordinis, qui in negotiis Ordinis efferendis et promovendis infatigabiliter et perutiliter

(1) Cod. Div.: appropinquantem. — (2) Libet subjicere epistolam ab eodem Hugone ad Capitulum hoc Florentinum missam, qua pateat quanta charitate Ordinem vicissim prosequeretur. Hanc ex Archiv. Divion., num. 221, fol. 95, eruit iterum P. Vinc. Ligiez. - « Reverendis Patribus et in Christo sibi charissimis Magistro et Diffinitoribus caeterisque Fratribus Ordinis Praedicatorum in Generali Capitulo apud Florentiam congregatis, frater Hugo miseratione divina tituli Sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis, summae felicitatis beatitudinem in Filio glorioso.

« Novit ille qui nihil ignorat, cui patent secreta cordium, et futura velut praesentia sunt aperta, quanta cordis sinceritate, quanta mentis cupidine, quanta superna sollicitudine charitatis vos omnes et singulos ex intimis affectibus prosequuntur cogitationes assiduae et totis desiderantes praecordiis, ut quod honestum, quod bonum, quod Ordini congruum videatur, vobis proveniat et accrescat. Absit enim a corde nostro et longius relegetur ingratitudo tam detestabilis, ut ejus qui nos genuit ordinis, et eorum quorum diligentia fuimus educati, a nostrorum viscerum penetralibus memoria secludatur! Quamdiu quidem in hoc mortali corpore subsistimus, nobis hoc erit consolatio si labores, si conflictus, si anxietates pro promotione vestra, immo, ut loquamur verius, nostra et vestra, sed et pro exaltatione Ordinis nos oporteat sustinere.

« Hujus ergo charitatis pio susurrio nos vehementer interius propulsante, zelo fraternitatis praevio, vobis subscribimus tanquam charissimis ea quae secundum nostrum judicium decent Ordinem, vobis sunt congrua, et consona rationi. Suscipiatis igitur tam libenter quam favorabiliter quod offert charitas, suadet pietas, et temporis indicit necessitas nunc instantis.

« Cum igitur novis morbis nova conveniat antidota praeparari, diversa quoque morborum experimenta varia compellant remedia inveniri, et praelatorum corda saecularium videamus contra nos tam plus debito quam solito commoveri, rogamus, obsecramus, modis omnibus consulimus ut erga ipsos tam magnos quam minimos, vos humiliter habeatis, eorum jura omnimode observantes, et in plebe sibi tradita praedicando et modis aliis secundum datam vobis a Deo gratiam coadjuvantes, eosdem quantum de ipsorum processerit voluntate, ut sic saltem tempestatis vehementia nostris in temporibus concitata possit aliquatenus tranquillari.

« Et quum secundum Apostolum servum Dei litigare non decet, in praejudicium religionis vertitur ut vos cadaveribus mortuorum et oblationibus contendatis, ne religiosa corda hujusmodi contentio privet quiete debita, aliorum

perseverat, qui etiam sua praesentia multum nostrum capitulum honoravit, et consolatus est non mediocriter corda fratrum, in auctoritate Domini Papae Fratres omnes tam praesentes quam absentes absolvens ab omni poena de fractione silentii cujuscumque, et ab omni excommunicatione, et dispensans cum eisdem in irregularitatibus,

---

mentes perturbet, et fomentum scandali subministret, et qui debuerunt coelestibns inhiare, terrenis negotiis implicentur. Idcirco vobis tanquam viris perfectis incumbit praecavere studio vigilanti ut fratres tam majores quam minores in his moderari, quantum secundum Deum poteritis, studeatis.

« Testamentis et negotiis saecularibus rogamus, et pro magno munere postulamus, quod fratres se non ingerant, vocati recusent, rogati non consentiant, et si quandoque sic necesse fuerit mature procedant, in omnibus juris ordine praeservato.

« Si autem tanquam nostrum a Summo Pontifice negotium committatur, non de facili recipiat, sed se excuset humiliter. Scitur pro certo quia Dominus Papa excusationem humilem gratam suscipiet, et potius quam receptionem facilem approbabit.

« Et cum sitis positi in lucem gentium ut illuminetis abscondita tenebrarum, tales personas curetis suscipere quae splendorem, non fumum generent, quia indecorum est admodum et absurdum ut hi per doctrinam doceant alios regere, qui seipsos ducere non noverunt, cum ad praedicationis officium tales personae admitti debeant, quae discretione praeemineant, et scientia morumque fulgeant honestate.

« Ad hoc, studium per quod sicut corpus per animam totus vigor Ordinis consisteret, jam per priorum negligentiam et fratrum incuriam incipit annullari; nec jam de glossarum vel textus intentione, sed de quaternorum multiplicatione curatur a pluribus, et sic docent quod nesciunt, asserunt quod ignorant, unde plura suboriuntur scandala, et cadit in Ordinis infamiam, fratrum opprobrium, sed etiam in periculum animarum.

« Conventuum quoque multiplicatio receptionis personarum inutilium existit occasio, et ideo melius est paucorum sed bonorum gaudere numero, quam inutilium onerosa multitudine praegravari.

« Fratres Minores suscipite in visceribus Jesu Christi, et si quid vobis sinistrum irrogaverunt, vos super eisdem exhibeatis servitia charitatis.

« Amplius, diligentis et exquisiti studii sollicitudinis esse condecet fratres a superfluis discursibus submovere, ne ipsorum importuna discursio erga devotos devotionem minuat, erga indevotos fastidium generet, erga malevolos subministret materiam obloquendi, et claustri frequens desertio occasionem praebeat corruendi.

« Concursus etiam fratrum ad curiam Summi Pontificis notam dissolutionis inducit, et regularem minuit disciplinam; famae quoque religionis non

eadem auctoritate rectificans (1) si forte in foro poenitentiali erga saeculares fecissent aliquando quod non liceret, et insuper tres quadragenas et tres annos indulgentiae concedens praedictis fratribus universis.

Datum Florentiae, in Capitulo Generali, anno Domini MCCLVII.

---

modicum derogatur, cum, sicut vestri dogmatizant adversarii, illuc versari debeant qui mollibus vestiuntur, nec terrenorum magnatum liceat terere limina, nec ambire quod debuerunt abjecisse. Idcirco non multum veniant fratres ad Curiam, et si quandoque oportuerit, veniant secundum formam Ordinis, non in curribus vel in equis, et cum expensis magnificis: sed in humilitate Ordinis multis jam temporibus approbata.

« Novitiorum informationi fratres quasi nullam vel modicam adhibere diligentiam jam pridem novimus, et valde perniciosum est, et a vera religione semotum ut neophyti inde insolentiis et dissolutionibus imbuantur, unde maturitatis judicia et sanctitatis insignia percipere debuerunt. Cum enim in claustris maturari deberent usque ad tempus debitum, antequam florescant, et fructum facere debeant, exponuntur, et sic tam sibi quam Ordini redduntur inutiles et inepti.

« Praelatorum vero et fratrum annualis mutatio displicet, sicut firmiter credimus, et notam instabilitatis aggenerat, et fructum minuit animarum.

« Praedicatorum Generalium multitudo discursum multiplicat, et ideo eorum multiplicatio non videtur pluribus fructuosa.

« Sussurrones, conventiculorum consiliatores, si qui, quod absit! in vobis reperti fuerint, animadversione canonica quantocius feriantur, ne eorum contaminatio mentes inficiat simplicium, et corda possint pervertere plurimorum. Partes se invicem complectentes procul ab ordine relegentur, nec fratres fratribus se opponant, ne per hujusmodi..... ab unitate charitatis disjungi possint, et per iter saluti contrarium deviare.

« Mulierum monasteria non nisi causa praedicationis vel aedificationis frequentent; et si hospitium alibi competenter habere potuerint, eos ibidem non condecet pernoctare, sed tam ipsarum quam aliarum mulierum suspectas familiaritates studeant evitare.

« Confessores in conventibus qui saecularium confessiones audiant, viros aetate provectos, discretione perspicuos, conversatione praecipuos, statuatis; qui peccatores pie corripiant, poenitentes benigne suscipiant, contritos blande confoveant; et ad sinum misericordiae illos reducant leniter, qui jam desperationis baratro incipiunt absorberi.

« Valete in gratia Dei semper, Amen; pro nobis qui quanto in loco superiori stare videmur, tanto in periculo majori versamur, orantes et orari facientes. » — (1) Cod. Div.: ratificans.

VII.

(an. 1258).

Charissimis (1) in visceribus charitatis fratribus Praedicatoribus universis frater Humbertus, eorum servus inutilis, salutem et continuum in omni sanctitate profectum.

Superna Providentia, cui cura est de omnibus, et maxime de electis, secundum altitudinem consilii sui disposuit ut omnes qui pie volunt in Christo vivere persecutionem in praesenti saeculo nequam patiantur: ut ipsi toto corde quaerentes Dei regnum et ejus justitiam, tanto digniores habeantur ipso regno quanto datum est eis plura pati pro Christo; et ex hoc multiplex materia virtutum ad justitiam ipsius regni pertinens ministretur eisdem.

Verum ne sub onere tali deficiat ipsorum humana fragilitas, eos in omni tribulatione sua dulciter consolatur, juvat potenter, et abbreviat dies malos, quod quidem experientia nos docuit iis diebus. Ecce enim, Dilectissimi Fratres, in persecutionibus multis et gravibus longe lateque diffusis, quas in servitio Christi pro nostro modulo laborantes passi sumus istis temporibus, praeter consolationem illam quae intrinsecus in multorum cordibus est infusa, (2) quantum consolatus est nos benignissimus moerentium Consolator, in favore quem beatissimus Papa Noster, Cardinalium coetus, sublimitas christianissimi regis Francorum Ludovici, aliaque innumera multitudo Deo devotorum fidelium, ipso inspirante, nobis in nostris vexationibus praestiterunt. (3)

Animadvertite, (4) quaeso, quale adjutorium non in terris solum, sed in coelis habuimus ab illis quos patronos habemus in illa curia singulares! Quis enim discredat quin regina Esther, advocata dico nostra Virgine gloriosa, et Mardochaeo Nostro, scilicet beato Dominico procurantibus apud beatitudinem Summi Regis populi sui liberationem, conservati sumus, et a vexationibus expediti?

---

(1) Quae epistola variis in codicibus legitur, imprimisque in Ruth. et Flor. — (2) Cod. Flor.: diffusa. — (3) Cod. Flor.: praestitit. — (4) Cod. Flor.: Advertite.

Considerate quam cito pius Dominus, qui nos dereliquisse videbatur, ad punctum post tempestatem tranquillum fecit, ventis et mari potenter imperans, in succursum fere periclitantis naviculae sua dominatione mitigans fluctus ejus. Sicut enim instanti capitulo multimoda fratrum diversarum nationum relatione percepimus, per Dei gratiam fratres ubique pace fruuntur optata, tranquillamque vitam ducentes in quiete jucunda suo serviunt Salvatori.

Reliquum est, Dilecti Deo (1) et Electi ab eo, ut per bona opera certam facientes vocationem nostram, ex praedictis spinis flores colligamus virtutum. Inveniantur in nobis benedicti fructus quos afflictiones humanae solent relinquere in electis quibus omnia cooperantur in bonum. Agamus magnificas gratias Deo de magnis malis et periculis liberati. Rogemus pie pium Jesum, secundum suam doctrinam, ut quod factum est non imputetur auctoribus in die novissimo ad peccatum.

Praecaveamus solito cautius ab omnium offendiculis et offensis. Servemus pacem cum omnibus, effecti imitatores illorum in quorum laude dicitur quod in mundo vixerunt sine querela. Ambulemus in omni sapientia et honestate ad eos qui tam callide calumniantur conversationem bonam. Si enim in viridi ligno virtutum hoc faciunt, quid in arido facerent operum mortuorum?

Scrutemur vias nostras, ne forte fuerit aliquid in nobis, quod divinae majestatis offendens oculos, ipsam ad iracundiam contra nos provocaverit; et cum omni diligentia correctioni talium intendentes, humiliemus illi animas nostras, super offensis praeteritis condigna contritione veniam postulantes. Addiscamus in persecutionibus non dejici corde, sed confidere in adjutorio Altissimi, cum omni fiducia dicentes: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. *Ps. 117:* Experti jam auxilii sui tam celerem tamque efficacem effectum, assuescamus in omnibus angustiis nostris ad illum recurrere, qui nos clamantes ad se tam subito de nostris necessitatibus liberavit.

Exercitati jam in modicis, et per illa edocti, reperiamur viriliores ad majora in tempore opportuno.

---

(1) τὸ « Deo » ex cod. Flor.

Recordemur verbi Domini Jesu Christi dicentis, *Matth. 10:* Non est servus major Domino suo, nec miremur si persecutionem patimur quam et ipse (passus est).

Gaudeamus similes facti SS. Apostolis et Ecclesiae primitivae! Passi a nostris contribulibus sicut ipsi, communicantes Christi passionibus, et ei facti similes in hoc mundo, teneamus firmam spem quod conformes eidem erimus in gloria, in imagine paternae subtantiae, in splendoribus beatorum, ipso praestante qui est ante omnia, et super omnia, et in omnibus, et per infinita saecula benedictus, et gloriosus Deus, et Dominus noster Jesu Christus, cujus gratiae vos recommendo.

Orate, Chharissimi, pro invicem, et specialiter pro defunctis nostris, quorum multos hoc anno Dominus evocavit, cum damno non eorum, sed nostro non modico et jactura.

Orate pro me, si placet, servo vestro, et tanto affectuosius quanto non solum pro me, sed etiam pro vobis indigeo pluribus donis Dei.

Datum Tholosae, anno Domini MCCLVIII, in Capitulo Generali.

VIII.

(an. 1259).

Charissimis (1) et desideratissimis Fratribus Praedicatoribus, per universum orbem diffusis, frater Humbertus, servus eorum inutilis, in fervore spiritus suam et aliorum salutem.

Fons totius sancti caloris, Jesu Christi amor aeternus, qui semper ardet et nunquam extinguitur, mundum subintrans ignem Sancti Spiritus misit in terram, ipsumque per beatos Apostolos suos ubique voluit vehementer accendi. Proinde quia qui non ardet non accendit, et qui minus ardet accendere minus potest, ipse qui ministros suos ignem facit urentem, ipsos prae caeteris sanctis praerogativa coelestis

(1) Quae epistola rursus ex cod. Div. habetur.

insignivit ardoris, intantum ut in diebus eorum non jam vultus igneus, non columna ignea, non currus igneus, sed homines ignei apparerent in mundo. An non ignei, et in toto ignei qui Dominum, qui verus est ignis, in visione ignis recipiunt, in quorum ossibus ignis missus est de excelso, super quorum capita ignis residet, qui facem portant in manibus, quorum corda, foris apparentibus linguis igneis, (intus charitatis igne exardescunt) procurante Dei Filio Jesu Christo, cui est honor et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Obitus fratrum est in Capitulo recitatus, inter quos me jam fere reputetis. Rogo ut me una cum ipsis recommendatum in orationibus vestris jugiter habeatis.

Datum Valentianae, (1) in Capitulo generali. Gratia Domini Nostri Jesu Christi vobiscum in aeternum. Amen.

IX.

(an. eod.).

Devotis (2) ancillis Christi, Sororibus universis curae Fratrum Ordinis praedicatorum commissis, frater Humbertus, ejusdem Ordinis servus inutilis, salutarium operum continuum incrementum.

---

(1) Codd.: Valenciae. - Intellige de Valencenis in Hannonia. — (2) Cum, teste Leandro Alberto *(De viris illustr.)* B. Humbertus jussu Alexandri PP. IV, constitutiones Sororum nostrarum aliquatenus varias in unam eamdemque redegisset formulam, illis epistolam hic editam misit. Quae integra in Bibliotheca publica Vindobonensi asservatur (Hof-Bibliotheke, ms. 1507) mutila autem alibi habetur. Difficultatem tamen ingerit quod in eodem codice dicatur « Spoleti, in Capitulo Generali » data, quod falsum esse patet. Sed vero adverte praedictam epistolam iisdem prorsus verbis terminari quibus epistola ab eodem B. Humberto anno 1259, ex Capitulo Valencenensi ad totum Ordinem missa, ita ut ab isto verbo: « Obitus fratrum » usque ad finem eadem reipsa sit, paucis in fine deficientibus. Hinc colligitur utramque eodem tempore scriptam, atque in hac altera legendum esse « datum Valenciae, » sicut et in priori illa; non autem « Spoleti, » quod amanuensis oscitantia sane, et quidem facile, propter litterarum formam et abbreviationum licentias irrepsit. Quod fusius in *Collectione Capitulorum* ostensuri aliquando sumus.

Mira dignatione divina Filius aeterni Regis filias hominum sibi elegit et copulavit foedere nuptiali. Qui nimirum, cum ipse sit speculum sine macula, sponsas suas vult esse sine ruga et macula, ut sint sanctae non solum corpore, sed et spiritu, ut nihil in eis appareat foeditatis. Sicut sponsus carnalis corporis apparentem speciem respicit, sic Christus (cordis) pulchritudinem intuetur.

Cum igitur praedictae dignationis munere idem Dei Filius vos sibi castissimo foedere socians indissolubiliter professionis voto copulaverit, pensare vos sollicite oportet quanto nitore interioris munditiae sponsas Agni immaculati fulgere oporteat; quam frequentibus spiritualibus balneis et unguentis uti debeant puellae quae regis sunt Assueri cubiculum ingressurae; quomodo ornari oporteat honestae conversationis vestibus, virtutumque gemmis (et) morum monilibus, quae placere cupiunt tanto sponso.

Oportet namque de facie mentis maculam omnem fontibus abluere lacrymarum, oculum cordis ad videndum speciosum forma prae filiis hominum Sponsum suum, continue puritatis studio emendare, et cum Judith in fonte Bethuliae baptizari, mundamque manere in conscientiae tabernaculo, sensuum fores claudere, per quas de lacu hujus miseriae et de luto faecis hauriuntur maculae quibus animi puritas inquinatur.

Maxime vero oris januam decet silentii custodia muniri, ne lingua a gehenna (?) inflammata rosam venustatis maculet et deturpet. Melius est enim aqua sapientiae linguae ardorem extinguere quam ad refrigerandum eam in futuro guttam aquae de digito Lazari mendicare. Ex relaxata namque lingua otiosa multiplicantur verba, lites pullulant, contumeliae oriuntur, sermones prodeunt inhonesti. Clausa vero oris janua, spiritus interior orat Patrem in abscondito, et in tranquillitate gaudet, conscientia et omnia quae possidet anima sunt in pace.

Oportet nihilominus cum linguae refraenatione mores componere, stabilire gressus, discursus restringere, gestus ordinare, omniaque membra et motus corporis sub disciplinae moderamine cohibere.

Sic! Sic! Sponsa Christi, ornata moribus, modesta sermonibus, affectionibus casta, cogitationibus munda, intentionibus pura, soli

sponso suo placere desiderans, in thalamum merebitur introduci, dulce audire epithalamium, fatuis virginibus remanentibus foris, ad coelestes nuptias introire, et de illius perpetua visione gaudere in quem angeli incessanter aspicere desiderant, quem tota multitudo curiae coelestis adorat, et omnis creatura benedicit in infinita saeculorum saecula. Amen!

Adhuc noveritis quod nos attendentes quod vos sub una regula et unius professionis vivitis voto, in observantiis regularibus uniformes esse debetis, diversitates constitutionum quas diversae sorores habebant ad unam formam redegimus auctoritate apostolica (1) nobis specialiter commissa, quam vobis per provinciales transmittimus, volentes ut secundum hujusmodi constitutiones omnes amodo vivatis.

Si quae vero nollent hujusmodi formam recipere, pro sororibus Ordinis minime habeantur.

Obitus fratrum multorum est in Capitulo recitatus, inter quos et fere me reputetis. Rogo ut me una cum ipsis recommendatum in vestris orationibus jugiter habeatis.

Datum Valentianae, in Capitulo Generali. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

X.

(an. 1260).

Charissimis (2) et desideratissimis Fratribus Praedicatoribus universis frater Humbertus, servus eorum inutilis, salutem quam optant et bonis operibus infatigabiliter promereri.

Suscepta cura regiminis obligat et requirit ut (de) omnium vestrum et de singulorum vestrum profectibus gaudeam, de defectibus doleam, vestrique memoriam semper in orationibus meis qualibuscumque faciens, insuper orationem sanctorum (et) aliorum suffragia vobis incessanter acquiram; de promovendis quoque bonis in Ordine

(1) De quo dicemus uberius suo loco in *Capit. Gen. Collect.* — (2) Epistola haec in cod. Flor. praedicto asservatur.

multàm assidue geram in corde sollicitudinem specialem totumque me vestris utilitatibus vindicans, praesentibus verbo, absentibus scripto prodesse fideliter elaborem.

Quae etsi, prout teneor, perfecte non faciam, tamen utcumque hoc pro tempore implere studeo, Deus testis est, prout ipse, sine quo nil possumus, donare dignatur.

Cogitanti igitur mihi de vobis quid sanctae exercitationis ad bonum, more solito in capitulo nuper transacto scriberem, ecce occurerunt res multiplices quae valde nos ad bonum incitant pariter et obligant, nisi dissimulare velimus.

Certe videtis, Dilectissimi, quam clare super multos alios apertus est nobis sensus ad intelligendas Scripturas. Sed numquid erit bonus intellectus ille (nisi) fecerimus eum: et non magis plagis vapulabimus multis, scientes et non facientes Domini voluntatem? Beatus, inquit Evangelista Johannes, qui legit et audit verba prophetiae hujus, et servat ea quae in ea scripta sunt! Et nos assidue legimus, assidue audimus Scripturas divinas: quae ergo spes nobis ad aeternam benedictionem, nisi servemus efficaciter quae scripta reperimus in eis? Docemus populos, docemus praelatos, docemus sapientes et insipientes, religiosos et saeculares, clericos et laicos, nobiles et ignobiles, parvos et magnos; docemus praecepta, docemus consilia, docemus ardua, docemus secura, docemus semitas perfectionis, docemus omnimodam honestatem virtutum: numquid inveniemur et nos de numero doctorum illorum quibus maledicit Salvator, qui dicunt et non faciunt, habentes folia sine fructu, ficulnea maledicta, et os turturis ad ascellas minime retorquentes? Audiemus illud improperii: Tu qui alios doces, immo tu qui tot et tantos, tot et tanta doces, te ipsum non doces? Cogitemus et recogitemus, Charissimi, quanta sit professio ad quam vocavit nos Deus: quanta sit, inquam, ratione religionis, ratione officii, et ratione evangelicae paupertatis assumptae; quanta sit, inquam, in re, quanta in hominum opinione; et ut verbis utar sancti Ambrosii, quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstretur, ut nomen congruat actioni, et actio nomini respondeat, ne nomen sit inane et crimen immane; ne sit deifica

professio, et illicita actio; ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus.

Habemus, sicut experimento novistis, adversarios multos, paratos ad persequendum, paratos ad obloquendum: numquid recurrendum nobis ad lites et judicia contra illos, et non magis, secundum illud Apostoli, ut bene facientes obmutescere imprudentium hominum ignorantiam faciamus?

Vocant nos magnates ad consilia sua, juxta se nos faciunt consedere, committunt nobis vices suas praelati, fovet et defendit nos sacrosancta Romana Mater Ecclesia, populus ubique fere miram in nobis devotionem ostendit, honorant nos nobiles, et ignobiles, et genus hominum universum: quae causa horum, obsecro, nisi sanctitas quae in nobis reputatur excellens? Ergo deficiente causa, stare non potest effectus. Quam cito exsufflabuntur haec omnia, nisi continuo lux nostra sic luceat coram hominibus ut videntes opera nostra bona, occasionem habeant semper glorificandi Patrem, et filios diligendi.

Assistit nobis indesinenter Providentia superna in cunctis necessitatibus nostris, et ultra quod sapientia humana spectare audeat abunde subministrat. Numquid hoc durare poterit, si ad quaerendum regnum Dei et justitiam ejus torpescere nos contingat?

Denique si maledicta est terra imbrem semper recipiens, et spinas proferens, quid erit de nobis qui toties pluviam doctrinae coelestis, tam electa semina verbi Dei recipimus, et cum tanta diligentia tot correctionum, tot visitationum, tot capitulorum excolimur incessanter?

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: bonum ad forinsecos, in sapientia ad eos ambulando; bonum ad intrinsecos, amabiliter cum eis conversando; bonum ad coaequales, honore invicem praeveniendo; bonum ad minores, ad eos humilitatem servando; bonum ad benefactores, bonum ad malefactores, pro omnibus orando; bonum ad divites, bonum ad pauperes, sine personarum acceptione.

Simus aemulatores boni, ubique et in omnibus illud pro viribus providentes, ut odiamus malum et resistamus illi, adhaerentes inseparabiliter bono noto. Provideamus bona, non tantum coram Deo in clanculo, sed etiam coram hominibus in aperto. Laboremus inveniri de

populo sectatore bonorum operum, qui Domino est acceptus. Faciamus per bona opera certitudinem vocationis nostrae ad gloriam sempiternam. Fructificemus in omni opere bono sicut Apostoli, ut habeamus fructus quos perferamus, et offerre possimus illi tremendo Judici, ante cujus tribunal oportet nos quam citius praesentari. Bonum autem facientes non deficiamus, ut in illa vita beata indeficienter praemia aeterna possidere valeamus. Proni sint sensus et cogitatio nostra in bonum, et non in malum, secundum conditionem naturae corruptae: habitamus enim inter gentes, et commixti sumus inter eas. Scitis autem quam difficile est tangere picem, et non coinquinari ab ea. O quam de istis confidens inimicus, qui speciali odio prosequitur laborantes pro animarum salute, confidentius et ardentius nos aggreditur incessanter!

Proinde necesse est ut non ficte, sed totis viribus conemur in contrarium, sicut viri virtutis qui circa difficilia comprobantur. Nec deerit nobis adjutor fortis, qui non derelinquet sperantes in se, Dei Filius Jesus Christus, si ad ejus confugimus auxilium: in quo proculdubio poterimus omnia, et fient facilia quae difficilia reputantur, ipso juvante, cui est virtus, potestas et imperium per infinita saecula saeculorum; cujus vos gratiae remitto.

Faciat vos Deus memores mei in orationibus vestris, quarum suffragiis Fratrum defunctorum, quorum multus numerus est in Capitulo recitatus, postulo subveniri necessitatibus. Porro in recompensatione desolationis substractionis eorum, consolatus est nos Dominus ex aliorum sancta vocatione. Nam praeter illos qui per diversas partes mundi Ordinem sunt ingressi, plusquam LXX scolares ingressi sunt in Parisiensi conventu hoc anno. (1)

Datum Argentinae, in Capitulo Generali, anno Domini MCCLX.

---

(1) Hic legi vix potest prae litterarum abrasionibus codex noster.

XI.

(an. 1261).

Charissimis (1) et desideratissimis in Jesu Fratribus universis in Ordine Praedicatorum, frater Humbertus, eorum servus inutilis, quaecumque sunt inimica saluti semper respuere et cuncta salutaria sectari.

Labor et passiones variae quas propter nomen Domini sustinetis assidue, requirerent ut ad alleviationem praesentis taedii consolatoria vobis aliqua scriberem, et more piae matris pie filios consolarer. Quod utique libenter fecissem, sicut alias de transactis annis interdum me fecisse recordor, si nunc ut tunc similem materiam habuissem.

Sed quid, quaero, Benedicti Domini, laetum proferre, quid consolatorium potest scribere anima tristis, animus desolatus? Fateor quod multa sunt nuper in transacto capitulo de dilatatione Ordinis, de receptione fratrum multorum, de transitu tribulationis, de pace subsecuta, de reverentia mundi ad Ordinem, de profectu fratrum circa salutem animarum inter barbaras nationes, inter haereticos, inter schismaticos, inter falsi nominis Christianos; et alia non pauca quae cordi meo et aliorum Fratrum gaudium magnum ingesserunt.

Sed unum affuit inter ista, quod splendorem tantae laetitiae graviter offuscavit, et consolationem exortam in moerorem convertit. Multimode siquidem Fratrum de diversis provinciis relatione compertum est quod correctiones Visitatorum, Priorum Provincialium, immo Capitulorum tam Provincialium quam Generalium, sic parum proficiunt apud quosdam, quod apud eos fere omnia incorrecta remanent, factumque est ut contra naturam pellem habeant Æthiopum immutabilem, hi qui tamquam Dei accipitres, ad volandum melius ad praedam salvationis, plumas veteres faciliter deberent commutare in novas.

Hinc est quod, sicut dicitur, apud multos nondum cessaverunt

---

(1) Ex Florentino rursum Codice hanc edimus epistolam.

superbia in aedificiis, notabilitas in vestibus, curiositas in operibus, superfluitas in conviviis, et notae suspectae in quibusdam familiaritatibus, discordiae inter alios in quibusdam in agendis: quae mundum non mediocriter scandalizant.

Adhuc, ut fertur, informantur male novitii, adhuc ante tempus exponuntur periculose minus idonei, nondum quiescunt discursus inutiles, necdum dicuntur correcti qui non solent in itineribus formam Ordinis observare; adhuc quidam libenter saecularibus et transituris negotiis implicantur, adhuc multi Fratres insolentiis multis Ordinem scandalizare non cessant.

Quis autem succincte valeat enarrare multorum verborum copiositatem quae referuntur?

Multi siquidem sunt incauti ad conservandam pacem cum Clero, quia plures audaces intendunt ad ea quae non licet; multi voluntarii ad faciendum quod nesciunt, inviti ad ea quae (non) placent, leves in moribus, perniciosi in exemplis. Quam insipienter ambulant ad eos qui foris sunt! Quam leviter solvunt jejunia! Quomodo negligunt sacrum studium! Quam otiose dies pertranseunt! Quam parum vacant conscientiae, voluntatum perfectioni, compositioni morum, regimini linguae, sensuum disciplinae, et aliis quibusdam quammultis, quae tot Patres Ordinis toties cum magna deliberatione mandarunt!

Haec sunt, Charissimi, per quae annualia fructu capitula defraudantur.

Haec sunt quae gemere faciunt fratres probos pro Ordine laborantes, cum suos graves se vident perdidisse labores.

Et mihi misero quod gaudium esse potest, tendenti ad judicium reddendae rationis pro vobis singulis praedictorum?

Miseremini mei, miseremini mei! Immo Ordinis, immo vestri!

Vos qui circa praedicta reos vos esse sentitis, saltem amodo quae corrigenda mandantur, quae facienda monstrantur, libenter audite, sollicite memoriae commendate, frequentius perlegite, et diligentius improbate.

An nescitis in quantam culpam excrescit incorrigibilitas in modico qualicumque?

Numquid debent inter nos aliqui reperiri quibus illae propheticae sententiae: Curavimus Babylonem, et non est curata, *Jer. 51;* Frustra conflavit conflator, *Jer. 6;* et similes, adaptentur? Avertat haec Dei Filius Jesus Christus Dominus Noster, de cujus dono et gratia meliora et viciniora saluti spero de vobis, quamquam sic locutus fuerim propter quosdam. Confidit Apostolus de Philemone, viro utique plebeio et saeculari, quod supra quod scribit faciet: et vos, Obedientes Filii, non dabitis de vobis fiduciam faciendi quae tot capitula, tot Patres ordinant, a vobis ad hoc ipsum electi? Vult idem Apostolus servos saeculi dicto Domini obedire: et vos jam non servi sub lege, sed liberi sub gratia constituti, non facietis libenti animo quae mandantur, nisi praecepta, nisi poenae graves contra morem Ordinis inducantur?

Proinde, Filii Dei dilecti et electi, date operam universi ut cessent opera praedicta, non contenti professionis terminis ad quos necessitatis obedientia vos compellit, sed castificantes animas vestras in obedientia charitatis, casto Dei amore largius efferamini ad omne bonum opus, secundum illam quae nescit terminos charitatem. Quaecumque ad Dei gloriam et honorem, ad animarum salutem pertinent, non solum praecepta, non solum consilia, sed quaecumque potest etiam manus unica, cum omni diligentia facientes, illius (voluntatem) habentes prae oculis, qui bonos operarios fortiter adjuvat, et remunerat gloriose.

Me una cum fratribus defunctis, qui multi sunt in Capitulo recitati, nobisque datos hoc anno a Deo novitios, vestris orationibus recommendo.

Datum Barcinonae, in Capitulo Generali, anno Domini MCCLXI.

XII.

(an. 1262).

Charissimis (1) in Domino Fratribus universis vocatis et (2) conservatis in Ordine Praedicatorum, frater Humbertus servus eorum inutilis, salutem et continuum in omni sanctitate profectum.

Si doctrina Sancti Spiritus per sanctos Apostolos nobis tradita, quae toties per linguas et aures nostras pertransiit, refulget in nostris operibus prout decet, debemus, Dilectissimi, non in taedio vitam ducere, sed exultantibus animis semper referre gratias Domino Deo nostro, qui nos eripuit de periculis nequitiae praesentis saeculi, et transtulit ad statum per omnia securiorem. (3)

Debemus quoque non ex stulta securitate bonorum aliquid negligere, sed cum metu et tremore salutem nostram sollicitius operari, et orare pro invicem ut illam assequi finaliter valeamus. (4)

Nemo retro respiciat, sed in antea cum coelestibus animalibus se extendat.

Nemo quod suum est quaerat, sed communia. (5)

Nemo exemplo suo laxitatem inducat aliquam, sed studeat fervorem spiritus in altum insufflare. (6)

Nemo fatigatus prolixitate laboris deficiat animo, sed aspiciens in Auctorem virtutum, qui in cruce omnia consummavit, viriliter agat, et tanto magis quanto magis viderit finem appropinquantem.

Non audiantur in vobis divisiones et schismata, sed sit vobis omnibus cor unum et anima una in Spiritu Sancto.

Non aemulemur alios aliquando aemulatione non bona, qui debemus esse aemulatores spirituum et charismatum meliorum.

Non habeant in nobis (7) locum auctoritatis, si qui fratrum turbatores dicuntur: sed potius portet judicium quicumque est talis.

---

(1) Variis in codicibus, speciatimque in Ruth. et Flor. asservatur epistola ista. — (2) τὸ « vocatis et » ex cod. Flor. — (3) Cod. Flor.: in statum per omnia salutarem. — (4) Cod. Flor.: ut.... assequamur. — (5) Cod. Flor.: sed quod commune. — (6) τὸ « Nemo exemplo.... insufflare, » ex cod. Flor. — (7) Cod. Flor.: in vobis.

Quid est autem, Fratres, quod quidam tam libenter, tam facile se implicant negotiis saecularibus, transgredientes terminos professionis nostrae quos posuerunt Patres nostri, et regulam Apostoli de militantibus Deo datam pro nihilo reputantes?

Quale autem est illud quod nonnulli sic ambulant in tenebris, et a luce sua opera sic abscondunt, quod suspicionem de se non bonam semper generant conscientiis (1) aliorum, quibus renuunt fieri manifesti?

Vestrae conversationis insignia sic spirent in aliis odoris fragrantiam, ut omni labe detersa, nihil in vobis inveniri valeat quod nostrum Ordinem dehonestet.

Non tepescat devotio animarum, decor religionis nequaquam (2) depereat, statuta et ordinationes majorum plenius observentur.

Non crescant insolentiae, non multiplicentur delicta; si quid invenitur noxium (3) debita correctione tollatur; et sitis parati cum Apostolo, tanquam viri apostolici, omnem trangressionem ulcisci, cum dilectione hominum et odio vitiorum.

Vigilate, (4) obsecro, vos justitiae Alumni, et in alterutrum vigilantiam incitate, et virgam vigilantem habentes in manibus, dorsis insipientium non parcentes, date omnem operam purgando omnes indecentias.

Sic Ordinem in sua puritate conservate, quod ipse (5) purus puras vestras sic reddat animas Creatori.

Ad hoc ut in agendis vos prudentius habeatis, nolumus vos ignorare quod omnino expedit sic nos cum omnibus pacifice vivere, etiamsi pacem oderint, et pacificis injuriam inferant, (6) quod ad majus tribunal non oporteat nos recurrere occasione quacumque. Super quo, quantum possum, vos moneo et exhortor.

Fratrum defunctorum non modicus est numerus in Capitulo recitatus. Novitios quoque multos Dominus dedit Ordini in diversis mundi partibus; ita quod in conventu Bononiensi et Parisiensi LXX

---

(1) Cod. Flor.: in conscientiis. — (2) Cod. Flor.: nunquam. — (3) Cod. Flor.: nocuum. — (4) Cod. Flor.: Evigilate. — (5) Cod. Flor.: servate quod et et ipse. — (6) Cod. Flor.: odiant, et pacificis inferant injurias.

sunt recepti. Quos omnes, et me cum eis, et fratres qui laborant in nationibus barbaris pro salute earum, vestris orationibus recommendo devotis.

Vos autem commendo gratiae Salvatoris.

Datum Bononiae, in Capitulo Generali, anno Domini MCCLXII. (1)

FINIS OPERUM B. HUMBERTI DE VITA REGULARI.

(1) In Capitulorum Codicibus Guidonianis passim hic post *Acta* capituli anni 1263 spatium relinquitur quo inserenda erat epistola Humberti nondum reperta. Longe tamen verosimilius est hanc scriptam nullatenus fuisse, siquidem in praedicto capitulo, testantibus ipsis *Actis*, « humiliter postulavit » cessionem officii admitti, eaque revera admissa est; unde nullam amplius Ordini epistolam scribendi jus remansit. In codicibus praedictis hisce verbis refertur factum inter historiales notas: « Magister Ordinis, speculum religionis, frater Humbertus de Romanis, cessit magisterio in isto Capitulo: in quo magisterio utiliter et honorabiliter praefuit novem annis. » Et in titulo marginali: « Cessio Magistri Ordinis fratris Humberti de Romanis, semper digni memoria ac reverentia patris. » Quod quam recte dictum sit nullus est qui non intelligat.

APPENDIX

INCIPIT LIBELLUS

SEU

TRACTATUS DE INSTRUCTIONE NOVITIORUM

SECUNDUM MODUM VIVENDI IN ORDINE FRATRUM PRAEDICATORUM
COMPILATUS ET ORDINATUS IN CONVENTU PARISIENSI

PER FRATREM.... (1)

CAP. I.

DE MODO RECIPIENDI EOS AD ORDINEM

Convenientibus fratribus ad capitulum cum illo qui praeest, magister novitiorum adducat personam quae vult recipi ad capitulum, statuens eam (2) ante illum qui praeest.

Et tunc illa persona faciat longam veniam, ex formatione novitiorum ante facta; et tunc qui praeest, scilicet praelatus, dicat: Quid petitis? Et ille respondebit: Misericordiam Dei et vestram. Et tunc debet surgere, et stare, et manus componere decenter.

Quo facto, praelatus solet sibi sic dicere: O carissime fili, misericordia quam petitis, est quod recipiamini ad Ordinem nostrum. Modo volenti [vel volentibus, si sunt plures qui debent recipi ad Ordinem] consuevimus aliqua eis proponere, videlicet: quaedam quae sunt et quae pertinent ad talem, vel ad ipsos; quaedam alia quae pertinent ad nos; alia etiam sunt quae pertinent ad nos et ad ipsos.

Primo, dico, solemus proponere volenti recipi quaedam pertinentia ad vos, quae possent vos ab ingressu Ordinis impedire.

Primo si essetis servus, hoc est servilis conditionis.

---

(1) Tractatum hunc nobis exhibuit quam libentissime R. P. fr. Vinc. Laporte, atque studiose, auspice ipso, exscripserunt novitii conventus nostri Vindobonensis. Quibus omnibus gratias ex animo rependimus. — Codex Vindobonae, in *Hof-Bibliotek*, sub n. 4752, extat. Cujus opellae nos latet auctor. Etsi autem codex ipse saeculi XV dicendus sit, opus tamen saeculo XIII adscribendum est. Cujus asserti rationes praecipuae istae sunt, 1° quod novitiis non charta sed « pergamenum » ad scribendam confessionem daretur (p. 527); - 2° quod « nova correctura, » officii (p. 542) intelligi nequit nisi de Humberti correctione, cum nulla posterius facta fuerit quae hujusmodi titulum sibi mereretur; - 3° quod novitiatus S. Jacobi Parisiensis nunquam nisi saeculo XIII hic descripto modo ordinatus fuerit; - 4° quod usus omnes hoc libello relati a saeculo XIII sunt, nec ullus occurrit qui a sequiori saeculo haberi possit: imo plures nullatenus post saeculum XIII, praesertim in conventu Parisiensi, extiterunt, ut puta usus nullas concedendi a choro dispensationes; officium totum, etiam mortuorum, quotidie cantandi, etc. Quapropter B. Humberti temporibus assignandum est, nobisque hic opportune addendum fuit. - Codex autem ille passim corruptus habetur, imo forsan glossematibus textui insertis interpolatus videtur fuisse. —
(2) Cod.: eum.

Secundo, si essetis conjugatus: quia in istis duobus casibus possent vos dominus et uxor repetere.

Tertio si essetis debitis obligatus: pauperes enim sumus, et ideo debita vestra non possemus solvere.

Quarto, si essetis alterius religionis professus: quia tunc non possetis apud nos remanere.

Quinto et ultimo, si haberetis aliquam occultam et intolerabilem infirmitatem.

Habetis vosne aliquod istorum impedimentorum?

Si non habet, tunc debet respondere, et dicere quod non.

Postea praelatus debet eidem proponere illa quae pertinent ad nos, et dicere: Ex parte nostra etiam habemus quaedam generalia et communia, sicut sunt tria vota essentialia, in quibus convenimus (1) cum aliis religionibus approbatis, scilicet votum castitatis et continentiae, votum paupertatis voluntariae, votum et(iam) humilitatis (2) et obedientiae.

Praeter ista tria communia, habemus quaedam alia magis specialia, in quibus non convenimus cum omnibus religionibus approbatis: videlicet jejunare in refectoriis nostris a festo sanctae Crucis usque ad Pascha.

Item, non comedere carnes, nisi causa infirmitatis vel debilitatis, et hoc de licentia ejus qui praeest.

Item, non jacere super culcitras in dormitoriis nostris.

Item, uti laneis, et non lineis ad carnem.

Item, non portare pecuniam.

Item, non equitare.

Item, mendicare, et victum nostrum sic quaerere propter Christum, sicut Christus propter nos egenus factus est. Et multa talia habemus, quae quotidianus usus magis docebit vos; et poteritis ea melius experiri quotidie, quam ego possem vobis nunc exprimere verbis. Et (3) subjungat: Vultis vos ista libenter propter Deum et regnum coelorum sustinere? Tunc respondeat: Volo.

Insuper debet ei, vel eis, praelatus proponere et dicere: Quaedam sunt quae pertinent ad vos; et hoc sic: Fili carissime, secundum (iura?) et consuetudines solemus assignare annum et diem probationis et diem professionis, quem annum probationis et hunc diem revoluto anno vobis assigno. In quo anno probationis poteritis illa quae dixi vobis experiri, et fratres et(iam) experientur mores vestros, et vos vires vestras et possibilitatem, si possitis Ordinem sustinere. In isto etiam anno eritis liber sic quod si vultis, et fratres volunt, poteritis profiteri in fine anni; et si non vultis, et fratres volunt, etiam ipsis invitis poteritis a nobis recedere. Vultis vos omnia ista praedicta libenter facere, et propter Christum, ut tandem possitis nobiscum (adipisci) regnum coelorum? Quo respondente et dicente, secundum quod prius debet informatus esse a magistro novitiorum extra capitulum: Volo cum adjutorio Dei et vestro; tunc praelatus dicat: Dominus qui incoepit vel coepit, ipse perficiat. Et conventus respondeat: Amen.

---

(1) Cod.: conveniamus. — (2) Cod.: humanitatis. — (3) Cod.: vel et.

Tunc magister novitiorum accipiat puerum, et ducat eum ad praelatum, et exuat eum vestibus saecularibus usque ad inferiorem tunicam, et induat eum vestibus Ordinis, quae debent ibi esse paratae absque omni impedimento; et tunc cantor, vel qui est in loco ejus, incipiat hymnum: Veni creator spiritus, cum alta (voce), et fratres ipsum prosequantur eundo ad chorum cum processione, et in fine omnium, etiam (post) praelatum, magister novitiorum conducat puerum velatum aliquantulum caputio usque ad presbyterium, et prosternat se ibi puer usque ad finem hymni, et tunc sequitur: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, etc., Et ne nos etc., ℣. Emitte spiritum tuum, etc., ℣. Salvum fac servum tuum, etc., Dominum vobiscum, Oremus: Deus qui corda fidelium, etc., Praetende Domine fam. etc.; et dicto: Per Christum Dominum nostrum, et responso: Amen, erigatur per magistrum, et ducatur ad priorem, si praesens fuerit, qui recipiat eum ad osculum, et postea per singulos fratres.

Quo facto, ducatur seorsum, et fiat sibi tonsura Ordinis.

Quo facto immediate ducatur ad chorum, et ibi stet secundum oportunitatem temporis, scilicet vel ad missam, etc.; et postea ad locum novitiorum, ubi informabitur de his quae tunc magis sibi competere videbuntur.

CAP. II.

DE MODO INSTRUENDI NOVITIOS POSTQUAM HABITU ORDINIS SUNT INDUTI.

Postquam novitii recepti fuerint, et rasi, et reducti ad locum sibi assignatum, prima die qua intrat novitius, a magistro novitiorum assignetur sibi alter novitius, si alii, vel alter, recepti fuerint ante eum; et ille dicitur magister novitius, et ille debet eum illo die in paucis instruere. Debet enim eum docere de modo eundi ad cameras: ut velata facie caputio incedat per ingressum totum usque ad cameras inclusive, et similiter redeundo de cameris per totum transitum de cameris versus claustrum usque ad locum sibi deputatum a magistro novitio; et ibi eum expectabit, et tunc simul revertentur ad locum suum.

Similiter debet eum informare de pertinentibus ad chorum: scilicet quomodo debeat se habere.

Similiter de refectorio: quomodo debeat intrare, inclinare, stare, et ubi sedere, et consimilibus; et debet ei bona verba et consolatoria dicere, et Confiteor secundum Ordinem docere (1).

Eadem die debet magister novitius portare ei a librario vel a fratre alio pergamenum et alia necessaria ad scribendum confessionem suam generalem in crastino.

Ipsa autem prima die, quaerat magister novitius a magistro novitiorum ubi erit lectus ejus. Quo cognito, sit sollicitus de pannis portandis ad lectum, vel locum ipsum, et quod habeat soccos et botas (2) pro tempore.

(1) Cod.: dicere. — (2) Cod.: botos.

Dicat etiam ille magister novitius alicui fratri professo, familiari illi novitio qui receptus est, quod vadat ad vestiarium et sutorem pro talibus apportandis; et, si necesse est, vadat cum illo ipsemet magister novitius; vel si non potest facere frater ille, vadat magister novitius cum magistro novitiorum.

Ipsa autem prima die, cum novitius ad locum suum ire debuerit post gratias prandii ad dormiendum, facto signo cum nola ad dormiendum, quod statim debet dari quasi immediate post gratias.... Sed ubi hoc servatum non fuerit, tunc magister novitiorum annuat ut vadat dormitum, et tunc tantummodo ejus (magister) novitius cum novitio assumpto inclinent pariter, et alii novitii sequantur, et stantes ante pulpitum illius magistri, et ibi conveniant ad discalceandum novitium et juvandum..... Aliis autem diebus, omnes remaneant in ecclesia vel in choro in oratione post completorium in hyeme vel in aestate.

Post prandium vero, facto signo dormitionis, vadant omnes ad lectos suos, nisi ex aliqua causa magister novitiorum dederit licentiam uni novitio vel duobus ut possint illa prima die ire ad lectum illius novitii, et juvare illum. Illi etiam qui juvabunt novitium non osculentur pedes, sed humiliter, et religiose, et cum silentio se habeant, ut possit ille novitius ex hoc bene aedificari.

Item, autem prima die circa noctem, quando novitius habet se deponere, tantummodo alii novitii conveniant ad lectum ejus. Nocte vero sequenti, et per VII dies sequentes, soli magistro novitio relinquatur qui informabit eum quomodo se debeat vestire et calceare.

Postquam autem ille novitius per VI dies, vel per VII ad plus, extiterit in Ordine, poterit etiam sine magistro novitio se vestire et calceare, et venire ad lectum suum, et diutius solito stare in oratione post completorium et post matutinas; et tunc discat (et) assuescat portare libros ad chorum, et reportare ad armariam.

Item, postquam steterit in Ordine per VIII dies, doceatur a suo magistro novitio ut (se) praeparet ad disciplinas, sicut alii, post completorium et in capitulo.

Item, per illos VIII dies, magister ille novitius et ipse novitius habeant licentiam loquendi loco et tempore debito cum fratribus: magister novitius scilicet tantum cum novitio et omnibus qui erunt cum illo, novitius vero novus cum omnibus.

Infra illos etiam VIII dies, doceatur solum a suo magistro novitio de modo licentiam petendi loquendi cum fratribus vel cum saecularibus.

CAP. III.

QUANDO ET QUOMODO NOVITII DEBEANT CONFITERI.

Decima vero die qua intravit novitius, post primam, postquam comederint novitii, scilicet tempore jejunii regularis; vel immediate post primam, quando non comederint, scilicet extra tempus jejunii regularis, magister novitiorum

tradat ei modum confitendi, et instruat eum quod diligenter confiteatur peccata mortalia, et circumstantia(s) peccatorum mortalium, si aliqua commiserit; et, si recolit, etiam de vicibus. Dicat etiam ei quod non oportet quod scribat totam materiam peccati sui, sed breviter aliqua memorialia faciat: et tunc, cum confitebitur, plenius poterit explicare et dicere; et poterit scribere juxta lectum suum.

Facta autem confessione generali, et traditis sibi horis beatae Virginis ad repetendum vel addiscendum, magister ejus doceat eum de modo confitendi peccata sua quotidiana, et quomodo primo debet inclinare ante magistrum confessorem suum, et quomodo postea debet dicere cum magno pondere et pudore, et cum debita devotione peccata sua, secundum illa quatuor membra posita in Confiteor Ordinis: scilicet cogitatione, locutione, opere et omissione.

Cogitatione: scilicet habendo cogitationes vanas de vanis, displicentiae, rancorosas, vindicativas, carnales, et in omnibus habendo delectationes, cum modo, specificando actus, etc.

Locutione: habendo verba scurrilia, levia, vana, dissoluta, provocativa ad risum, subsannatoria, detractoria, oblocutoria, falsa, etc.

Opere: habendo scilicet ludos manuales, occupando se circa illa quae non prosunt, sed magis obsunt, de quocunque genere sint, etc.

Omissione: multa scilicet bona omittendo, ut puta orando, meditando, intermittendo bona, etc.

Item, novitius non differat confiteri ultra tertium diem a die primo quo confessus est, nisi habeat bonam et rationabilem causam; poterit tamen aliquando saepius confiteri.

Item, bene praemeditatus veniat ad confessionem, ut brevius se expediat ut alii etiam possint confiteri.

Item, de die confiteatur, et non de nocte, nisi esset casus specialis, et specialiter tempore aestatis.

CAP. IV.

IN QUIBUS NOVITII DEBEANT STUDERE, ET QUAE PRIMO DEBEANT ADDISCERE.

Omnes autem debent scire Salve regina cordetenus.

Item, postquam sciverint horas beatae Virginis cordetenus, tradant eas magistro novitiorum, qui custodiat eas; et postea novitius respiciat, diligenter studeat, cum quilibet etiam studere poterit; *Constitutiones* Ordinis saltem a principio usque ad capitulum de gravi (culpa sciat), et inspiciat eas in libro communi conventus: quem si ad horam portet ad locutorium vel alibi ad studendum, cito reportet ad custodiam, ne sit defectus de libro communi.

Magister autem novitius prima die legat sibi *Instructiones novitiorum*, si sit solus. Si vero sint plures novitii, legat eas in communi antiquior novitius, vel ille cui magister novitiorum injunxerit, saltem semel de mense in mensem.

Poterit etiam interesse cum novitiis magister eorum aliquando, ad audiendum *Instructiones novitiorum,* ut si necesse fuerit exponat eis et declaret.

Istis completis, addiscant diligenter totum *Psalterium* cordetenus, et in eo ponant magnam diligentiam: et primo addiscant cursum et psalmos qui dicuntur ad completorium et ad horas, scilicet: primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, et alios qui frequentius dicuntur in choro, sicut sunt psalmi de communi apostolorum, martyrum, confessorum et virginum, et Quicumque vult; et postea, si vult, et(iam) poterit hymnos de communi apostolorum, martyrum, confessorum et virginum, et communes de tempore.

Item, Officium mortuorum; et discant cordetenus, ita quod possint dicere aliquando lectiones in choro cum responsoriis suis, ita quod (non?) legat eas in libro communi.

Item, addiscat novitius Pretiosa cordetenus, ut possit dicere per se, si necesse fuerit; et si est festum ix lectionum, tunc lectio de Pretiosa (erit) de evangelio festi; quod si ignorat dicat: In principio erat Verbum, usque ibi: Factum est nihil, inclusive. In aliis autem diebus erit lectio de principio *Constitutionum:* Quoniam ex praecepto regulae, etc., usque ibi: inveniamur, inclusive. Similiter addiscat benedictionem mensae et gratias cordetenus, ut sciat dicere per se, si opus fuerit.

Item, novitii diligenter respiciant in *Antiphonaria, Gradualia, Psalteria,* et alios libros de pulpitis suis, et figant ibi imaginationes suas, ut ipsi eo melius sciant vertere folia, et invenire quae invenienda sunt.

CAP. V.

QUOMODO DEBEANT SE HABERE IN CHORO ET AD HORAS.

Quantum ad chorum et ecclesiasticum officium ita se habeant novitii: audito primo signo praeparet se novitius ita mature et ita tempestive, quod, dictis matutinis vel aliis horis de beata Virgine, sit in choro ante secundum signum, nisi forte juvet ad missam, ad quam tamen non tenetur, neque debet juvare facto primo signo cujuscumque horae: nisi de licentia magistri novitiorum juvet.

Item, dum intrant chorum, faciant profundam inclinationem in medio chori. Qui cum ad sedes suas venerint, in expectando ibi secundum signum non sint otiosi: sed (vel tunc) vel alias quandocumque fuerint in choro, nihil ibi loquantur, nisi forte causa necessitatis, et hoc oratione imperfecta; et flexis genibus, vel stando sint in oratione, vel psalmos quos habent affirmare repeta(n)t.

Item, in choro semper habeant se religiose et mature sine dissolutione, sive risu, sive vagatione oculorum; sed composite in moribus, ut alicujus non offendant aspectum, et praecipue et tunc et alias coram fratribus et saecularibus.

Item, semper ibi et alibi, praesente conventu, quando habent ire, amoto caputio transeant; et cum intrant chorum, statim amoto caputio veniant usque

ad sedes suas; et cum exeunt chorum similiter; nec apponant caputium suum, donec sint extra chorum.

Item, cum fratres faciunt inclinationes vel prostrationes suas in choro, in capitulo, vel refectorio, non transeat novitius per eos, sed stet inclinatus vel prostratus donec se erexerint.

In matutinis, ita teneant absconsam, ut lumen non irradiet oculis fratrum, nec eos offendat.

In choro, quando bene poterunt novitii, caveant ne saeculares sint immediate circa eos (aut) juxta eos in sedibus suis: sed potius habeant fratres professos, vel alios novitios magis religiosos et magis perfectos, ad dexteram et ad sinistram.

Item, horas diei et beatae Virginis, et Officium mortuorum, et alia quae dicunt vel cantabunt, dicant tractim et devote et distincte; et permittant versum suum, vel sociorum suorum cum quibus dicent vel cantabunt, sive in choro sive extra chorum, finiri antequam incipiant suum versum: unde versus posterior nunquam prius incipiatur quam suus anterior perfecto fine fruatur.

Item, novitii specialissimam devotionem habeant ad beatissimam Virginem Mariam, ipsam adorando et honorando, et ei serviendo etiam aliis quibuscumque modis; tamquam ad sui devotissimam et dilectissimam Magistram et Conservatricem, et sui Ordinis Abbatissam; et spem specialem et fiduciam, tamquam (1) ad summum post Deum refugium, habeant in ipsam.

Item, tempore jejunii, audito signo quod fit in ecclesia pro collatione, statim omnes ad chorum conveniant; et hoc idem dico audito signo de ecclesia pro prandio vel pro coena: omnes veniant ad chorum, ad sedes dextri chori versus priorem, illi scilicet de dextro choro; et ad sedes sinistri chori versus suppriorem, illi scilicet de sinistro choro, quilibet secundum ordinem suum quo venit ad Ordinem; et idem dico in choro ad horas, vel in capitulo, vel in refectorio, et alibi, ubi hoc debet servari; et sint ibi cum silentio in choro, in oratione vel devotione vel meditatione bona, donec pulsetur cymbalum: quo pulsato statim exeant de choro, combinando se secundum ordinem suum, sicut dictum est jam; et vadant cum silentio et religiose ad lavatorium ad lavandum manus pro prandio, vel pro coena; et breviter se expedientes vadant bene religiose et ordinate ad locum suum ordinatum ante refectorium, et sedeant hinc inde, sicut in capitulo; et magister novitiorum, quando non est impeditus, sedeat inter eos sicut in capitulo; et de illo loco non recedant, donec detur ictus nolae refectorii; et tunc reverenter vadant bini et bini ad refectorium, et inclinent profunde, et stent hinc et inde secundum ordinem suum; vel pro collatione, dato signo cymbali, veniant de ecclesia statim ad refectorium, ubi inclinabunt profunde, et tunc locabunt se secundum ordinem suum.

Item, nunquam exeat novitius chorum, nisi propter necessitatem naturae, vel de licentia; nec remaneat de horis vel de aliquo officio sine licentia.

---

(1) Cod.: ac tamquam.

CAP. VI.

DE LIBRIS APPORTANDIS ET REPONENDIS.

Item, portent libros ad chorum, ubi sunt extra chorum. Si autem sint in choro locati in armariis, exponant eos et diligenter tractent et aperiant et claudant, et finitis horis reportent ad locum suum. Et quando habetur funus ante finem missae, reportent similiter. Similiter, quando debet esse capitulum, reportent circa finem matutinarum; vel ante finem primae, quando debet esse capitulum post primam; vel circa finem vesperarum, quando post vesperas est sermo, vel capitulum habendum; et similiter, quando debet esse processio, reportent ante finem primae vel tertiae.

Item, quando vident vel inveniunt aliquem librum non firmatum, vel alias male tractatum in custodia, vel alibi, firment et reparent diligenter; et si videant quod in eo deficiant, quam citius poterunt denuncient librario vel sacristae.

Item, quandocumque est officium diei proprium, debent novitii libros portare ad chorum, vel exponere ad omnes horas, excepto completorio, et etiam quandocumque sunt propriae antiphonae ad completorium. *Collectarium* autem deferant semper ad omnes horas, excepto dumtaxat feria quarta post palmas usque ad sabbatum ante dominicam in Albis, hoc est usque ad octavas paschae exclusive; et ad primam, ille qui est scriptus ad responsoria horarum.

Item, a festo sanctae crucis usque ad pascha, diebus dominicis, incoepta nona antiquior novitius de dextro choro, et senior de sinistro choro tantummodo vadant pro libris choralibus apportandis.

In vigiliis autem mortuorum, illo tempore quando dicunt(ur), vadant pro *Psalteriis* apportandis tantummodo duo antiquiores novitii in Ordine, scilicet unus de dextro, alius de sinistro choro.

Item, ad vitandum saeculares, semper vadant ad chorum et redeant de die per viam quae vadit versus sacristiam, nisi ostium fuerit clausum, ubi hoc poterit observari: nisi forte ante primam et post prandium, quando volunt manus lavare.

Item, intrando chorum et exeundo, composito modo et mature incedant, ut non nimis cito, nec nimis lente incedant: sed medium modum teneant, et ibi et alibi, quando incedunt.

Item, semper post horas vel post officium missae remaneant in choro in oratione, vel repetendo psalmos usquequo quod fratres professi omnes exierint de choro, nisi tunc debeant juvare ad missas, vel aliud necessarium incumbat eis facere.

Item, post completorium et post matutinas debent esse in oratione, et specialiter diutius tempore hyemis; nec tunc stent superius in sedibus sacerdotum, sed in inferioribus, vel ante altare majus; neque quaerant per ecclesias diverticula ad orandum.

Item, quando habent se calefacere post completorium vel post matutinas, non vadant ad calefactorium nisi cum magistro suo; et quando annuit eis ut vadant ad dormiendum statim, sine con(tra)dictione vadant.

Item, quando novitius non potest habere in promptu pro hora quacumque *Psalterium* suum de pulpito, potest se transferre ad horam modicam ad aliud pulpitum in eodem choro, ubi habetur *Psalterium*, propter psalmos dicendos. Sed hoc intelligendum est de magnis conventibus, ubi in uno choro sunt duo vel tria pulpita: et non de illis ubi nisi unum solum habetur. Idem etiam faciant aliquando propter saeculares, quando veniunt ad funus, vel propter aliam bonam causam, ut puta quando multitudo dominorum venerit ad nos ad missam.

Item, tempore hyemis, diebus dominicis, dicta nona de die, et pro tempore opportuno et(iam) Placebo, hoc est illo tempore quando vigiliae dicendae sunt, dicant nonam de beata Virgine cum aliis novitiis, vel cum professis in choro et submisse, ne alii impediantur qui etiam ibi orare voluerint. Similiter in Quadragesima post vesperas de die dicant in choro vesperas de beata Virgine, exceptis diebus dominicis in quibus vesperae more solito dicantur.

Item, novitius non legat vel cantet, neque sibi injungatur pro aliquo professo aliquid cantandum vel legendum in choro, nisi de licentia speciali magistri sui.

Item, cum tabula legitur, et aliquis novitiorum nominatur pro aliquo peragendo, debet inclinare.

Item, cum debet aliquid cantare vel legere, diligenter faciat se auscultari vel audiri, et specialiter a magistro suo; quem si non potest habere, faciat se audiri ab aliquo professo experto, et hoc faciat de die; et diligenter sibi provideat ne fratres in choro offendat, et se ipsum confundat.

Item, cum novitius primo debet legere lectionem aliquam, magister ejus novitius diligenter eum instruat de pulpito collocando in choro in principio matutinarum. Si tamen habet primam lectionem legere, et si (1) sacrista debeat pulpitum in choro collocare, tunc de hoc novitius se (non) intromittat; vel etiam ubi aliqui conventus habent deputata pulpita in sinistro choro quae sunt immobilia. Dictus autem magister novitius ipsum instruat de *Lectionario* apportando ad dictum pulpitum, et de inclinatione facienda debito (modo): hoc est, si debet legere primam lectionem, tunc debet se inclinare ante pulpitum, ubi lectionem debet legere, et hoc in fine versiculi qui dicitur post antiphonam per totum Pater noster quod dicitur, usque quod ille qui facit officium dicat: Et ne nos, etc.; tunc debet se erigere, et quando fratres responderunt: Sed libera nos a malo, debet dicere: Iube, domne, non nimis clamando; et debet se profunde inclinare usque dum terminata fuerit benedictio ab illo qui facit officium; et fratribus respondentibus: Amen, debet se medio tempore erigere.

Item, dicat sibi quod non prosequatur lectionem, donec tumultus sedium in choro fuerit sedatus; et tunc prosequatur lectionem, qua finita cum Tu autem Domine etc., inclinet se profunde, et reponat absconsam, ita quod non per radium laedantur fratres, et vadat et inclinet profunde sub lampade chori, vel pro tempore prostrationem faciat ante gradus presbyterii quasi sub lampade.

Item, doceat eum idem magister novitius quando debeat legere primam

(1) Cod.: nisi.

lectionem, vel cantare primum responsorium in septimana, quando ipsum ad ista scribi contigerit, ita quod responsorium incipiat post Tu autem, Domine etc. et responsionem Amen; quo finito prosequatur versum paulatim, non nimis ultra vires clamando, ne contingat eum non posse perficere. Similiter doceat eum quomodo debeat legere primam lectionem de mortuis in vigiliis ix lectionum, quando scilicet dicuntur in choro cum cantu; qua finita inclinat profunde ante ipsum pulpitum in quo legit.

Item, quando novitius incipit antiphonam, inclinet profunde: hoc intelligendum est deposito caputio.

Item, quando cantat responsorium horarum vel versiculum, vertat se ad altare; quo finito inclinet profunde.

Item, quando cantor injungit sibi aliquid cantandum vel legendum, inclinet aliquantulum amoto caputio.

Item, quandocumque remanet de matutinis vel aliis horis, si habet aliquod officium, dicat magistro novitiorum quod injungat illud alicui novitio vel professo. Hoc idem dico quando aliquis professus injungit sibi aliquid cantandum vel legendum in choro, quod debet dicere magistro suo vel omnino negare professo.

Item, in choro novitius sedem suam sine tumultu cum manu elevet, et similiter deponat.

Item, candelas non accipiat in ecclesia, portando ad cellas, vel ad dormitorium; sed post matutinas residuum candelae deponat ubi accepit, vel tradat sacristae.

Item, sedem suam vel aliorum spuendo non maculet, sed versus medium chori spuat.

Item, pro candela accendenda antiquior novitius, si plures (sint), dextri chori vel sinistri chori, vadat ad cereum de altari, et non ad lampadem, ne ipsam frangat, vel oleum effundat (1).

Item, quando legit vel cantat aliquid in choro, semper prout poterit mediocri voce incipiat, sicut praedictum est; quando cum alio cantat, contemperet vocem suam secundum vocem socii sui cum quo cantat.

Item, quando incensatur thuribulo in choro, vel aspergitur aqua benedicta, amoto caputio aliquantulum inclinet.

CAP. VII.

QUOMODO NOVITII DEBEANT SE HABERE IN DORMITORIO.

Quantum ad dormitorium notandum quod dormitorium debet esse novitio pro cella: et hoc intelligendum est ubi novitii habent speciale dormitorium; in quo juxta lectum suum poterit orare de die et de nocte, et flexis genibus aliquando poterit etiam legere, et psalmos repetere; et aliquando scribere, de tamen licentia magistri novitiorum.

(1) Antiqua est haec definitio novitii: Animal risibile, fundens oleum, frangens vitrum.

Item, in aestate, quando fit signum dormitionis post prandium cum nola capituli, statim finita pulsatione novitii exeant de choro, et lotis breviter manibus, quod etiam faciendum est quando vadunt ad comedendum pro prandio, sive pro coena, lotis tamen manibus post prandium in aestate, statim cum silentio ascendant superius ad dormitorium, vel prius ad cameras, si necesse sit (1); et postea, per spatium quasi septem psalmorum poenitentialium quilibet juxta lectum suum poterit orare, vel psalmos repetere, et postea omnes intrent lectos suos et dormiant; nec inde surgant donec fiat signum ad nonam, nisi propter necessitatem naturae. Et hoc idem intelligendum est de nocte.

Si vero non possunt dormire tunc, id est post prandium, vel de nocte, in lectis cum silentio orent, vel psalmos repetant, vel cogitent de vita aeterna, vel de poena purgatorii vel inferni, vel de morte; et caveant diligenter ac sollicite ne revolvant turpes cogitationes, vel leves et saeculares, nec obdormiant in illis: sed statim, cum occurrunt, signo crucis, vel Salutatione Virginis eas repellant.

Audito vero primo signo quod fit in ecclesia, tunc (2), id est de dormitone post prandium et alias, hoc est aliis temporibus dormitionis, statim surgant, ne eos teneat misera carnis voluptas, sed pro regno coelorum habendo sibi faciant violentiam velociter.

Postquam vero fuerint calciati dicunt devotim et satis tractim de beata Virgine nonam; et idem intelligendum est de matutinis et de prima dicendis de beata Virgine audito primo signo, ut dictum est.

Item, caveant diligenter ne post completorium, vel post matutinas, vel post prandium in aestate, faciant lectos, vel aliquid aliud, unde inquietent alios vel excitent dormientes. Sed quando novitius intrat dormitorium, vel exit lectum, ita suaviter et ita plane incedat ne alii excitentur vel molestentur.

Item, quandocumque exit de lecto, semper suum lectum paret et ornet et breviter; et postquam dixerint de beata Virgine poterit plenius, si sibi vacat, parare, vel alio tempore opportuno; et si sedem vel arcam habuerit ante lectum suum, sic aperiat ne tumultum faciat.

Item, in hyeme botas suas sub lecto suo occultet.

Item, quando calciat vel discalciat se, semper habeat scapulare vel partem tunicae ante tibias suas, ne (minus) honeste ab aliis videatur.

Item, non vadat nudis pedibus per dormitorium, nec inde exeat, nisi prius calciatus sotularibus, vel botis; nec de lecto exeat nisi prius indutus fuerit scapulari.

Item, nunquam portet ignem in candela vel in absconsa ad dormitorium, nisi de licentia magistri sui speciali; et si aliquando portet propter necessitatem et de licentia, diligenter custodiat. Antiquiores autem novitii in Ordine poterunt aliquando aptare lampadem et praeparare, ut novitii vel fratres professi qui ultimo venerunt ad lectum melius possint videre ad exuendum, et discalciandum, et intrandum lectum.

Item, non dormiant cum sotularibus, quia inde dolor capitis generatur.

---

(1) Cod.: fuerit sit. — (2) Cod.: et tunc.

Item, non surgant novitii ante primum signum primae,nec ante primum signum matutinarum, nec etiam ante primum signum nonae, nisi propter necessitatem naturae.

Item, advertant, quando dicunt horas de beata Virgine in dormitorio vel alibi, quod non dicant nimis alte, ne forte alii similiter dicentes impediantur: sed solum sufficit quod ab illis audiantur cum quibus dicunt.

Item, in lectis suis, sive in dormiendo sive in vigilando, semper honeste se habeant ac decenter.

Item, ubi novitii transeunt coemeterium sive sepulcra, dicant collectam Fidelium Deus, Pater noster et Ave Maria; et libentissime et frequenter orent pro mortuis, quia specialiter multis de causis eis tenemur.

Item, assuescat novitius statim surgere de lecto, et cito se parare et in vestiendo et in calceando, sicut dictum est; et etiam ut citius possit esse in choro.

CAP. VIII.

QUOMODO NOVITII DEBEANT SE HABERE CIRCA CELLAS ET DE PETENDA LICENTIA LOQUENDI.

Quantum ad cellas notandum quod novitius non debet ire ad cellas, nec studere in cellis, nec cellas professorum fratrum intrare sine licentia speciali magistri novitiorum; nec debet eas circuire, nec dormitorium fratrum, nisi dormiat ibidem, ubi non habetur speciale dormitorium novitiorum; nec debet intrare hospitium fratrum, nec alias officinas conventus visitare, nisi de licentia et ex aliqua causa necessaria.

Item, non debet novitius intrare vestiariam vel sutoriam et hujusmodi loca, etiamsi habuerit licentiam, nisi semper assumat socium novitium, vel professum sibi magis notum; vel si non habeat, accipiat aliquem de licentia magistri sui, et breviter ibi se expediat; et quando poterit ejus negotium per alium expediri, procuret cum magistro suo quod aliquis professus magis sibi familiaris vadat ibi, expediat negotia sua, (et) novitii et novitius remaneant.

Sed hoc idem dico quando plures novitii habent facere ad aliquem dictorum locorum, quia tunc sufficit quod duo antiquiores novitii vadant pro tunicis vel sotularibus, et hujusmodi; vel quibus magister novitiorum injunxerit: et hoc melius erit. Potest autem magister eorum aliquando ire cum novitio vel cum novitiis, si sunt plures qui habent facere ibidem, ne habeant causam eundi, vel materiam evagandi.

Quod autem nunc dictum de socio assumendo professo vel novitio, quando debet ire ad officinas, et alia quae dicta sunt circa officinas, idem intelliga(tur) et supponitur, quando loquitur cum extraneis.

Item, quando petit licentiam loquendi, sufficit quod tantum ponat digitum suum ante os suum. Si vero cum extraneo, vel extraneis, sic debet exprimere, dicendo sic: Licentiam loquendi cum extraneo, vel extraneis. Et semper loquatur

imperfecte, id est oratione imperfecta, in locis et temporibus prohibitis: tamen, quando novitii confitentur, magister novitiorum potest eos alloqui perfecte, et ipsi possunt ei respondere perfecte.

Advertant etiam novitii diligenter quod quando cum extraneo loquuntur, cum magna cautela et religiose loquantur, et breviter se expediant: tum propter conscientias suas, quae de facili laeduntur ex verbis saecularium, tum etiam propter socium suum ne gravetur et impediatur; nec ipsemet unquam loquatur cum extraneo, quin socius suus audiat totum quod (dicitur).

Item, novitius non ludat ludo manuali, vel hujusmodi, sed tantum lingua loquatur, et raro, et breviter, et submisse, et utiliter: non de trufis et burdis et hujusmodi verbis saecularibus, quibus conscientiae laeduntur et tempus amittitur. Si enim novitius vult proficere et habere cordis quietem, summum sit ei studium stricte tenere silentium, et linguam a noxiis refraenare, saepe revolvens illud Iacobi: Si quis putat se religiosum esse non refraenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Jac.* 1.

Item, est bonum signum in novitio quando (non) nimis in verbis se effundit, cum sancti et boni novitii soleant se a talibus retrahere, et cum magna devotione soli Deo et sibi in oratione vacare.

Item, non stet ne(c) moretur in claustro, hoc est in ambitu, post completorium et post matutinas, neque etiam post prandium; neque etiam vagetur hinc inde, et maxime solus.

Item, omnes licentias suas petat a magistro novitiorum, si potest invenire. Si vero de facili eum non potest invenire, licentiam loquendi petat a priore vel suppriore, vel vicario eorum. A quocunque tamen petatur, cum reverentia petatur, et amoto caputio.

Item, novitius non det nec accipiat aliquid, vel cambiet aliquid, neque etiam sibi missas litteras aperiat vel mittat, vel aliquid hujusmodi faciat, vel poenitentiam aliquam singularem, vel votum quodcunque, vel disciplinam aliquam accipiat, nisi de licentia magistri sui speciali.

Item, novitii sint solliciti quod unus alium (de) defectibus suis moneat dulciter, et caritative corrigat vel accuset; et hoc judicet esse signum magnae dilectionis ille qui corrigitur, vel etiam accusatur; et de hoc faciendo (1) habeant novitii licentiam generalem; et ille qui corrigitur debet hoc habere pro magno bono, et debet dulciter correctionem accipere. Si vero indignatur vel impatiens efficitur, signum est magnae stultitiae.

Item, de beato Bernardo dicitur quod saepe et devoto corde volvebat et revolvebat, et aliquando ore dicebat: Bernarde, ad quid venisti? Sic novitius a seipso exigat ad quid venerit, et intraverit Ordinem istum: quoniam ad salvandum animam suam, et vitam aeternam per labores et per poenitentiam promerendam. Non enim novitius intravit ad dissolvendum se, et quiescendum, et superbiendum, vel ad confabulandum, et hujusmodi faciendum; et quae per se ipsum poterit ruminare disputet secum.

(1) Cod.: faciendi.

Item, cum nullo alio novitio, vel professo, et multo minus cum saeculari quocunque disputet et contendat: et maxime de logicalibus vel physicis, quae ei magis animum perturbant quam quietent.

Item, si contingat novitium in cellis vel aliis locis prohibitis frangere silentium, vel in aliquo male se habere, et videat praelatum vel magistrum suum transire juxta eum, debet subterfugere, et resilire in signum reverentiae.

Item, in cellis vel aliis locis prohibitis non stent novitii insimul congregati, ne alii transeuntes credant eos frangere silentium, et ita scandalizentur.

CAP. IX.

QUOMODO SE HABERE DEBEANT CIRCA CAPITULUM.

Circa capitulum novitiorum notandum quod antiquior in Ordine provideat de lumine, de virgis, et praeparet formas, idest sedes vel scamna, ad sedendum; et finito capitulo collocet ea in locis suis, et inquantum poterit ordinet, si capitulum eorum in ecclesia fuerit, ne fratres qui vadunt per ecclesiam ad orandum impediantur vel laedantur. Ad ista autem exsequenda juvent eum alii novitii, et maxime ille qui est antiquior post eum.

Item, quando in capitulo fratrum dicit prior vel praelatus: Vadant novitii ad lectum, vel ad orationem, tunc non debent habere capitulum pro illa vice; et tunc omnes novitii conveniant (1) in aliqua parte ecclesiae coram aliquo altari, vel alibi, secundum quod magister novitiorum ordinaverit, et tunc antiquior novitius in Ordine prosequatur quod restat de Pretiosa dicendum, scilicet Laudate Dominum omnes gentes, etc. Quo dicto, vadant ad orationem statim cum silentio, et postmodum ad lectos suos: et ita mature et religiose et cum silentio, quod non perturbent fratres qui tunc erant in capitulo. Caveant autem diligenter ne auscultent fratres existentes in capitulo.

CAP. X.

QUOMODO SE HABEANT CIRCA REFECTORIUM ET IN MENSA.

Sequitur quantum ad refectorium, scilicet tempore hyemali et in aestate, sextis feriis, vel aliis quibusdam diebus, quando scilicet novitii comedant in mane, statim post primam audita una missa, vel dicta missa in choro, omnes conveniant ad chorum; nec stent in sacristia vel alibi, sed quilibet sit in choro suo, vel omnes sint simul in uno choro, secundum quod magistro eorum videbitur; neque aliquis molestet alios faciendo se nimis expectare; et cum omnes sic fuerint in choro qui debent comedere, uno non expectato vel duobus si nimis

(1) Cod : conveniunt.

morantur, hoc est si multi fuerint novitii, antiquior in Ordine, vel magister eorum, si sit praesens, faciat signum super aliquam sedem; quo facto omnes vadant ad refectorium religiose bini, et bini eo ordine quo vadunt in processionem; non tamen in magna distantia sit unus ad alterum, sed quasi junctim incedant. Semper idem intelligendum est quotiescunque vadunt simul sine conventu: sive ad hortum sive alibi, vadant sic semper ordinati et combinati ut dictum est.

Dum autem omnes sederunt, antiquior eorum in Ordine, si sunt pauci, vel duo antiquiores novitii, si sint in magno numero, serviant aliis novitiis breviter; et statim sine mora sedeant cum aliis et comedant; et de illa comestione omnes breviter se expediant, nec ita se ibi cibis repleant quin bene possint comedere in prandio conventus. Finita autem comestione illa, omnes simul surgant, et dictis gratiis ab antiquiore novitio, statim secundum ordinem superius positum revertantur ad dormitorium vel chorum, nisi sic de licentia aliquis vel aliqui remaneant, vel alibi vadant: quod non faciliter magister eorum eis concedat, ne evagentur. Si autem ante primam sit sermo vel capitulum, statim, finito sermone, non allocuti saeculares, nec expectantes eorum egressum, vadant ad refectionem suam per magis secretum locum versus refectorium.

Item, in prandio vel in coena, et conventus audito signo quod fit in choro per campanam, sive sint in dormitorio suo, sive quocumque locorum, statim ad chorum conveniant, et quilibet in suo choro juxta pulpitum stet et maneat quousque pulsetur cymbalum; quo pulsato exeant omnes, et ordinate vadant bini et bini secundum ordinem et gradum suum ad lavatorium, et ibi lavent manus suas et breviter, propter alios fratres qui etiam habent ibi lavare, et tunc et alias vadant juxta refectorium expectatis primo sociis juxta lavatorium quousque omnes sint parati, et tunc vadant ordinate, ut dictum est. Dum autem venerint juxta refectorium sedeant ibi cum silentio, et mature se habeant, et orent ibidem, vel psalmos suos quos habent affirmare repetant. Transeuntibus autem praelatis, lectoribus, vel magistris, vel fratribus antiquioribus, et fratribus spectabilibus, et tunc et alias, assurgant amoto caputio, et ipsis reverentiam exhibe(a)nt.

Item, novitius sedens ubicumque, fratri supervenienti undecunque, sive sedere juxta eum voluerit sive non, assurgat ei secundum quod dicit beatus Augustinus in regula: « Honorate Deum in vobis invicem, cujus templa facti estis. »

Item, cum reverentia quadam debet novitius loqui cum fratribus professis, et maxime cum sacerdotibus.

Item, inter caetera, si vult proficere, advertat specialiter quod studeat humilitati et sui ipsius dejectioni; et quanto major fuit in saeculo tanto in omnibus et ad omnes humilior et benignior inveniatur in claustro: saepe revolvens illud Ecclesiastici: Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. *Eccli.* 3.

Item, quando vel connovitio suo vel fratri alii servierit in deferendo libros, et accendendo candelam, et ipsum docendo et dirigendo, et aliis quibuscumque se humiliaverit, tanto se beatiorem reputet esse; caveat diligenter ne in se ipso

superbia, indignatio et impatientia inveniatur, sed in omnibus se dejiciat et humiliet propter Deum.

Item, audita nola refectorii, omnibus dimissis intret refectorium, et faciat sicut praedictum est.

In mensa autem maxime servanda est disciplina. Debet enim novitius et tunc et alias se habere sicut una puella: ut oculos vagos non habeat, lectionem diligenter attendat.

Item, in mensa nullo modo loquatur, nisi de necessariis mensae, et hoc oratione imperfecta; et attendat (1) magnam poenitentiam scriptam in constitutionibus quantum ad eos qui frangunt silentium in mensa ex proposito; super qua nec ipse prior conventualis potest dispensare.

Item, inclinet servitori semper quando ei aliquid apportat, (2) vel quando aliquid removet coram eo.

Item, sit contentus eis quae sibi apponunt, et comedat sicut alii quando poterit bono modo; nec molestet servitores petendo varia diversa, nisi habeat (3) bonam causam. Aquam tamen debent novitii petere, quando vinum est nimis forte.

Item, modum honestum et modestum habeant in comedendo: ut non nimis se diffundant super cibum, sed tractim et plane comedant, et faciant suum factum, et fraeno rationis appetitum inordinatum (cohibeant).

Item, cum novitius non venerit ad Ordinem propter ista delectabilia, caduca, et transitoria quaerenda, sed potius ad agendam poenitentiam, potius gaudeat cibis grossioribus et parcitate cibi, quam pitantiis et hujusmodi delicatis.

Item, finita comestione descendant inferius de mensa ad terram ad gratias persequendas, et incoepto psalmo: Miserere mei Deus etc., a cantore, incipiant exiri et non ante; et primo conveniant bini et bini ad medium refectorii, et inclinent profunde, et vadant processionaliter, et psallendo ipsum Miserere, usque ad chorum.

Item, licet novitiis (opus sit) fraenare linguam suam ab omnibus malis verbis, et nocivis, et vaniloquiis: specialiter tamen a tribus generibus sive modis verborum debet sibi cavere, scilicet a juramentis a detractionibus, sive oblocutionibus, et a mendaciis.

Item, notandum quod multum differt mentiri et falsum dicere: quia mentiri est contra mentem quid dicere et conscientia repugnat; sed falsum dicere est, quando scilicet aliquis credit se bene dicere, non est: ita ut unum mendacium praeponderat et (est) gravius (4) multis falsis.

Sunt et alia tria in quibus se debet bonus novitius exercere: scilicet primo continua oratio, et hoc pro loco et tempore; item, secundo frequens confessio; item, tertio linguae restrictio, et specialiter, sicut dictum est, a vaniloquiis et nocivis.

---

(1) Cod.: attendant. — (2) Cod.: apportet. — (3) Cod.: habeant. — (4) Cod.: et cum gravius.

CAP. XI.

QUOMODO SE HABERE DEBEANT NOVITII CIRCA COMMUNIONEM ET DE HIS QUAE CIRCUMSTANT

Sequitur de modo communicandi, et quomodo novitii debeant ministrare in missa conventuali. Quo circa videant diligenter novitii (1) hoc quod scriptum est in principio *Missalis de majori altari.*

Quantum autem ad communionem ibidem invenitur scriptum. (2)

Sed tamen addo istud, scilicet quod novitii in rasura communi sint de primis rasis, si possunt; et vadant ibi similiter bini et bini et ordinate; et ministrent fratribus; et, si necesse fuerit, capita lavent et pedes; et si (non) habent sudaria vel aliquid talium, petant ab eis, ut possint lavare; et cum magna humilitate et disciplina hoc faciant.

In hyeme autem, et tempore regulari, (3) vadant primo statim post primam et missam, et post omnia quae dici habent in choro, ad comedendum; et breviter ibi in comedendo se expediant, et statim post comestionem ad rasuram eo modo quo dictum, bini et bini etc. Qui dum ad locum venerint, ordinate se mutuo lavent, incipientes a junioribus, et ultimo antiqui novitii. Quo facto redeant ad locum suum, nisi fuerint occupati in lotura fratrum; et non (se) habeant coram fratribus et saecularibus dissolute, sed mature; et quantocius poterunt recedere faciant; et simul recedant eo modo quo venerunt.

Item, quando novitius primo debet communicare, magister novitius debet eum instruere diligenter; et dicat ei quod respiciat quomodo alii praecedentes faciunt, et ipse se eodem modo habeat.

Item, quando datur Corpus Christi novitio, advertat quod mappulam bene ponat sub mento suo, propter periculum.

Item, semper in die immediate praecedenti communionem praeparent se novitii et confiteantur, nec expectent usque in crastinum ac si ipsa die deberent communicare, et ita se praeparent in die praecedenti. Die vero communionis, si habent aliqua pauca confiteri, poterunt ea confiteri et breviter; nec oportet semper praemittere Confiteor, etc. Caveant tamen diligenter ne nimis strictam et scrupulosam faciant conscientiam. Non enim propter quamlibet cogitationem vel propter quemlibet motum (4) opportet confiteri; sed potest tundere pectus suum, vel Pater noster dicere. Quando enim viriliter resistit talibus, plus meretur quam demereatur.

Item, quando in die communionis magister novitiorum exit de choro, et vadit ad sacristiam aliquando propter unum novitium vel duos audiendos in suis confessionibus, alii novitii hoc videntes qui sunt in choro, si indigent confiteri

(1) Cod. addit: sic. — (2) Quomodo rasura et communio concurrerent disce ex antiqua hac rubrica: « Solent autem Fratres communicare quandocumque fit rasura in die solemni, vel in aliqua feria sequenti. » — (3) Scil. tempore jejunii regularis. — (4) Cod.: quodlibet (*sic*) modum.

veniant ad sacristiam, et se expediant, ne oporteat magistrum novitiorum toties exire de choro.

Item, semper die praecedenti communionem, et ipsa die communionis, debet specialiter se retrahere a locutionibus et hujusmodi, et restringere se ob reverentiam tanti domini quem receperunt, Christum scilicet Dominum nostrum; et esse in oratione et devotione, et bonam societatem hospiti (tanto?) et tam dulci tenere et deferre.

CAP. XII.

QUOMODO DEBEANT NOVITII JUVARE AD MISSAS PRIVATAS.

De modo juvandi ad missas privatas, videant diligenter novitii in principio missalium de nova correctura quae spectant ad altaria ecclesiae. Advertant tamen, cum illis quae ibi dicuntur, quod in hyeme, quando in missa carbones ministrantur sacerdoti, quando debent sufflare carbones, elongent se aliquantulum ab altari, ne cineres et favillae cadant super altare.

Item, specialiter post Pater noster offerant carbones sacerdoti propter fractionem hostiae sequentem, et tunc porrigant carbones ex parte illa ubi missalis liber jacet, et hoc cum magna reverentia et honore. Haec et alia quae spectant ad missam facere (debent) propter Deum majestatis.

Diligenter etiam advertant quod juvare ad missam est officium speciale novitiorum, et libentissime et cum tota devotione debent hoc facere. Ibi enim adest fons totius bonitatis et misericordiae, ad modum deitatis hominis sedentis in mensa, projiciens catulo micam panis. Ille namque, qui dives est in misericordia, novitio sibi tam devote et tam sollicite in missa tamquam in mensa Domini ministranti non dedignabitur micam saltem gratiae et devotionis conferre. Nec enim erit tam incurialis Dominus liberalis, qui est dives in omnes, si tamen novitius tanquam canem, id est humilem et abjectum, sciat se reputare, quin ei aliquid porrigat tam devote postulanti.

Advertant etiam novitii quod multi novitii, libenter et devote juvando ad missas, non solum in religione et vita, sed etiam super alios in scientia profecerunt. Ibi enim hauriunt quod postea devote effundunt.

Postquam autem novitius steterit in Ordine per quindenam, diligenter legat vel inspiciat *Instructionem novitiorum* a principio usque ad finem, in quindena saltem semel et diligenter, in quibus proficit ea quae scripta sunt faciendo, vel in quibus deficit omittendo; et de omni profectu regratietur Domino largitori. Si qua vero minus bene compleverit, se sollicite corrigat, et curet deinceps efficacius adimplere, et sic *Novitiorum Instructio* terminatur. Amen.

Explicit de *Instructione Novitiorum.*

INCIPIT DE MODO ORANDI EORUM

Sequitur de quodam modo orandi et expendendi diem, si tamen ipse novitius non inveniat meliorem.

Primo novitius post matutinas beatae Virginis cogitet et revolvat cum ardore beneficia Dei: scilicet Incarnationis, Nativitatis, Passionis et hujusmodi generalia; et aliqua specialiter ei collata, scilicet de ingresso tali et tam sancto Ordine; cogitet etiam quot vias alii in saeculo tenent et tenuerunt, quot etiam moriuntur morte subita, quot consolationes sibi immittit, et hujusmodi, et alia quae confert specialiter plus uni quam aliis. Istis cum magno ardore revolutis et, si placet, expressis, dicat in fine: Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis etc.; et postea dicat: Pater noster, et Ave Maria.

Secundo, post ista dicat: Veni Creator Spiritus, etc., cum versu Emitte spiritum tuum, etc., Domine exaudi orationem meam, etc., cum istis orationibus: Deus qui corda fidelium, etc., Ure igne renes meos etc.

Tertio, oret pro illis quibus tenetur; et primo cogitet orando in corde, et ore si placet exprimat, collocans sicut solent dici pro mortuis: ℣ A porta inferi, etc., Domine exaudi orationem meam, etc., et specialiter pro aliquibus, ut pro patre, matre, fratribus, sororibus, et sepultis in coemeterio nostro, et pro aliis recommendatis, et pro suis specialibus.

Postea oret pro vivis: et primo pro specialiter sibi attinentibus secundum carnem, et pro praelatis Ordinis, pro provinciali et pro aliis praelatis, et pro benefactoribus, et pro existentibus in gratia, et pro toto statu Ecclesiae; et de multis aliis poterit cogitare orando in corde suo.

Istis revolutis dicat psalmum: Ad te levavi oculos meos, etc., cum Gloria patri, etc., psalmum: De profundis clamavi ad te Domine, etc., cum Requiem aeternam, etc., Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, etc., Ave Maria etc. ℣. Salvos fac servos tuos et ancillas tuas etc. ℣. A porta inferi, etc. ℣. Domine exaudi orationem, etc., cum orationibus istis: Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia, etc., Ecclesiae tuae Domine preces placatus, etc., Deus a quo sancta desideria, etc., Deus cui proprium est misereri, etc., Praetende Domine famulis et famulabus tuis, etc., Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterna, etc., Adesto Domine supplicationibus nostris, etc., Deus qui de beatae Mariae Virginis utero, etc., Tribue quaesumus, Domine, omnes sanctos tuos, etc., Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, etc., cum ℣. Requiescat in pace. Amen. Pater noster, etc., Ave Maria, etc. Post primam de beata Virgine potest dicere septem psalmos poenitentiales. In missa vero post offertorium oret iterum pro illis pro quibus oravit post matutinas, et eodem modo sicut supra dictum est.

Quarto oret Deum et(iam) ut supra usque ibi: post primam de beata Virgine. Si vero non potest omnes orationes suas complere in missa, perficiat postea. Cum autem specialiter mortuis obligemur, et eis teneamur, et in brevi simus

etiam morituri, assuescat dicere quotidie tres lectiones (de) vigilia de mortuis, et semel in septimana novem lectiones, licet in choro aliquando non dicantur.

Item, unum nocturnum *Psalterii* potest dicere quotidie, et nocturnum illud secundum quod competit diei; scilicet die dominica: Beatus vir; feria secunda: Dominus illuminatio, et de aliis; et ita in die sabbati complevit psalterium, et illa die septimum et ultimum nocturnum scilicet Cantate Domino etc., et totum cursum scilicet usque ibi: Omnis spiritus laudet Dominum, ubi terminatur *Psalterium*; et sic in septimana sine magno gravamine dicet semel *Psalterium* suum, cum pro remissione peccatorum suorum, tum pro benefactoribus suis, et aliis indigentibus. Istud etiam multum confert ei ad sciendum cordetenus *Psalterium* suum. In fine vero *Psalterii* cum dixerit: Omnis spiritus laudet Dominum, adjungat: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison; Pater noster, Ave Maria, cum istis versiculis: Salvos fac servos tuos et ancillas tuas, etc., A porta inferi, etc., Domine exaudi, etc., cum istis quinque orationibus: Deus cui proprium est misereri, etc., Concede nos famulos, etc., Praetende Domine, etc., Tribue quaesumus Domine omnes sanctos tuos, etc., Fideli um Deus omnium conditor, etc., cum ℣.: Requiescant in pace. Amen. Postea dicat: Pater noster et Ave Maria. (1)

Post completorium, semper cogitet quomodo expenderit totam diem, et quae commisit cogitatione, locutione et opere et omissione; et sub illis quatuor membris comprehendat peccata sua, et postea suo tempore confiteatur. De bonis vero quae illo die et alias fecit, regratietur Deo bonorum omnium largitori, et de malis petat veniam. Post ista vero recolligat beneficia Dei eo modo quo scripta sunt in principio istius *Modi orandi* supra ibi: Primo novitius post matutinas etc.; et poterit etiam addere: Salve regina, etc., et Alma redemptoris, etc., cum aliis antiphonis et orationibus specialibus de beata Virgine.

Quinto post completorium quando exit de ecclesia et de choro, eundo ad cameras et redeundo, et intrando lectum, quia alibi ire non debet, dicat quindecim gradus, eo modo quo dicuntur quando fit officium de beata Virgine in choro, et aliquam antiphonam cum collecta: Protege Domine famulos tuos, etc., cum ℣.: Salvos fac, etc., et in fine dicat: Nos cum Prole pia, benedicat virgo Maria, Amen; et subjungat: Glorificamus te, Genitrix virgo Maria, quia ex te natus est Jesus Christus Dominus noster; Salva me et omnes qui te glorificant, Amen, cum Ave Maria et Gloria patri; et sic terminatur *Modus orandi novitiorum.*

† D.

(1) Hic notent qui de Salutatione Angelica historice tractant usum illam assidue post Orationem Dominicam hic recitandi.

INDEX

1. Expositio Magistri Humberti super constitutiones fratrum praedicatorum.

Prologus . . . . . Pag. 1

I. Contra turbatores unitatis animarum . . . » 2
II. De triplici unitate. . . . . » 4
III. De unitate in observantiis. . . . . » 5
IV. Quare expedit agenda scripto commendari . » 8
V. Quos libros Ordinis praelatus debet providere conventui . . . . . » 9
VI. De custodia in minoribus observantiis . . » 17
VII. De quibusdam quaestionibus circa potestatem dispensandi . . . . . » 18
VIII. De utilitate studii in nostro ordine . . . » 28
IX. De excellentia praedicationis super alia opera. » 31
X. Quibus modis praedicatio impeditur . . . » 35
XI. De impedimentis contra fructus animarum quae sunt contra Ordinem . . . . . » 36
XII. Propter quid Ordo principaliter fuit institutus. » 38
XIII. Utrum possimus studere in philosophia . . » 42
XIV. De quibusdam quaestionibus circa obligationem ad culpam vel ad poenam . . » 46
XV. In quibus casibus faciendo contra regulam vel constitutionem est peccatum . . . » 49
XVI. Utrum admonitiones et consuetudines obligent ad culpam . . . . . » 51
XVII. De numero praeceptorum quae sunt in constitutionibus . . . . . » 53
XVIII. Quae transgressiones sunt culpae majores vel minores . . . . . » ib.
XIX. De quibusdam quaestionibus circa contemptum constitutionum . . . . . » 55
XX. De septem quae sunt consideranda in constitutionibus nostris. . . . . » 57
XXI. De rationibus . . . . . » 60
XXII. De differentia inter constitutiones et admonitiones, et de duratione admonitionum. » 63

Cap. I.	*De Officio Ecclesiae*	*Pag.*	68
XXIII.	De signis.	»	ib.
XXIV.	Quare sabbatum attribuitur Beatae Virgini.	»	72
XXV.	Quare libenter audienda est Missa. . . .	»	80
XXVI.	Quare libentius est dicendum officium in ecclesia quam extra.	»	82
XXVII.	De malis quae sequuntur ex prolixitate officii.	»	85
XXVIII.	De iis quae requiruntur ad devote psallendum.	»	86
XXIX.	De diversis generibus meditationum malarum et bonarum.	»	87
XXX.	De fructu bonarum meditationum	»	ib.
XXXI.	De secretis orationibus sectandis	»	91
XXXII.	De loco et tempore orationis secretae . .	»	94
XXXIII.	Quare utimur magis psalterio quam aliis libris in officio.	»	99
XXXIV.	De iis quae requiruntur ad bene psallendum.	»	103
XXXV.	Quare extra chorum dicendum est officium honeste	»	106
XXXVI.	Quare in festis dicendum est solemniter officium divinum	»	110
XXXVII.	De sanctis collationibus, et quid cavendum est in eis, et quare nos magis tenemur quam alii	»	112
XXXVIII.	De confessione quae fit in completorio, et primo cujusmodi sit virtutis	»	121
XXXIX.	De utilitate benedictionis quae datur in completorio et quare a praelato est danda.	»	124
XL.	De sex quae reservanda sunt praelato in Ordine	»	127
L.	De aspersione aquae benedictae et ejus virtute	»	128
XLI.	Unde habuit ortum quod cantaretur Salve post completorium	»	131
XLII.	De Oratione Dominica, et quomodo sit ista propria oratio plus quam alia	»	138
XLIII.	De Symbolo.	»	141
XLIV.	De disciplinis post completorium	»	145
XLIV.	Circa quae occupantur die ac nocte viri sancti.	»	149
XLV.	Quare surgendum est de nocte	»	150
XLVI.	De quibusdam quaestionibus circa immutationem officii quae fit a praelatis. . .	»	153
XLVII.	Quare habere debemus unam campanam . .	»	154
XLVIII.	De signis variis quae fiunt in ordine nostro.	»	155
XLIX.	De ornamentis ministrorum	»	157

Cap. II. *De inclinationibus* . . . . . *Pag.* 160
LI. De diversis generibus humiliationum . . . » ib.
LII. De inclinationibus, cur fiunt . . . . . » 161
LIII. De genuflexionibus . . . . . » 163
LIV. De prostrationibus . . . . . » 165
LV. De diversis statibus corporalibus in adorando Deum . . . . . » 168
LVI. Quare incipiendum sit officium cum magna devotione . . . . . » 173
LVII. De signo crucis . . . . . » 175

2. Incipiunt instructiones Magistri Humberti de Officiis Ordinis.

Prologus . . . . . » 179
Cap. I. *De officio magistri ordinis* . . . . . » 181
I. Circa ordinem in generali . . . . . » ib.
II. Circa capitulum generale . . . . . » 182
III. Circa provincias . . . . . » 183
IV. Circa conventus . . . . . » 184
V. Circa fratres . . . . . » 186
VI. Circa curiam romanam . . . . . » ib.
VII. Circa nationes . . . . . » 187
VIII. Circa extraneos . . . . . » 188
IX. Circa divinum officium . . . . . » 189
X. Circa mensam . . . . . » 190
XI. Circa cameram . . . . . » ib.
XII. Circa itinera . . . . . « 191
XIII. Circa litteras . . . . . » ib.
XIV. Circa potestatem suam . . . . . » 192
XV. Circa socios . . . . . » 193
Cap. II. *De officio prioris provincialis* . . . . . » 195
I. Circa principium regiminis . . . . . » ib.
II. Circa cultum divinum . . . . . » 196
III. Circa commune bonum provinciae . . . » ib.
IV. Circa conventus . . . . . » 197
V. Circa priores . . . . . » ib.
VI. Circa fratres . . . . . » 198
VII. Circa visitationem . . . . . » 199
VIII. Circa capitulum provinciale . . . . . » 200
Cap. III. *De officio prioris conventualis* . . . . . » 201
I. Circa seipsum . . . . . » ib.
II. Circa majores . . . . . » 202
III. Circa conventum . . . . . » 203

	IV.	Circa officiales	*Pag.* 204
	V.	Circa varietates fratrum suorum	» 205
	VI.	Circa fratres aliorum conventuum	» 206
	VII.	Circa extraneos	» ib.
	VIII.	Circa fructum animarum	» 208
	IX.	Circa temporalia	» ib.
	X.	Circa familiam	» 209
Cap. IV.	*De officio supprioris*		» ib.
	I.	Circa priores et majores	» ib.
	II.	Circa conventum	» 211
	III.	Circa religionem	» ib.
	IV.	Circa vacationem prioratus	» 212
Cap. V.	*De officio magistri novitiorum*		» 213
	I.	Circa seipsum	» ib.
	II.	Circa ingressum novitiorum	» ib.
	III.	Circa professionem	» 215
	IV.	Circa repulsam eorum	» 216
	V.	Circa scholam et capitulum	» ib.
	VI.	Circa necessitates	» 218
	VII.	Circa informationem ipsorum	» ib.
	VIII.	Quoad vestes	» 220
	IX.	Circa loca, et primo de choro	» 221
	X.	Circa refectorium	» 222
	XI.	Circa locutorium	» 224
	XII.	De aliis locorum diversitatibus	» ib.
	XIII.	Circa tempus	» 225
	XIV.	Circa servitia	» 226
	XV.	Circa reverentiam	» ib.
	XVI.	Circa confessionem	» 227
	XVII.	Circa orationem	» 228
	XVIII.	Circa studium	» 230
	XIX.	Circa meditationes	» 231
	XX.	Circa alia exercitia multa	» 232
Cap. VI.	*De officio magistri conversorum*		» 233
Cap. VII.	*De officio correctoris familiae*		» 236
Cap. VIII.	*De officio cantoris*		» 238
	I.	Circa libros et scripta	» ib.
	II.	Circa tabulam	» 240
	III.	Circa sedes	» 241
	IV.	Circa missam	» 242
	V.	Circa officium	» 243
Cap. IX.	*De officio succentoris*		» 145
Cap. X.	*De officio sacristae*		» 247
	I.	Circa loca	» ib.

	II.	Circa pulsationes	*Pag.* 247
	III.	Circa luminaria.	» 248
	IV.	Circa missas.	» 249
	V.	Circa sacramenta et sacramentalia. . . .	» 250
	VI.	Circa ornatus, et paramenta, et munditias .	» 251
	VII.	Circa custodiam rerum	» 252
	VIII.	Circa ordinarium	» 253
Cap. XI.	*De officio lectoris*		» 254
	I.	Circa doctrinam	» ib.
	II.	Circa vitam	» 255
Cap. XII.	*De officio magistri studentium*		» 256
	I.	Circa studium in genere	» ib.
	II.	Circa sermones.	» 257
	III.	Circa collationes	» 259
	IV.	Circa disputationes	» 260
	V.	Circa lectiones.	» 261
	VI.	Circa profectum fratrum in studio. . . .	» 262
Cap. XIII.	*De officio librarii*		» 263
	I.	Circa armarium	» ib.
	II.	Circa libros	» 264
	III.	Circa usum librorum.	» 265
	IV.	Circa annexa studio	» 266
Cap. XIV.	*De officio gerentis curam scriptorum*		» ib.
	I.	Circa scripta.	» ib.
	II.	Circa scriptores	» 267
Cap. XV.	*De officio examinatorum*		» 268
Cap. XVI.	*De officio circatoris*		» 270
Cap. XVII.	*De officio custodis dormitorii*		» 272
Cap. XVIII.	*De officio portarii*		» 274
	I.	Circa statum portarii.	» ib.
	II.	Circa multa officia ejus.	» 276
Cap. XIX.	*De officio depositariorum*		» 279
Cap. XX.	*De officio procuratoris*		» 280
	I.	Qualis debet esse procurator.	» ib.
	II.	Circa actus multiplices	» 282
Cap. XXI.	*De officio consiliariorum.*		» 284
Cap. XXII.	*De officio eleemosynarii*		» 285
	I.	Circa petitionem eleemosynae	» ib.
	II.	Circa largitionem eleemosynarum	» 286
Cap. XXIII.	*De officio refectorarii.*		» 288
	I.	Circa mensam conventualem ordinariam .	» ib.
	II.	Circa mensam extraordinariam	» 291
	III.	Circa domum procurationis, sive canavam .	» ib.

IV. Circa lavatorium, et munditias, et alia quaedam . . . . . Pag. 292
Cap. XXIV. *De officio servitoris mensae* . . . . . » 294
I. Circa primam mensam . . . . . » ib.
II. Circa secundam mensam . . . . . » 296
III. Circa collationem . . . . . » 297
Cap. XXV. *De officio lectoris mensae.* . . . . . » ib.
Cap. XXVI. *De officio correctoris in mensa.* . . . . . » 300
Cap. XXVII. *De officio infirmarii* . . . . . » 301
I. Circa conditiones infirmarii . . . . . » ib.
II. Circa res habendas . . . . . » 302
III. Circa infirmos . . . . . » 304
Cap. XXVIII. *De officio servitoris infirmorum* . . . . . » ib.
I. Circa conditiones servitoris . . . . . » ib.
II. Circa communem servitorem. . . . . » 305
III. Circa servitorem specialem . . . . . » 307
IV. Circa sacramenta suscipienda. . . . . » 308
V. Circa utrosque servitores . . . . . » 309
Cap. XXIX. *De officio receptoris hospitum* . . . . . » 310
I. Circa conditiones receptoris hospitum . . » ib.
II. Circa curam quam debet habere circa habenda. . . . . » ib.
III. Circa fratres hospites . . . . . » 311
IV. Circa hospites extraneos . . . . . » 315
Cap. XXX. *De officio coquinarii* . . . . . » 317
I. Circa conditiones coquinarii . . . . . » ib.
II. Circa conventum, et hospites, et alios extraneos . . . . . » 318
III. Circa adjutores. . . . . » ib.
IV. Circa infirmos . . . . . » 319
Cap. XXXI. *De officio custodis cellarii* . . . . . » 320
Cap. XXXII. *De officio vestiarii.* . . . . . » 323
Cap. XXXIII. *De officio sartoris* . . . . . » 327
I. Circa res habendas . . . . . » ib.
II. Circa actus ejus . . . . . » 328
Cap. XXXIV. *De officio sutoris* . . . . . » 330
Cap. XXXV. *De officio praefecti operum* . . . . . » 331
Cap. XXXVI. *De officio hortulani* . . . . . » 333
I. Circa virgultum . . . . . » ib.
II. Circa terrae nascentia . . . . . » 334
III. Circa utraque . . . . . » 335
Cap. XXXVII. *De quibusdam communibus ad officiales multos spectantibus.* » 336
Cap. XXXVIII. *De officio diffinitoris capituli generalis* . . . . . » 339
I. Circa ea quae sunt agenda ante diffinitionem. » ib.

II. Circa diffinitionem . . . . . *Pag.* 340
III. Circa provinciam suam. . . . . » 342
IV. Circa ea quae sunt agenda post diffinitionem. » 343
Cap. XXXIX. *De officio socii diffinitoris capituli generalis* . . . . . » ib.
I. Circa quaedam capitulum praecedentia . . » ib.
II. Circa capitulum . . . . . » 344
III. Circa regressum . . . . . » 345
IV. Circa successionem in diffinitione . . . . » ib.
Cap. XL. *De officio electoris magistri* . . . . . » 346
Cap. XLI. *De officio electoris propris provincialis* . . . . . » 348
Cap. XLII. *De officio diffinitoris capituli provincialis* . . . . . » 349
Cap. XLIII. *De officio visitatoris* . . . . . » 350
I. Circa ea quae praecedunt visitationem . . » ib.
II. Circa quaedam in generali . . . . . » 351
III. Circa capitulum . . . . . » 352
IV. Circa quaedam post visitationem . . . . » 356
Cap. XLIV. *De officio praedicatoris generalis* . . . . . » ib.
Cap. XLV. *De officio socii prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale* . . . . . » 357
I. Circa quaedam ante capitulum . . . . . » ib.
II. Circa capitulum . . . . . » 358
III. Circa quaedam post diffinitionem . . . . » 359
Cap. XLVI. *De officio confessoris* . . . . . » 360
I. Circa potestatem . . . . . » ib.
II. Circa inquisitionem . . . . . » 361
III. Circa absolutiones. . . . . » 564
IV. Circa excommunicationes . . . . . » ib.
V. Circa dispensationem . . . . . » 365
VI. Circa restitutiones . . . . . » ib.
VII. Circa casus matrimoniales. . . . . » 366
VIII. Circa injunctiones poenitentiarum . . . . » ib.
IX. Circa simoniacos . . . . . » ib.
X. Circa modum habendi se ad confitentem . » 367
XI. Circa mulieres . . . . . » 368
XII. Circa secretum confessionis . . . . . » ib.

APPENDIX

Cap. XLVII. *De officio praedicatoris communis* . . . . . » 369
I. Qualis debet esse in se. . . . . » ib.
II. Qualis ad socium. . . . . » ib.
III. Qualis in hospitiis . . . . . » 370
IV. Quid praedicandum . . . . . » ib.
V. Quibus praedicandum . . . . . » ib.
VI. Qualiter praedicandum . . . . . » 371
VII. Quae sunt vitanda in praedicatione . . . » ib.

3. Incipit liber De Eruditione Praedicatorum compilatus a venerabili fratre patre et egregio praedicatore Humberto de Romanis Magistro Ordinis Praedicatorum quinto.

	I.	Quod ad praedicatorem pertinet scire quod sit officium ejus	*Pag.* 373
Prima pars.	*De conditionibus hujus officii*		» 374
	II.	De excellentia	» ib.
	III.	De necessitate	» 376
	IV.	De acceptibilitate coram Deo.	» 380
	V.	De lucro hujus officii	» 384
	VI.	De utilitate quam confert praedicatio facta hominibus	» 390
	VII.	De difficultate hujus officii	» 393
Secunda pars.	*De iis quae sunt necessaria praedicatori*		» 399
	VIII.	De vita praedicatoris.	» ib.
	IX.	De scientia praedicatoris	» 400
	X.	De loquela praedicatoris	» 402
	XI.	De merito praedicatoris.	» 404
	XII.	De persona praedicatoris	» 406
	XIII.	De figuris praedicatoris.	» 407
Tertia pars.	*De modo accedendi ad hoc officium*		» 411
	XIV.	De reprehensibilibus circa accessum ad officium praedicationis	» ib.
	XV.	De malis quae sequuntur ex accessu intempestivo ad officium praedicationis. . .	» 415
Quarta pars.	*De executione hujus officii*		» 416
	XVI.	De causis reprehensibilibus cur quidam non praedicant	» ib.
	XVII.	De causis frivolis retrahentibus a praedicatione	» 418
	XVIII.	De indiscreta praedicationis executione . .	» 421
	XIX.	De his quae conferunt ad exequendum laudabiliter hoc officium	» 426
	XX.	De iis in quibus consistit haec executio laudabilis	» 428
	XXI.	Quare hoc officium libenter est faciendum ab his qui habent in hoc gratiam . .	» 430
Quinta pars.	*De defectu seu subtractione praedicationis*		» 434
	XXII.	De causis subtractionis praedicationis. . .	» ib.
	XXIII.	De subtrahentibus se a praedicatione. . .	» 435
	XXIV.	De damno subtractionis praedicationis . .	» 436
Sexta pars.	*De effectu praedicationis*		» 438

	XXV.	De praedicatione infructuosa	*Pag.* 438
	XXVI.	De fructibus malis praedicationis	» 441
	XXVII.	De fructibus praedicationis minus bonis. .	» 442
	XXVIII.	De fructibus praedicationis optimis . . .	» 444
	XXIX.	De auditu verbi Dei	» 445
	XXX.	De impletione verbi Dei auditi	» 448
Septima pars.	*De annexis praedicationi*		» 450
	XXXI.	De significatione discursus in Scripturis. .	» ib.
	XXXII.	De incitamentis praedicatoris ad discurrendum	» 451
	XXXIII.	De reprehensibilibus circa discursum praedicatorum	» 453
	XXXIV.	De laudabili discursu praedicatoris. . . .	» 454
	XXXV	Quare praedicatori necessaria est bona conversatio inter homines	» 455
	XXXVI.	In quibus consistit hujusmodi bona conversatio	» 457
	XXXVII.	De his quae valent ad habendam hujusmodi conversationem	» 458
	XXXVIII.	Contra praedicantes qui extra praedicationem non habent verba aedificatoria.	» 460
	XXXIX.	Contra praedicatores qui in familiaribus colloquutionibus loquuntur vana, ad modum saecularium	» 463
	XL.	De praedicatoribus quibus est cura habere verba aedificatoria	» 466
	XLI.	De his quae requiruntur circa hospitalitatem pauperum praedicatorum.	» 468
	XLII.	De occupationibus praedicatorum circa negotia saecularia hominum	» 470
	XLIII.	De consiliis praedicatorum	» 473
	XLIV.	De auditu confessionum a praedicatoribus .	» 479
	XLV.	De prothematibus.	» 481

4. Epistolae beati Humberti de Romanis ex Capitulis Generalibus ad Ordinem scriptae.

I.	(an. 1254)	» 485
II.	(an. 1255)	» 486
III.	(an. eod.).	» 490
IV.	(an. eod.).	» 494
V.	(an. 1256)	» 500
VI.	(an. 1257)	» 504
VII.	(an. 1258)	» 510

VIII. (an. 1259) . . . . . *Pag.* 512
IX. (an. eod.). . . . . » 513
X. (an. 1260) . . . . . » 515
XI. (an. 1261) . . . . . » 519
XII. (an. 1262) . . . . . » 522

APPENDIX

4. Incipit libellus seu Tractatus de instructione Novitiorum secundum modum vivendi in ordine fratrum Praedicatorum compilatus et ordinatus in conventu Parisiensi per fratrem.....

Cap. I. *De modo recipiendi eos ad ordinem* . . . . . *Pag.* 525
Cap. II. *De modo instruendi novitios postquam habitu ordinis sunt induti.* . . . . . » 527
Cap. III. *Quando et quomodo novitii debeant confiteri.* . . . . » 527
Cap. IV. *In quibus novitii debeant studere, et quae primo debeant addiscere.* . . . . . » 529
Cap. V. *Quomodo debeant se habere in choro et ad horas* . . . » 530
Cap. VI. *De libris apportandis et reponendis* . . . . . » 532
Cap. VII. *Quomodo novitii debeant se habere in dormitorio* . . . » 534
Cap. VIII. *Quomodo novitii debeant se habere circa cellas et de petenda licentia loquendi* . . . . . » 536
Cap. IX. *Quomodo se habere debeant circa capitulum* . . . . . » 538
Cap. X. *Quomodo se habeant circa refectorium et in mensa* . . » ib.
Cap. XI. *Quomodo se habere debeant novitii circa communionem, et de his quae circumstant* . . . . . » 540
Cap. XII. *Quomodo debeant novitii juvare ad missas privatas* . . » 542
. . . . . *De modo orandi eorum* . . . . . » ib.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM PRAECIPUARUM

UTROQUE VOLUMINE CONTENTARUM

	VOL.	PAGG.
Absolutio. — Circa absolutionem quale Confessoris officium	II.	364
Abstinentia. — Abstinentiae stricte sectandae	I.	195-195
Abstinentiae discrete serventur	I.	196-197
Abstinere. — Abstinendi potentia in homine multa	I.	200-202
Accipere. — Accipere aliquid sine licentia prohibetur	II.	352-354
Accusare. — Accusare alios mala intentione quam damnabile.	I.	314-317
Accusationes. — Qualiter faciendae	I.	317-322
Additio. — Additio ad Constitutiones quid	II.	10-11
Adjutores. — Adjutores Coquinarii quales	II.	318-319
Admonitiones. — Quomodo a constitutionibus differant	II.	63-66
Quantum durent	II.	63-66
Quomodo obligent	II.	51-53
Adorare. — De variis corporis statibus in adorando Deum	II.	168-171
Aedificatoria. — De aedificatoriis locutio laudatur	II.	200-208
Affluentia rerum. — In affluentia rerum cor elevandum	I.	122-123
Ambulare. — Congruit ambulare disciplinate	I.	249-252
Ambulare simul fratres oportet	I.	244-248
Amor. — De amore subditorum magis quam de timore curet praelatus. — Cf. **Charitas**	I.	585-588
Amplexus. — Castitati opponuntur	I.	19
Anachoreta. — Anachoretarum vitae praestat vita coenobitarum.	I.	67-70
Anima. — Animae vis duplex et perfectio duplex	I.	1
Animarum fructus quomodo impediatur	II.	36-38
Circa animarum fructum quid Prior Conventualis	II.	208
Appetere. — Appetere foeminas vir religiosus prohibetur	I.	284-285
Appeti. — Appeti velle a foeminis prohibetur	I.	284-285
Aqua benedicta. — Cur aspergatur	II.	128-131
Aspectus mulierum. — Qualiter sustinendus	I.	274-277
Associatio. — Associatio fratrum in itineribus cum discretione fiat	I.	399-401
Auctoritas. — Auctoritas regiminis servanda	I.	517-520

	VOL.	PAGG.
Auditores. — Circa auditores verbi Dei reprehensibilia quaedam.	I.	450-456
Augustinus. — Post tradita Dei mandata, tradit propria.	I.	61-62
Austeritas. — In religionibus servanda est	I.	578-582
Balnea. — Balnea qualia debent esse	I.	385-387
Balneis quomodo utendum	I.	398-399
Barbari. — Barbaris praedicandum	II.	503
Benedictio. — Quare in completorio detur	II.	124-127
Bona. — De bonis communibus providendum indigentibus	I.	378-379
Bonus. — Boni bene se habent ad invicem, sicut et mali male.	II.	497-499
Camera. — Circa cameram Magister Ordinis quid	II.	190-191
Camerae. — Quomodo ibi standum	II.	527
Campana. — Campana una habeatur	II.	154-155
Per campanam quae signa fiant	II.	155-157
Campanula. — Campanulae usus apud nos	II.	156
Canava. — Canava quid	II.	291-292
Cantor. — Cantoris officia circa libros et scripta	II.	238-240
Item, officium circa tabulam	II.	240-241
Item, officium circa sedes	II.	241-242
Item, officium circa missam	II.	242-243
Item, officium circa horas	II.	243-245
Cantus vocalis. — Quantae sit utilitatis	I.	186-189
Capitulum Conventuale. — Quomodo celebrandum	I.	314-325
Circa istud quid Magistro novitiorum competat	II.	216-218
Capitulum Generale. — Capitula generalia non expresserunt omnes et singulos legum nostrarum apices	II.	6-8
Circa capitulum generale quodnam sit Magistri Generalis officium.	II.	182-183
Circa capitulum generale quodnam sit officium Diffinitoris capituli generalis	II.	339-343
Circa capitulum generale quodnam sit officium Socii diffinitoris ad capitulum generale.	II.	343-346
Capitulum Provinciale. — Quomodo celebrandum sit	II.	200-201
Circa illud qualia Prioris Provincialis officia	II.	200-201
Caro. — Carnis maceratio praedicatori congruit	I.	189-192
Castitas. — Castitas commendatur	I.	15
Castitati quaenam adversentur	I.	15-19
Casus Matrimoniales. — Ad istos quomodo se habere debet Confessor	II.	366
Celare. — Qui rem collatam celat puniatur	I.	380-381
Cellarium. — Cellarii custodi quid praestandum	II.	320-322
Charitas. — Charitas in genere Praedicatori necessaria	I.	57-59
Charitas secundum utramque differentiam Praedicatori necessaria	I.	59-60
Charitatem habeat praelatus ad subditos	I.	545-547

	VOL.	PAGG.
Chorus. — De choro quid pro novitiis statuere debeat Magister Novitiorum	II.	221-222
Extra chorum officium honeste dicendum	II.	106-110
Circator. — Quodnam et quale Circatoris officium	II.	270-271
Clerus saecularis. — Istius contra Fratres querelae antiquae	II.	486-489
Codices. — Codices quomodo dandi sint apud nos	I.	418-419
Codices quomodo petendi apud nos	I.	476
Coenobitae. — Coenobitarum vita praestantior anachoretarum	I.	67-70
Cogitatio. — Cogitatio mala contra castitatem	I.	16
In cogitationes malas consensus quid	I.	17
Cognitio. — Cognitio sui quam utilis	II.	615-617
Cognitio defectuum quam utilis	I.	370-372
Collatio. — De collationibus sanctis multa egregie dicuntur	II.	112-121
Circa collationes Magister Studentium quid	II.	259-260
Circa collationem quid Servitor Mensae	II.	297
Comestio. — Comestio in conventu fiat	I.	202-204
Comestio extraordinaria	I.	202-204
Commune. — Communia quomodo in primitiva Ecclesia haberentur omnia	I.	99-100
In communi ponantur res datae	I.	378
De communibus provideatur indigenti	I.	378-379
Communia quomodo distribuenda	I.	86-90
De communium distributione quatuor notanda	I.	86
Res communes monasterii diligenter servandae	I.	357-359
Communio. — Quando et quomodo a novitiis facienda	II.	541
Communitas. — Communitas quid	I.	66-67
Primitivae Ecclesiae communitas	I.	96-99
Circa communitatem quinque notanda	I.	79
Communitas quam laudabilis	I.	78-86
Pro communitate potiusquam pro se laborandum cuique est	I.	375-377
Communitas duplici vitiorum genere corrumpitur	I.	100-103
Communitati vitia opposita primario	I.	106-115
Communitati vitia opposita secundario	I.	115-120
Completorium. — Completorium quid	II.	111-112
Completorio libenter assistendum	I.	163-165
In completorio quid valeat confessio	II.	121-124
Post completorium usitantur disciplinae	II.	145-148
Post completorium libentius orandum	I.	165-167
Concordia. — Concordia quid	I.	144-145
Concordiae triplex fructus	I.	147
Concordia sextupliciter turbatur	I.	145-147
Concupiscentia. — Concupiscentiae carnalis mala quaenam	I.	187-189
Confessio. — Confessio in completorio facta quid valeat	II.	121-124

	VOL.	PAGG.
(Confessio). Confessionis secretum quomodo a confessore servandum	II.	368-369
Circa confessionem officia Magistri Novitiorum	II.	227-228
Confiteri. — Confiteri novitii quomodo debeant	II.	528-529
Ad confitentem quomodo se habere debeat Confessor.	II.	367-368
Confessor. — Confessoris officium circa potestatem.	II.	360-361
Item, circa inquisitionem	II.	361-364
Item, circa absolutionem	II.	344
Item, circa excommunicationes	II.	364-365
Item, circa dispensationes	II.	365
Item, circa restitutiones	II.	365
Item, circa casus matrimoniales	II.	366
Item, circa poenitentias injungendas	II.	366
Item, circa sinoniacos	II.	366-367
Confessor quomodo se habere debeat ad confitentem.	II.	367-368
Confessoris officium circa mulieres	II.	368
Ejusdem officium circa secretum confessionis	II.	368-369
Confusio in officio vitanda.	II.	98
Consensus. — Consensus in cogitationes malas quid	I.	17
Consiliarii. — De eorumdem officio.	II.	284-285
Consolationes praelatus quandoque faciat fratribus	I.	565-568
Constitutiones. — Constitutionum nostrarum origo.	II.	2-3
Earumdem divisio qualis	II.	67
In iis septem consideranda.	II.	57-60
Illae non obligant per se ad culpam	II.	45-46
Earum interpretationes ex variis fontibus habendae	II.	1-2
Agendo contra constitutiones peccatur quandoque	II.	49-51
De constitutionum contemptu	II.	55-56
Constitutionum interpretationes quam vim sortiantur.	II.	66-67
Consuetudo. — Consuetudo quid	II.	12-13
Consuetudines quomodo obligent	II.	51-53
Contactus. — Contactus lascivus	I.	19
Contemplativus. — Contemplativi a carnalibus caveant	I.	228-229
Contemptus. — De contemptu constitutionum.	II.	55-56
Contentio a murmure differt	I.	367-368
Continentia. — Continentia triplex	I.	15-16
Continentia qualis sit oporteat	I.	18
Conventus. — Conventus sequendus.	I.	222-230
Circa conventum qualia Prioris Provincialis officia	II.	197
Circa conventum qualia Prioris Conventualis officia.	II.	203-204
Circa conventum quale Coquinarii officium	II.	318
Conversatio bona. — Conversatio bona praedicatoris quid	II.	457-458
Quam praedicatori sit necessaria inter homines.	II.	455-456
Quomodo acquiratur	II.	458-460

	VOL.	PAGG.
Conversus. — De conversis plura	II.	233-236
Convictio. — Convictio de peccato quomodo facienda	I.	331-336
Coquinarius. — De Coquinarii conditionibus	II.	317
Ejusdem officium circa conventum, hospites et extraneos	II.	318
Item, circa adjutores	II.	318-319
Item, circa infirmos	II.	319-320
Cor. — Cor habeatur orationi	I.	183-186
Cordis ordinatio quid	I.	33-34
Corpus. — De corporis diversis statibus in adorando Deum	II.	168-171
Correctio. — Correctio praelatis non negligenda	I.	557-560
Correctio sit universalis	I.	344-346
Correctio asperior magis dilectis reservanda	I.	521-522
Correctio fraterna. — Qualis esse debeat	I.	304-307
Eadem facienda a praelato	I.	328-331
Corrector familiae. — Quot et qualia ejusdem officia	II.	236-238
Corrector mensae. — Ejus officia quaenam	II.	300-301
Crux. — De Crucis signo	II.	175-178
Culpa. — Ad culpam non obligant per se constitutiones	II.	45-46
Cultus divinus. — Quid circa eumdem Prior Provincialis	II.	196
Curia Romana. — Circa eam quid Magister Ordinis	II.	186-187
Custodia. — Custodia mutua qualis	I.	295-297
Custodia oris	I.	34-36
Custos cellarii. — Ejusdem officia varia	II.	320-322
Custos dormitorii. — Quaenam ejus diversa officia	II.	272-274
Cymbalum. — Cymbali usus apud nos	II.	156
Defectus. — Defectus proprii cognoscendi	I.	370-382
Defectus quidam vitandi fratribus	II.	506-509
Defunctorum rotulus. — Defunctorum rotulus quid	II.	240
Delectatio. — Delectatio mala contra castitatem	I.	16-17
Delicati. — Misericordiae in delicatos quomodo adhibendae	I.	211-212
Non sit delicatus in se praelatus	I.	582-584
Delictum. — Dilecta sponte confessa levius puniantur	I.	355-356
Depositarii. — Qualia eorum officia	I.	291-295
Deus. — Deus prae oculis habendus	II.	279-280
Devotio. — Devotio in psallendo qualis esse debeat	II.	86-87
Diffinitor Capituli Generalis. — Ejusdem officium circa agenda ante diffinitionem	II.	339-340
Item, circa ipsam diffinitionem	II.	340-342
Item, post ipsam diffinitionem	II.	343
Item, circa provinciam suam	II.	342-343
Diffinitor Capituli Provincialis. — Ejus officia	II.	349-350
Dilectio. — Dilectio fraterna qualis inter nos	I.	523-526
Quomodo custodienda	I.	481

	VOL.	PAGG.
(Dilectio). Quomodo reparanda	I.	488
Dilectio hominum et odium vitiorum quid	I.	349-351
Disciplina. — Disciplina quid	I.	578
Disciplina exterior decet viros sanctos	I.	265-268
Cum disciplina ambulare decet	I.	249-252
Cum disciplina quiescere jubetur	I.	252-255
Disciplinae. — De disciplinis post Completorium usitandis	II.	145-148
Discretio. — Discretio servanda in abstinentiis	I.	196-197
Discursus. — Discursus in Scriptura quid	II.	450-451
Discursus praedicationis causa susceptus commendatur.	II.	451-452
Discursus praedicatoris quando laudabilis	II.	454-455
Discursus praedicatoris quando reprehensibilis	II.	453-454
Dispensare. — De dispensandi auctoritate	II.	19-22
Dispensatio. — Dispensatio quid et qualis	II.	18-28
Dispensationes circa jejunia et abstinentias non facile concedantur	I.	194-195
Dispensationibus utantur priores sicut alii	II.	44-45
Circa dispensationes quomodo se gerere debeat Confessor	II.	365
Dispersio. — Dispersio terrenorum bonorum quantum utilis	I.	141-143
Disputatio. — Circa disputationes reprehensibilia quaedam	I.	464-472
Circa disputationes Magister Studentium quid	II.	260-261
Dissolutio. — In dissolutionem vergunt nonnullae gratiae	I.	212-213
Distribuere. — Quomodo distribuebantur communia in Ecclesia primitiva	I.	89-100
Quomodo distribuenda sunt communia	I.	86-90
Divites. — Divites religionem ingressi non despiciant alios	I.	132-133
Immo glorientur de societate pauperum	I.	133-135
Divitiae. — Divitiae quot modis dispergendae.	I.	140-141
Divitiae spirituales corporalibus praestant	I.	230-232
Divitiae spirituales in parcitate abundantiores	I.	232-233
Doctor. — Doctoris officium quale	I.	592
Circa doctores reprehensibilia quaedam	I.	457-459
Dormitorium. — Custos dormitorii quis	II.	272-274
Duritia. — Duritia in verbis fugienda	I.	508-509
Ecclesia. — In Ecclesia Officium libentius dicatur	II.	82-85
Egere. — Minus egere melius est quam plus habere	I.	233-235
Ejectio. — Ejectio a religione quomodo facienda	I.	337-344
Elector Magistri Generalis. — Quaenam ejus officia	II.	346-348
Elector Prioris Provincialis. — Quaenam ejus officia	II.	348-349
Eleemosyna. — De eleemosyna petenda	II.	285-286
Eleemosyna quomodo largienda	II.	286-288
Eleemosynarius. — Ejus officia	II.	285-288
Epistola. — Epistolis Praelati subditos hortentur absentes	II.	490

	VOL.	PAGG.
Examinatores. — Eorum officia varia	II.	268-270
Excommunicatio. — Circa excommunicationes quomodo se gerere debet confessor	II.	364-365
Exempla bonorum praelatorum	I.	553-557
Exhortationes. — Exortationibus indigemus	I.	40-41
Extranei. — Quid circa eos praestare debet Coquinarius	II.	318
Circa extraneos quid Prior Conventualis	II.	206-208
Circa extraneos quid Magister Ordinis	II.	188-189
Fama. — Fama bona servetur	I.	601-606
Familia. — Corrector familiae quis	II.	231-238
Circa familiam quid Prior Conventualis	II.	209
Familiaritas mulierum quare et quomodo vitanda	I.	307-314
Fervor spiritus acquirendus	II.	512-513
Festa. — In festis dicatur officium solemniter	II.	110-111
Foemina — Cf. **Mulier**	—	———
Frater. — Circa fratres quaenam Prioris Provincialis officia	II.	198-199
Circa fratres quaenam Prioris Conventualis officia	II.	205-206
Genuflexiones. — De his plura	II.	165-167
Gerens Curam Scriptorum. — Quid circa scripta praestet	II.	266-267
Quid circa Scriptores	II.	267-268
Gloria. — Gloria aliqua num licita	I.	135-137
Gratiae. — Gratiarum actiones pro bonis	I.	617-620
Gratiae quae vergunt in dissolutionem	I.	212-213
Gravare. — Gravantes societatem reprehenduntur	I.	401-405
Habitus. — Habitus religiosus contra duplicem defectum honeste servetur	I.	236
Item, sit irreprehensibilis	I.	236-237
Habitus vilis congruit praedicatori	I.	237-240
Habitus disciplinate habeatur	I.	255-256
Honor. — Honor mutuus quibus habendus est	I.	148-149
Honor quomodo exhibendus	I.	151-153
Honor praelato debitus	I.	547-548
Horae Canonicae. — Quot et quae sint	I.	156-158
His magis instandum	I.	156-158
Hortulanus. — De ejus officio in genere	II.	335-336
Item, circa nascentia terrae	II.	334-335
Item, circa virgultum	II.	333-335
Hospitalitas. — Hospitalitas pauperum praedicatorum qualis esse congruit	II.	468-470
Hospites. — Circa hospites quid praestare debet Coquinarius.	II.	318
Hospitia. — In hospitiis quomodo se habere debet praedicator.	II.	370
Humbertus (V). — Ejus vita	I.	V-XV
Ejus sepulcrum	I.	XIV
Ejus opera praecipua	I.	XV-XVII

	VOL.	PAGG.
(Humbertus). Ejus opera de vita regulari	I.	XVII-XXI
Ejusdem operum de vita regulari praesens editio qualis	I.	XXI-XXV
Humiliatio. — Humiliationum seu inclinationum varia genera	II.	160-161
Humilitas. — Humilitas qualis	I.	21
Humilitas in praedicatore qualis esse debeat	I.	143-144
Humilitas unde habeatur	I.	21
Ejusdem utilitas	I.	22
Ejusdem signa	I.	21-22
Humilitas qualis exterius esse debeat	I.	22
Humilitas quomodo conservetur	I.	23
Humilitas nonnulla reprehensibilis	I.	516-517
Impatientia. — Impatientia quanta mala gignet	I.	26-27
Impudicitia. — Impudicitia oculorum reprehenditur	I.	286-287
Inclinationes. — Earum varia sunt genera	II.	160-161
Inclinationes cum faciendae	II.	161-163
Inclinationes ante officium faciendae	II.	171-173
Inclinationes in receptione habitus faciendae	II.	525-527
Indigentes. — Indigentibus de communibus bonis providendum	I.	378-379
Infirmarius. — De ejusdem dotibus	II	301-302
Ejusdem officium circa res habendas	II.	302-303
Item, circa infirmos	II.	304
Infirmitas. — Infirmitas fratris toleranda	I.	373-375
Infirmus. — Circa infirmos quid praestare debeat Coquinarius	II.	319-320
In infirmos misericordia rigori praestat	I.	104-106
Infirmis recreationes faciendae	I.	219-222
Infirmis quomodo se habebit praelatus	I.	572-576
Infirmi bene tractandi in victu, nec ullus in malum habeat	I.	209-210
Infirmi valde curandi	I.	204-206
De infirmis sollicita cura habeatur	I.	411-414
Infirmis ministranda medicinalia	I.	388-391
De infirmis jubentur quinque	I.	400-411
Infirmorum status quam pietate dignus	I.	210-211
Informatio. — Informatio novitiorum quomodo Magistro Novitiorum intelligenda	II.	218-221
Ingluvies. — Ingluvies ventris quam nociva in religione	I.	192-193
Ingressus. — Circa ingressum novitiorum quid officio praestare debeat Magister Novitiorum	II.	213-214
Injuria. — Injuria fraterna remittenda	I.	493-497
Inobedientia. — Inobedientia valde damnabilis	I.	2-3
Inquieti. — Inquieti fratres reprehenduntur	I.	560-565
Inquisitio. — Circa inquisitionem peccatorum quid facere tenetur confessor	II.	361-364
Intentio. — Mala intentione accusare alios quam turpe sit	I.	314-317

	VOL.	PAGG.
Interpretatio. — Interpretationes Regulae et Constitutionum quam vim sortiantur	II.	66-67
Jejunium. — Jejunia stricte servanda	I.	193-195
Jejunio impares quomodo sese gerere congruit	I.	201-202
Laborare. — Pro communitate non pro se laborandum	I.	375-377
Larroca (R.mo P.) Magistro Ordinis dicatur ista Humberti editio	I.	III
Lavatorium. — Circa lavatorium quid Refectorarius	II.	292-294
Lectio. — Lectio in mensa commendatur.	I.	206-208
Lectio sacra laudatur	I.	426-433
Circa lectiones Magister Studentium quid	II.	261-262
Lector. — Ipsius officium quoad vitam	II.	255-256
Item, quoad doctrinam	II.	254-255
Lector mensae. — Quibus attendere ipse debet	II.	297-300
Lex. — De legibus nostris varia	II.	57-67
Leges quomodo apud nos conduntur	II.	60-63
Liber. — Libri quinam in Ordine a praelato providendi	II.	9
Libri divini procurentur	I.	419-423
Libri custodiantur	I.	423-426
Circa librorum conditores reprehensibilia quaedam	I.	459-464
Circa libros reprehensibilia quaedam	I.	448-450
Libri liturgici quot et quales	II.	503
Librarius. — Librarii officium circa armarium	II.	263
Item, circa libros	II.	264-465
Item, circa usum librorum	II.	265-266
Item, circa annexa studio	II.	266
Licentia. — Sine licentia quidquid accipere prohibetur	I.	352-354
Lingua. — Lingua bonorum et malorum fons	I.	509-513
Linguae. — Linguis studendum	II.	493
Lis. — Lites cavendae	I.	481-485
Lites exortae citius terminandae	I.	485-488
Litterae. — Quoad litteras Magistro Ordinis quid	II.	191-192
Locutio. — Locutio de aedificatoriis commendatur	I.	206-208
Locutorium. — Circa locutorium quid Magister Novitiorum	II.	224
Loquela. — Loquela praedicatoris qualis	II.	402-404
Lotio. — Lotio vestium quomodo exsequenda	I.	381-384
Luminaria. — Circa luminaria quid Sacrista	II.	248-249
Luxuria. — Luxuriae circumstantiae	I.	18-19
Luxuriae remedia	I.	19-20
Luxuriae resistendum	I.	20-21
Maceratio. — Maceratio carnis praedicatori congruit	I.	189-192
Magniter Conversorum. — Ejusdem officia quot et qualia	II.	233-236
Magister Novitiorum. — Ejusdem officium circa seipsum	II.	213
Item, circa ingressum novitiorum	II.	213-214

	VOL.	PAGG.
(**Magister Novitiorum**). Ejusdem officium circa professionem novitiorum	II.	214-215
Item, circa servitia	II.	216
Item, circa scholam et capitulum	II.	216-218
Item, circa novitiorum necessitates	II.	218
Item, circa informationem novitiorum	II.	218-221
Item, circa chorum	II.	221-222
Item, circa refectorium	II.	222-224
Item, circa locutorium	II.	224
Item, circa locorum diversitatem	II.	224-225
Item, circa tempus	II.	225-226
Item, circa reverentiam	II.	226-227
Item, circa confessionem	II.	227-228
Item, circa orationem	II.	228-230
Item, circa studium	II.	230-231
Item, circa meditationes	II.	231
Item, circa varia alia	II.	232-233
Magister Ordinis. — Ejus officia circa Ordinem	II.	181-182
Item, circa capitulum generale	II.	182-183
Item, circa provincias	II.	183-184
Item, circa conventus	II.	184-185
Item, circa fratres	II.	186
Item, circa Curiam Romanam	II.	186-187
Item, circa nationes	II.	187-188
Item, circa extraneos	II.	188-189
Item, circa Divinum Officium	II.	189-190
Item, circa mensam	II.	190
Item, circa cameram	II.	190-191
Item, circa litteras	II.	191-192
Item, circa potestatem suam	II.	192-193
Item, circa socios	II.	193-195
Magister studentium. — Officium Magistri Studentium circa studium in genere	II.	256-257
Item, circa sermones	II.	257-259
Item, circa collationes	II.	259-260
Item, circa disputationes	II.	260-261
Item, circa lectiones	II,	261-262
Item, circa profectum fratrum in studio	II.	262-263
Malus. — Mali male, boni bene se habent ad invicem	I.	497-499
Mandatum. — Post mandata Dei Augustinus sua tradit	I.	61-62
Mandata ratione sua firmentur	I.	126
Mandata Dei non reliquenda propter hominum mandata	I.	56-57
Quot mandata contineat Regula.	I.	126

	VOL.	PAGG.
Matrimonialis. — Circa matrimoniales casus quomodo se gerat confessor	II.	366
Matutinae. — Ad matutinas surgendum	I.	158-161
Medicinalia. — Medicinalia religiosis infirmis ministranda	I.	388-391
Meditatio. — Meditationes bonae vel malae	II.	89
Meditationum bonarum fructus qualis	II.	87-91
Circa meditationes Magister Novitiorum quid	II.	231
Mensa. — Lectio in mensa commendatur	I.	206-208
Circa primam mensam quid Servitor Mensae	II.	294-296
Circa mensam quid Servitor Mensae	II.	296-297
De officio Correctoris Mensae	II.	300-301
De officio Lectoris Mensae	II.	297-300
Circa mensam Magister Ordinis quid	II.	190
Meritum. — Meritum praedicatoris	II.	404-406
Metrum. — Metrum quid	II.	100-101
Minima. — Minima non negligenda	II.	16-17
Minister. — Ministris quaedam vitanda	I.	477
De ministrorum sacrorum ornamentis	II.	157-160
Ministrare. — Ministrentur necessaria sine mora	I.	477-478
Ministrentur necessaria large	I.	93-94
Minores. — Cum Minoribus servanda charitas fraterna	II.	494-500
Misericordia. — Misericordia duplici abusu vitiatur	I.	208-209
Misericordiae in delicatos quomodo faciendae	I.	211-213
Missa. — Missa libenter audienda	II.	80-82
Circa missas quid Sacrista	II.	249-250
Monasterium. — Monasteria nonnullis inutilia	I.	126-131
Monasterii res communes diligenter servandae	I.	357-359
Monitio fraterna. — Monitio fraterna quid	I.	298-303
Motus. — Motus disciplinate habeantur	I.	256-265
Mulieres. — Quaenam viros sanctos acrius insequantur	I.	283-284
Mulierum quare et quomodo familiaritas vitanda	I.	307-314
Mulierum aspectus qualiter sustinendus	I.	274-277
Mulieres appetere vel ab ipsis appeti velle criminosum	I.	277-284
A mulieribus munuscula non accipiantur	I.	352-354
Circa mulieres quomodo se habere debeat Confessor	II.	368
Munditiae. — Circa munditias quid Sacrista	II.	251-252
Munuscula. — Munuscula a mulieribus non accipienda	I.	352-354
Murmur. — Murmur a contentione quomodo differt	I.	367-368
Murmuris vitium reprehenditur	I.	368-370
Nascentia terrae. — Circa ista quid Hortulanus	II.	334-335
Nationes. — Circa nationes Magister Ordinis quid	II.	187-188
Necessaria. — Necessaria Deus praedicatoribus suis providet	I.	95-96
Necessaria ministrentur sine mora	I.	477-478
Necessaria large ministranda	I.	93-94

	VOL.	PAGG.
(Necessaria.) Circa necessaria novitiorum Magister Novitiorum quid	II.	218
Necessaria ubi large distribuuntur, fructus triplex	I.	94
Negligentia. — Negligentia cavenda	I.	609-611
Negligere. — Non negligenda correctio praelatis	I.	557-560
Non negligenda minima	II.	16-17
Novitius. — De novitiis multa	II.	213-232
Novitiorum instructio commendatur	II.	520
Novitiorum instructio qualis	II.	525-544
De novitiorum professione	II.	214-215
Obedientia. — Obedientia quotuplex et qualis	I.	529-539
Obedientia munus Deo acceptum	I.	2
Quomodo vitiatur	I.	3-4
Obedientiae dotes	I.	4
Sit prompta	I.	4-5
Sit devota	I.	5
Sit voluntaria	I.	5-6
Sit simplex	I.	6
Sit ordinata	I.	7
Sit jucunda	I.	7-8
Sit strenua	I.	8-9
Sit universalis	I.	9-10
Sit perseverans	I.	10
Obligatio. — Obligatio duplex: ad culpam et ad poenam	II.	46-49
Observantiae. — Observantiae minores custodiendae	II.	17
Oculus. — Oculorum impudicitia	I.	286-287
Oculi disciplinate habendi	I.	268-274
Oculorum modestia qualis	I.	285-286
Offensa. — Pro offensa exhibeatur satisfactio	I.	488-493
Offensa facilius fratri a fratre condonetur	I.	493-497
Officiales. — De iis in genere	II.	336-338
Officiales quot et quales apud nos	II.	179-181
Officiales quomodo constituendi	I.	415-416
Officialibus quid competat in scriptis tradendum	II.	179
Circa officiales quid Prior Conventualis	II.	204-205
Officium Divinum. — De officio divino plura	II.	75-79
Magna devotione incipiendum	II.	173-175
In festis solemniter dicendum	II.	110-111
In ecclesia devotius recitandum	II.	82-85
Ad officium divinum libenter surgatur	I.	161-163
Officii divini prolixitas vitanda	II.	85-86
In officio divino confusio vitetur	II.	98
Officium divinum etiam extra chorum devote dicatur.	II.	106-110
Officii divini immutatio utrum fieri possit	II.	153-154

	VOL.	PAGG.
(Officium Divinum). Circa divinum officium Magister Ordinis quid	II.	189-190
Officium B. V. quomodo recitandum	II.	68 78
Officium defunctorum non omittendum	II.	75-77
Opus. — Operum bonorum exercitia	I.	36-38
Opera corporalia a laicis non dimittenda propter orationes extraordinarias	I.	176-182
Operum Praefectus	II.	331-333
Oratio. — Oratio qualis apud religiosos	I.	153
Orationi cor habendum	I.	183-186
Oratio libentius in loco sacro fiat	I.	174-176
Fiat libentius temporibus constitutis	I.	154-156
Fiat libenter post completorium	I.	165-167
Fiat instantius tempore jejunii, diebus festis, etc.	I.	167-169
Orationes ordinariae non dimittantur propter extraordinarias	I.	176-179
Orationes secretae ubi et quando fieri debent	I.	94-98
Orationes secretae frequententur	II.	91-94
Propter orationes extraordinarias laici non dimittant opera corporalia	I.	176-182
Circa orationem Magister Novitiorum quid	II.	228-230
Orationem facere novitii quomodo possint	II.	543-544
Oratio Dominica commendatur	II.	138-141
Oratorium quid, et quid ipsi congruat	I.	170-171
Ordinarium. — Circa Ordinarium quid Sacrista	II.	253
Ordinatio hominis. — Ordinatio hominis ad Deum	I.	29-30
Ad seipsum	I.	30-31
Ad proximum	I.	30
Ordinatio cordis	I.	33-34
Ordo Praedicatorum — Cf. **Praedicatores**	—	———
Ornamenta ministrorum sacrorum	II.	157-160
Ornatus. — Circa ornatus quid Sacrista	II.	251-252
Os. — Oris custodia	I.	34-36
Oscula contra castitatem	I.	19
Paramenta. — Circa paramenta quid Sacrista	II.	251-252
Parcitas. — Parcitate corporalium crescunt divitiae spirituales	I.	232-233
Patientia. — Patientia quid	I.	23-24
Patientia qualis	I.	25-26
Patientiae utilitas	I.	24
Patientia unde habeatur	I.	28
Patientia quomodo deformetur	I.	27-28
Patientia praelatis necessaria	I.	576-578
Pauper. — Pauperes religionem ingressi de divitum societate non superbiant	I.	120-122

	VOL.	PAGG.
(Pauper). Iis qui pauperes in saeculo fuerunt sufficienter providendum	I.	113-115
Pauperes religionem ingressi ne fiant delicati	I.	214-216
Qui pauperes fuerunt ne despiciantur ab iis qui divites.	I.	132-133
De pauperum societate glorientur qui divites olim fuere	I.	133-135
His qui pauperes aliquando fuere periculosior prosperitas	I.	119-120
Paupertas. — Paupertas religiosa commendatur	I.	10-11
Paupertas religiosa qualis	I.	11-13
Paupertas religiosa quam utilis	I.	14-15
Paupertas religiosa praedicatoribus competit imprimis.	I.	51-53
Paupertas quomodo vitietur.	I.	11-12
Pausae fiant in officio divino	II.	101-103
Peccatum. — Peccatum grave vulnus	I.	325-327
Peccata sordes sunt	I.	384-385
Peccata quomodo remittantur	I.	626-628
Peccati placentia	I.	623-626
Peccata venialia vitanda	I.	40
Peccatum occultum deprehenditur divinitus in religione quandoque	I	289-291
De peccato quomodo fiat convictio	I.	331-336
Peccare. — Peccatur quandoque agendo contra constitutiones.	II.	49-51
Persecutiones tolerandae absque turbatione	II.	504-505
Petitio querulosa damnatur	I.	106-112
Philosophia. — Philosophiae an studendum	II.	42-44
Philosophiae quomodo studendum	I.	435-439
Placentia peccati quid	I.	623-626
Placere. — Placere hominibus an et quomodo congruit praedicatori	I.	240-244
Poenitentia. — Poenitentiae opera trifariam dividuntur	I	153
Circa poenitentias injungendas Confessor quid	II.	366-367
Portarius. — Portarius qualis circa statum	II.	274-276
Qualis circa officia	II.	276-279
Potentia abstinendi in homine qualis sit	I.	200-201
Potestas. — Qualem potestatem exercendam habeat Magister Ordinis	II.	192-193
Circa potestatem suam quid Confessor	II.	360-361
Praeceptum. — Praeceptorum numerus in Constitutionibus	II.	53
Praecepta quomodo in Regula contineantur	I.	64-66
Praedicatio. — Praedicatio magis competit religiosis quam saecularibus	I.	47-49
Praedicationis qualis dignitas	II.	31-33
Item, excellentia qualis	II.	374-375

	VOL.	PAG.
(Praedicatio). Praedicationis necessitas	II.	376-370
Item, acceptabilitas coram Deo	II.	380-383
Item, lucrum eximium	II.	384-390
Item, utilitas ad homines	II.	390-392
Item, difficultas	II.	393-399
Ad praedicationem non temere accedendum	II.	411-415
Ad praedicationem temerarius accessus quam reprehensibilis	II.	415-416
Ad praedicationem non accedere malum quandoque est.	II.	416-417
Praedicationis officium non assumitur causis quandoque frivolis	II.	418-421
Praedicationis indiscreta executio	II.	421-425
Praedicationis executio laudabilis quomodo fit	II.	426-428
Praedicationis officium libenter assumendum a gratiam habentibus	II.	430-434
Praedicatio cur subtrahatur	II.	434-435
Praedicationis impedimenta	II.	33-34
Praedicatio quibus modis impediatur	II.	35-36
A praedicatione quidam male se subtrahunt	II.	435-436
Praedicationis subtractio quantum mala	II.	436-438
Praedicatio infructuosa	II.	438-440
Praedicationis fructus mali	II.	441-442
Praedicationis fructus minus boni	II.	442-444
Praedicationis fructus optimi	II.	444-445
Praedicator. — Praedicatoris figurae	II	407-411
Praedicator qualis in se esse debeat	II.	369
Qualis in persona sua	II.	406-407
Praedicatori necessaria charitas in Deum et proximum.	I.	57-60
Praedicatoris vitam qualem esse congruat	II.	399-400
Humilitas praedicatoris qualis esse debet	I.	143-144
Qualis praedicatoris paupertas	I.	51-53
Praedicatori habitus vilis congruit	I.	237-240
Praedicatoris meritum	II.	404-406
Praedicatoris scientia qualis	II.	400-402
Praedicator imprimis sciat quae sunt officii sui	II.	373-374
Quid praedicatori praedicandum	II.	370
Quibus praedicandum	II.	370-371
Qualiter praedicandum	II.	371
Praedicatoris loquela qualis	II.	402-404
Praedicator quomodo audire debeat confessiones	II.	479-481
Praedicatori consilia dare pertinet	II.	475-479
Praedicator hominibus placere utrum debeat	I.	240-244
Praedicator qualis ad socium	II.	369-370
Qualis in hospitiis	II.	370

	VOL.	PAGG.
(Praedicator). Praedicator minus dispensandus in observantiis	II.	32-33
Praedicatori conversatio bona congruit	II.	455-456
Praedicatoris conversatio bona quid	II.	457-458
Praedicatori conversatio bona unde habeatur	I.	458-460
Praedicator verba aedificatoria extra praedicationem habeat	II.	460-463
Praedicator habens verba aedificatoria qualis	II.	466-468
Praedicator vana in collocutionibus vitet	II.	463-466
Praedicatoris discursus quando laudabilis	II.	454-455
Praedicatori discursus laudabilis suadetur	II.	451-452
Praedicatoris discursus quandoque reprehensibiles	II.	453-454
Praedicator quae vitare debet in praedicatione	II.	371
Praedicatori Deus necessaria praebet	I.	95-96
Praedicator quomodo circa saecularia vacare possit	II.	470-475
Praedicator Generalis. — Ejusdem varia officia	II.	356-357
Praedicatores. — Praedicatores cum Minoribus charitatem foveant	II.	494-500
De praedicatorum nomine quasi praenuntiato	II	407-411
Praedicatorum Ordo ad quid institutus	II.	38-41
Praefectus operum. — De variis ejusdem officiis	II.	331-333
Praelatio. — De variis modis se habendi circa praelationem quoad ambitiosos et bonos praelatos	I.	543-545
Praelatus. — Praelato quid spectet	I.	32-33
Ipsi sex reservantur in Ordine	II.	127-128
Ipsi exhibendus honor	I.	547-548
Praelatus serviat subditis	I.	545-547
Praelati officia plura	I.	551-553
Praelatorum bonorum exempla	I.	553-557
Praelatus consolationes fratribus quandoque faciat	I.	565-568
Praelatus quomodo se habere debet ad infirmos	I.	572-576
Praelatus patiens sit ad subditos	I.	576-578
Praelatus non vivat delicate	I.	582-584
Praelatus mollis non sit	I.	584-585
Praelatus amandus et timendus	I.	585
Praelatus timeatur	I.	586-587
Praelato facienda correctio fraterna	I.	328-331
Praelato duris verbis uti licet	I.	514-516
Praelato magis de subditorum amore quam timore curandum	I.	587-588
Praelatus de reddenda ratione curet	I.	588-595
Praelati pericula quanta	I.	591-592
Praelato de officiis graviter curandum	II.	485-486
Praelato timendum	I.	549-551

	VOL.	PAGG.
(Praelatus). Praelati boni et ambitiosi diversimode se habent quoad praelationes	I.	543-545
Praepositus. — Praepositus idem qui et presbyter	I.	337
Presbyter. — Presbyter idem qui et praepositus	I.	337
Prior. — Priores utantur dispensationibus, sicut et alii fratres.	II.	44-45
Prior Conventualis. — Prior Conventualis circa seipsum quid.	II.	201-202
Item, circa majores	II.	202-203
Item, circa conventus	II.	203-204
Item, circa officiales	II.	204-205
Item, circa varietatem fratrum suorum	II.	205-206
Item, circa fratres aliorum conventuum	II.	206
Item, circa extraneos	II.	206-208
Item, circa fructum animarum	II.	208
Item, circa temporalia	II.	208-209
Item, circa familiam	II.	209
Item, in capitulo provinciali ante capitulum	II.	357
Item, in capitulo provinciali circa capitulum	II.	358-359
Item, in capitulo provinciali post capitulum	II.	359-360
Item, circa priores conventuales qualia prioris provincialis officia	II.	197-198
Prior Provincialis. — Ejusdem officia circa principium regiminis	II	195-196
Item, circa cultum divinum.	II.	196
Item, circa commune bonum provinciae	II.	196-197
Item, circa conventus	II.	197
Item, circa priores	II.	197-198
Item, circa fratres.	II.	198-199
Item, circa visitationem	II.	199-200
Item, circa capitulum provinciale	II.	200-201
Proclamatio. — Proclamationes non omittendae propter trimorem	I.	322-325
Procurare. — Nullus singulariter melius quam alii procuretur.	I.	362-365
Procuratio. — Procurationis domus quid.	II.	291-292
Procurator. — Procurator quid circa officia	II.	280-281
Item, circa actus multiplices	II.	282-284
Professio. — Circa professionem novitiorum quid praestandum Magistro eorumdem	II.	214-215
Progressus. — Progressus fratrum in toto mundo aemulationem provocare debent	II.	500-502
Prolixitas. — Prolixitas officii vitanda	II.	85-86
Proprietas. — Proprietas multimode nocua	I.	13-14
Prosperitas. — Prosperitas periculosior his qui pauperes aliquando fuerunt	I.	119-120
Prospera. — Prospera in religione non quaerenda	I.	116-119

	VOL.	PAGG.
Prostratienes. — Quales et quomodo fiant	II.	165-168
Prothemata. — Prothemata quid et quale	II.	481
Provincia. — Circa provincias quid praestandum a Magistro Generali.	II.	183-184
Item, circa provinciam propriam quid praestandum a Priore Provinciali	II.	196-197
Psallere. — Devote psallendum	II.	86-87
Ad psallendum quid requiratur	II.	103-106
Psalmus. — Psalmi quare in Ecclesia magis frequententur	I.	182-183
Psalterium. — Psalterio magis quam aliis libris utimur	II.	99
Pulchritudo spiritualis. — Pulchritudo spiritualis virtutum qualis.	I.	599-601
Pulsatio. — Circa pulsationes quid Sacrista	II.	247 248
Punire. — Levius punienda delicta prius confessa	I.	355-356
Pusillanimitas. — De ista fusius dicitur	I.	569-572
Quaerere. — Quaerere non licet in religione quae haberi in saeculo non potuerunt	I.	106-112
Querela. — Querelae cleri saecularis contra Fratres	II.	486-489
Querulosus. — Querulosa petitio damnatur	I.	106-112
Quiescere. — Quiescere disciplinate congruit	I.	252-255
Rancor. — Rancor impedit effectum orationis	I.	495-500
Ratio. — De ratione reddenda cogitet praelatus	I.	588-590
Receptor hospitum. — Circa ipsius conditiones qualis	II.	360
Item, circa res habendas	II.	310-311
Item, circa hospites	II.	311-315
Item, circa hospites extraneos	II.	315-316
Recipiendi. — Circa recipiendos multa adhibeatur cautela	I.	472-475
Recidivus. — De recidivo in peccata quid	I.	622-626
Recreationes. — Recreationes fatiendae debilibus	I.	219-222
Ad recreationes compellantur viri sancti	I.	391-392
Recreationes dimittendae ubi inutiles.	I.	227-228
Recreationes duos abusus patiuntur	I.	222
Refectorarius. — Refectorarius circa mensam ordinariam quid.	II.	288-291
Item, circa mensam ordinariam	II.	291
Item, circa domum procurationis sive canavam.	II.	291-292
Item, circa lavatorium, immunditias et alia quaedam.	II.	292-294
Refectorium. — Circa refectorium Magister Novitiorum quid.	II.	222-224
Regimen. — Regiminis auctoritas servanda	I.	517-520
Regula. — Regula B. Augustini quare commentanda	I.	44
Ejusdem laudes	I.	44-47
Eadem praedicatoribus competit.	I.	45-51
In Regula duo: titulus operis et opus tituli	I.	54
Regulae quot et quales	I.	54-55
Regulae B. Augustini titulus exponitur	I.	54-56
Regula B. Augustini dicitur speculum	I.	54-55

	VOL.	PAGG.
(Regula). Regula B. Augustini eadem quare sic dicta	I.	55-56
Regula quomodo praecipiat.	I.	64-66
Regula quot contineat mandata	I.	126
Ejusdem transgressiones deflendae sunt	I.	620-623
Eadem frequenter legatur	I.	609-615
Eadem sedulo servanda	I.	539-543
Eadem apud nos servatur optime	II.	15-16
Ejusdem interpretationes quam vim sortiantur	II.	66-67
Ejusdem imminutio quid	II.	13-15
Ejusdem mutatio quid.	II.	10
Religio. — In religione nihil invito animo fiat	I.	606-609
In religione prospera non quaerenda.	I.	116-119
In religione non quaerantur ea quae in saeculo haberi non potuerunt	I.	106-112
Religio propter studium non dimittenda	I.	439-441
Religiosus. — Religiosi integre ordinem suum servent	I.	592-599
Religiosis orare magis competit	I.	154-156
Remissio. — Remissio peccatorum quomodo habeatur	I.	626-628
Repulsa. — Circa repulsam novitiorum quid Magistro Novitiorum incumbat	II.	216
Reservare. — Sex reservantur praelato in Ordine	II.	127-128
Restitutio. — Circa restitutiones quid agere debeat Confessor.	II.	365
Reverentia. — Circa reverentiam quid Magister Novitiorum	II.	226-227
Sabbatum. — Quare B. Virginis dicatum.	II.	72-75
Sacramentum. — Circa Sacramenta ab infirmis recipienda quid Servitor Infirmorum	II.	308-309
Circa Sacramenta quid Sacrista	II.	250-251
Sacramentalia. — Circa Sacramentalia quid Sacrista	II.	250-251
Sacrista. — Sacristae officium circa loca.	II.	247
Item, circa pulsationes	II.	247-248
Item, circa luminaria	II.	248-249
Item, circa missas	II.	249-250
Item, circa sacramenta et sacramentalia	II.	250-251
Item, circa ornatus et paramenta	II.	251-252
Item, circa custodiam rerum	II.	252-253
Item, circa Ordinarium	II.	253
Saecularis. — Saeculari minus quam religioso congruit praedicatio	I.	47-49
Circa saecularia quomodo vacare possunt praedicatores	II.	470-475
Salus. — Salus propria aliorum saluti praeferenda	I.	60-61
Salutaria. — Salutaria in mente habenda	I.	611-613
Salve Regina. — Salve Regina quare post completorium cantetur	II.	131-138

	VOL.	PAGG.
Sanctitas. — In sanctitate proficiendum	II.	510-512
Sanctitas in orationibus habenda	I.	500-503
Sanctus. — Sancti circa quae occupantur die ac nocte . .	II.	149-150
Sartor. — Sartoris officium circa res habendas . . .	II.	327-328
Sartoris officium circa actus	II.	328-330
Satisfactio. — Satisfactio pro offensa exhibeatur . . .	I.	488-393
Schola. — Circa scholam qui praestare debet Magister Novitiorum	II.	216-218
Scientia. — Scientia praedicatoris qualis , ...	II.	400-402
Supra scientiam valet virtus	II.	441-443
Scientia sine virtute malum quoddam . . .	II.	443-445
Scriptor. — Circa scriptores quid Gerens Curam Scriptorum.	II.	267-268
Scriptum. — Scripta inter fratres mutuo communicentur .	I.	103-106
Scripto commendentur officialium munera. . .	I.	8-9
Circa scripta quid Gerens Curam Scriptorum . .	II.	266-267
Secretum Confessionis. — Secretum confessionis quale . .	II.	368-369
Sermo. — Circa sermones quale sit Magistri Studentium officium	II.	257-259
Servitium. — Servitium mutuum inter fratres quale . . .	I.	416-417
Item, sine murmure fiat	I.	417-418
Circa servitia Magister Novitiorum quid . . .	II.	216
Servitor Communis. — Servitor Communis quid ad Servitorem Infirmorum	II.	305-307
Servitor Infirmorum. — De hujus conditionibus . . .	II.	304-305
Quid ipsi cum Communi Servitore	II.	305-307
Quid eidem cum speciali servitore	II.	307-308
Quid circa sacramenta infirmis ministranda . .	II.	308-309
Quid circa utrumque, nempe communem et specialem servitorem	II.	309-310
Servitor Mensae. — Quid praestare debet circa primam mensam.	II.	294-296
Quid circa secundam mensam	II.	296-297
Quid circa collationem	II.	297
Servus Dei. — Servus Dei quomodo dignoscitur	I.	396-398
Signa. — De signis apud nos faciendis	II.	68-72
De signis quae fiunt per varias campanas . . .	II.	155-157
Signum Crucis. — Signum Crucis quanta devotione faciendum.	II.	175-178
Simoniaci. — Quid circa istos Confessarius	II.	366-367
Societas. — Societatem gravantes reprehenduntur . . .	I.	401-405
Socius. — Socios eligere juxta propriam voluntatem religiosis prohibetur	I.	406-409
Socium amabilem sex faciunt	I.	405-406
Qualem se ad socium praebere debet praedicator .	II.	369-370
Socius Diffinitoris Capituli Generalis. — Quid praestare debet circa capitulum praecedentia	II.	343-344

	VOL.	PAGG.
(Socius Diffinitoris Capituli Generalis). Quid circa capitulum ipsum	II.	344-345
Quid circa regressum	II.	345
Quid circa successionem in diffinitione	II.	345
Socius Magistri Generalis. — Socius Magistri Generalis quibus insigniri debet dotibus et muneribus	II.	193-195
Socius Prioris Conventualis euntis ad Capitulum Provinciale. — Quid circa quaedam ante capitulum	II.	357
Irem, circa ipsum capitulum	II.	356-359
Item, circa quaedam post diffinitionem	II.	359-360
Speculum. — Speculi nomine insignitur regula Augustini	I.	54-55
Stare. — Stare simul fratres oportet	I.	244-245
Status. — De statibus variis corporis in adorando Deum	II.	168-171
Status paupertatis congruit praedicatoribus	I.	51-53
Studium. — Studium quam utile in Ordine Praedicatorum	I.	433-435
Studium quale debeat esse	II.	41-42
Studii utilitates	II.	28-31
Studium linguarum incumbendum	II.	493
Studium religioni non praeponendum	I.	439-441
Circa studium nonnulla reprehenduntur	I.	445-448
Circa studio annexa quid librarius	II.	266
Circa studium quid Magister Novitiorum	II.	230-231
Circa studium in genere quid Magister Studentium	II.	256-257
Circa studiorum profectum quid idem Magister Studentium.	II.	262-263
Subditus. — Subditis a praelato inserviendum.	I.	545-547
Ad subditos se patientes exhibeant praelati	I.	576-578
De subditorum amore magis quam de timore curet praelatus	I.	585-588
Succentor. — Succentoris varia officia	II.	245-247
Superbia. — Superbia duplex	I.	137
Superbia quantum noceat	I.	23
Superbia bonorum operum interitus	I.	138-140
Superbiae de bonis operibus ortae quaenam adhibenda remedia.	I.	143-144
Superfluitas. — Superfluitas quantum cavenda.	I.	90-93
Supprior. — Supprior quomodo se habeat ad majores	II.	209-211
Quomodo circa conventum.	II.	211
Quomodo circa religionem.	II.	211-212
Quomodo circa vacationem prioratus.	II.	212-213
Surgere. — Surgendum alacriter est ad divinum officium	I.	161-163
Sutor. — Quale sutoris officium	II.	330-331
Symbolum Apostolorum. — Symbolum Apostolorum commendatur	II.	141-144
Temperantia. — Temperantia in cibo et potu suadetur	I.	39-41

	VOL.	PAGG.
Temporalia. — Quid circa hujusmodi curare debet Prior Conventualis	II.	208-209
Tentationes. — De tentationibus plura	I.	628-633
Terrena. — Terrena quam vana	I.	123-126
Terrena dispergenda	I.	141-143
Timere. — Timeatur praelatus	I.	586-587
Timeatur praelatus minus quam ametur	I.	585-588
Quam timendum sit praelato	II.	485-486
Transgressiones. — Transgressiones magis minusve culpabiles.	II.	53-55
De transgressionibus Regulae dolendum	I.	620-623
Turbatores. — Turbatores pacis animarum damnantur	II.	2-4
Unanimitas. — Unanimitas triplex religiosis necessaria	I.	70
Uniformitas. — Uniformitas in observantiis laudatur	II.	5-8
Uniformitatem tria efficiunt	II.	10
Unitas. — Unitas triplex	II.	4-5
Unitas animorum quaenam prae se ferat	I.	71-72
Unitas animorum quomodo turbetur	I.	73-74
Unitas mala qualis	I.	74-78
Vacatio. — Circa vacationem prioratus quid Suppriori competat	II.	212-213
Vanum. — Vana in collocutionibus vitent praedicatores.	II.	463-466
Venia. — Venia petenda coram offenso	I.	504-508
Venia quomodo petenda	I.	514
Veniam petat a Deo praelatus excedens	I.	520-521
Venialia. — Venialia peccata caveantur	I.	40
Verbum. — Verbis duris uti quandoque possunt praelati	I.	514-516
In verbis duritia fugienda	I.	508-509
Verba aedificatoria extra praedicationem praedicator habeat	II.	460-463
Qui verba aedificatoria habent quales	II.	466-468
Verbum Dei. — Verbum Dei quomodo audiendum.	II.	445-448
Verbum Dei implendum	II.	448-450
Vestiarius. — Vestiarii officium	II.	323-327
Vestis. — Vestes fratribus procurandae	I.	359-361
De vestibus quomodo bene vel male provideatur	I.	361-362
In vestibus caveatur superfluitas.	I.	478-479
Vestes magis abjectas diligere perfecti est.	I.	366-367
Vestes quomodo lavandae	I.	381-384
Vestes quomodo custodiendae	I.	479-481
Vestitus. — Vestitus qualis sit oportet	I.	356-357
Victualia. — In victualibus non excedendum.	I.	217-219
Victus. — In victu bene tractentur infirmi	I.	209-210
Vigiliae. — Surgendum nocte ad sacras vigilias	II.	150-153
Vinum. — Vinum religiosis parce sumendum.	I.	197-200

	VOL.	PAGG.
Virgo (B). — Beatae Virgini quare dicatum est sabbatum	II.	72-75
Virgultum. — Circa virgultum quid Hortulanus	II.	333-335
Virtus. — Virtutum pulchritudo	I.	599-601
Virtutum exercitia	I.	38-39
Virtus scientiae praeponitur	I.	441-443
Sine virtute scientia malum quoddam	I.	443-445
Visitatio. — Circa visitationem quid Prior Provincialis	II.	199-200
Visitator. — Visitator circa ea quae praecedunt visitationem quid	II.	350-351
Item, circa quaedam in generali	II.	351-352
Item, circa capitulum	II.	352-355
Item, circa quaedam post visitationem	II.	356
Vita. — Vita conventualis sex sortitur praerogativas	I.	225
Vita communis quanta bona prae se ferat	I.	67-70
Vita praedicatoris qualis esse debet	II.	399-400
Vitium. — Vitia majorum magis corrigenda	I.	354-355
Vitia communitati opposita primario et secundario	I.	100-120
Vocatio. — Vocationem recordentur fratres	II.	490-492
Voluptas. — In voluptatibus non satisfaciendum religiosis	I.	492-496
Zelus. — Zelum in persequendis peccatis qualem esse oporteat.	I.	346-349

ERRATA CORRIGE

Vol. I. p. XXIII lin. 15 et 17, lege « Salmanticae, Salmanticensis, » pro « Barcinonae, Barcinonensis, » ut habetur p. XXV.

Vol. II. p. 145, in titulo lege XLV pro XLIV et adde sic deinceps usque in finem tractatus illius.

Alia minoris momenti passim tibi corrigenda, Benevole Lector, occurrent: quod pro doctrina simul ac benignitate praestes enixe rogamus, nosque in tuis orationibus commendatum habeas.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A.
Magister.

—

IMPRIMATUR

Julius Lenti Patr. Constant.
Vicesgerens.

248.71
H881
v.2

De Vita Regulari /
H. de Romanis

48007

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709